A. lat. b. 2308 f (2

EX LIBRIS
L. BRANCHEREAU
PRESBYTERI

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

78|24738

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi et de la Bibliothèque du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

P. DIDOT l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

AUG. RENOUARD, libraire, rue St-André-des-Arcs, n° 55.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

AL. EYMERY, libraire, rue Mazarine, n° 30.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

N. PICHARD, libraire, quai Conti, n° 5.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

T. LIVII PATAVINI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

TITUS LIVIUS

PATAVINUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET SELECTIS COMMENTARIIS

ITEM SUPPLEMENTA J. FREINSHEMII

CURANTE

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN SECUNDUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXII

Bayerische
Staatsbibliothek
München

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM.

Cap. I; Duæ rogationes promulgatæ, altera a C. Canuleio trib. plebis, altera a IX ejus collegis, de connubio Patrum plebisque, et de potestate populo danda, seu de plebe, seu de Patribus velit, consules faciendi. — II; Orationes consulum adversus has leges. — III-V; Canuleius pro iis disserit, simulque docet, populo romano summum esse imperium et libertatem omnibus æquam. — VI; Post multas altercationes consentiunt Patres primum, ut rogatio illa de connubio feratur, deinde, ut tribuni militum consulari potestate promiscue ex Patribus ac plebe creentur. Tribuni mil. cons. pot. tres, omnesque patricii creantur. — VII; Hi, vitio facti, honore mox abeunt, iisque sufficiuntur consules. Ardeatium legatis, agrum repetentibus, respondent Patres, curæ sibi fore, ne diuturna sit injuria. — VIII; Censuræ initium, rei a parva origine ortæ, sed magno deinde incremento auctæ. — IX; Intestinæ Ardeatium turbæ. Plebs Volscorum, optimates Romanorum implorant auxilium. Ardea obsidetur a Volscis, et hi a Romanis circumvallantur. — X; Volsci, ab omni parte cæsi, dedito imperatore Æquo Clœlio, sub jugum mittuntur, et inermes dimissi opprimuntur a Tusculanis. Triumphus M. Geganii cos. Pax domestica, auctoritate T. Quintii Capitolini V cos. servata. — XI; Redditur Ardeatibus ager, interceptus judicio infami, nec Romanis colonis, sed Rutulis dividitur. — XII; Consules creati, adversante nequidquam Pœtelio trib. pl. Fames et seditio. L. Minucius præfectus annonæ. — XIII; Sp. Mælius, eques præ-

dives, frumenti facit largitiones, et regni consilia agitat. Minucius rem compertam defert ad senatum, et T. Quintius Capitolinus vi cos. dictatorem dicit L. Quintium Cincinnatum.—XIV; C. Servilius Ahala mag. eq. in jus vocat Mælium, eumque fugientem obtruncat. — XV; Dictator cædem hanc laudat in concione populi. — XVI; Diruitur domus Mælii. Minucius frumentum ejus plebi dividit, et bove aurato donatur. Filius dictatoris tribunus mil. cons. pot. creatur cum Mam. Æmilio et L. Julio. — XVII; Fidenates et Veientes deficiunt a Romanis, horumque legati jussu Lartis Tolumnii, regis Veientium, interficiuntur. Victoriam non incruentam refert L. Sergius Fidenas consul. Dictator dicitur Mam. Æmilius, et magister eq. L. Quintius Cincinnatus. Falisci Fidenatibus auxilio veniunt. — XVIII; Atrox pugna. — XIX; A. Cornelius Cossus, tribunus militum, Tolumnium occidit, et hostes fundit. — XX; Dictator triumphat, et Cossus secunda spolia opima infert templo Jovis Feretrii: nisi ea nono demum post anno in consulatu cepit, vel tertio ab consulatu anno, quo tribunus militum cons. pot. fuit, et alteram insignem edidit pugnam equestrem. — XXI; Seditiones frustra quæsitæ a Sp. Mælio trib. pl. Pestilentia, crebri terræ motus, et obsecratio. Fidenates Veientesque populabundi descendunt in agrum rom. et A. Servilius Priscus, seu Structus, dictator dicitur. — XXII; Is Etruscos fundit non procul Nomento, et Fidenas cuniculo capit. Villa publica in campo Martio a censoribus probatur, ibique primum agitur census populi. — XXIII; Veientes et Falisci, legatis circa xii populos missis, impetrant, ut ad Voltumnæ fanum indicatur omni Etruriæ concilium; Mam. Æmilius dictator iterum dicitur. — XXIV; Negantur Veientibus auxilia. Dictator, ne nequidquam creatus sit, gloriam in pace quærit, fertque legem, ne plus, quam annua ac semestris, censura sit. Hinc censores eum movent tribu, octuplicatoque censu ærarium faciunt: quam ignominiam ipse ingenti animo fert, sed populus valde indignatur. — XXV; Pestilentia, et ædes Apollini vota. Tribuni queruntur, nondum plebeio aditum fuisse ad summum honorem, et tollendæ ambitionis causa legem promulgant, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceat causa. — XXVI; Æquorum Volscorumque validi exercitus, lege sacrata conscripti, in Algidum conveniunt. T. Quintius Cincinnatus et C. Julius Mento consules ad alia discordes in uno adversus Patrum voluntatem consentiunt, ne dicant dictatorem: sed tribuni pl.,

a Q. Servilio Prisco appellati, eos cogunt senatui dicto audientes esse. Quintius A. Postumium Tubertum, socerum suum, severissimi imperii virum, dictatorem dicit. — XXVII; Ludi magni tumultus causa voti. Castra Quintii cos. noctu oppugnata, et hostilia a M. Geganio capta. — XXVIII; Volsci, Vectio Messio duce, fortiter pugnant. — XXIX; Castris exuuntur et venumdantur. Dictator triumphans invehitur Urbem. Ab eodem filium, injussu patris pugnantem, securi percussum quidam tradunt. Carthaginienses exercitum trajiciunt in Siciliam. — XXX; Induciæ Æquis datæ. Pertinax in Volscis certamen inter pacis bellique auctores. Lex lata de mulctarum æstimatione. Siccitas et morbi. Sacra peregrina. Bellum Veientibus indictum. — XXXI; Tribuni mil. cos. pot. quatuor creati, et tres ob discordiam ab hostibus fusi. Poscitur dictator, qui tamen non nisi ab consule dici potest. Eam religionem eximunt augures, et Mam. Æmilius ab A. Cornelio Cosso tribuno mil., qui Urbi præest, dictator, et hic ab illo magister equitum dicitur. Fidenates Veientibus sese conjungunt. — XXXII; Dictator trepidam civitatem, ad concionem advocatam, oratione increpat, castraque locat prope Fidenas. — XXXIII; Fidenates erumpunt facibus armati. Veientes fusi Tiberim petunt. Fidenates in fluvium et urbem compelluntur. — XXXIV; Urbs castraque capta et direpta. Triumphus dictatoris. — XXXV; Induciæ Veientibus Æquisque datæ. Ludi, bello voti. Conciones seditiosæ tribunorum pl. indignantium, plebeios non admitti ad summos honores. — XXXVI; Consularia habentur comitia ob metum belli cum Volscis gerendi. — XXXVII; Capua ab Samnitibus capta. Bellum volscum, male gestum a C. Sempronio Atratino cos. — XXXVIII; Pugnam restituit Sex. Tempanius, decurio equitum. — XXXIX; Nox eam dirimit. Utraque castra deseruntur. Tempanius, ab suis exclusus, tumulum occupat, noctuque degressus in castra et inde ad Urbem pergit. — XL; Pavor ibi, et mox gaudium, equitibus procul visis. Tribuni pl. Tempanium vocari jubent. — XLI; Is visa sibique nota incompte, et multa quoque in laudem consulis, nihil vani in suam dicit. Interea consul advenit, non ab se magis enixe amovens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. M. Postumius et T. Quintius Pennus, qui ad Veios nuper res male gesserant, rei fiunt. — XLII; L. Hortensius trib. pl. Sempronio diem dicit; sed mitigatur, quatuor collegis, Tempanio, Sellio, Antistio Icilioque, pro imperatore suo de-

precantibus. — XLIII; Æqui a Fabio fusi. Interregna certaminaque consulum et tribunorum pl., illis flagitantibus, ut præter duos urbanos quæstores duo sibi ad ministeria belli præsto sint; his, ut pars quæstorum ex plebe fiat. Postremo L. Papirius Mugillanus interrex medio consilio copulat concordiam, suadens, ut IV quæstores promiscue de plebe ac Patribus fiant libero populi suffragio. — XLIV; Quæstores creantur omnes patricii, comitia eorum habente A. Sempronio Atratino, tribuno mil. cons. pot. Hinc ira tribunorum pl. flectitur in C. Sempronium, patruelem Atratini, qui accusatur iterum, et damnatur. Postumia, virgo Vestalis, rea propter cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem deceat. Cumæ a Campanis captæ. — XLV; Conjuratio servorum oppressa. Bellum cum Æquis et Lavicanis. Altercationem tribunorum mil. cons. pot. quorum nemo Urbi præesse vult, Q. Servilius dirimit patria majestate. — XLVI; Certamina ducum rom. multo majora in castris, quam in Urbe. Funduntur ab Æquis; et postero die, castris desertis, Tusculum confugiunt. Q. Servilius Priscus a filio suo C. Servilio dictator, et hic ab eo magister equitum dicitur. — XLVII; Vincit Æquos et Lavicos expugnat: quo colonia deducitur. — XLVIII; Spurii Mæcilius Metiliusque tribuni pl. promulgata lege agraria turbas excitant: sed Patres, auctore Ap. Claudio, nepote decemviri, collegas eorum ad intercessionem comparant. — XLIX; Bolæ bis capiuntur, et M. Postumius Regillensis, tribunus mil. cons. pot., exercitum præda ei promissa fraudat. Idem, ab collegis propter seditiones tribunitias arcessitus, in concione populi, L. Sextio trib. plebis rogationem de colonis Bolas mittendis denuo laturum se profitente: « malum quidem militibus meis, inquit, nisi quieverint. » Quam stolidam inhumanamque vocem acerbe increpat Sextius. — L; Inde tumultus in castris, ubi Postumius crudelibus suppliciis asperiora facit omnia, et postremo ab exercitu suo lapidibus cooperitur. Certamina in Urbe, et interregnum. — LI; Quæstio Postumianæ cædis mandatur consulibus, qui summa moderatione per paucorum supplicium rem transigunt. Plebs tamen ægerrime fert, leges de suppliciis suis latas confestim exerceri, aliasque de commodis suis, de agro bolano et inprimis publico dividendo, promulgatas tam diu irritas jacere. Ferentinum captum. — LII; L. Icilius trib. pl. seditiones ciet agrariis legibus promulgandis. Pestis et inopia frugum. — LIII; Delectum, indictum ob bellum

æquicum, impedit M. Mænius trib. pl., legis agrariæ lator; cui tamen IX collegæ intercedunt. C. Valerius Potitus cos. recipit Carventanam arcem, ab hostibus occupatam, prædamque sub hasta venditam in ærarium redigere quæstores jubet. — LIV; Tres plebeii quæstores, et tres Icilii tribuni plebis. Fremunt Patres, tenduntque ad consulum comitia. — LV; Volsci et Æqui bellum reparant, et Carventanam arcem oppugnant. Turbæ domesticæ. Patres comitia tribunis militum creandis edici patiuntur, sed ea lege, ne cujus ratio habeatur, qui eo anno tribunus plebis sit. Verrugo recepta, et prædæ in Æquis volscoque agro ingentes factæ. — LVI; Tribuni militum cons. pot. contra spem omnium tres patricii creantur, arte a patriciis adhibita. Bellum a Volscis Æquisque illatum. Discordia Patrum de dictatore dicendo. — LVII; C. Servilius Ahala tribunus mil. cons. pot. dictatorem dicit collegam P. Cornelium Cossum, et ab eo magister equitum creatur. Volsci ad Antium cæsi. Tribuni militum cons. pot. IV creantur patricii nova Patrum arte. — LVIII; Veientium legatio de pace. Præsidium Verrugine amissum. Superbum responsum veientis senatus, bellumque iis indictum. — LIX; Volscum bellum. Anxur captum direptumque. Senatus decernit, ut stipendium miles de publico accipiat. — LX; Hinc multiplex plebis gaudium, et calumniæ tribunorum pl. Tributum indicitur, quod Patres primi conferunt: unde certamen conferendi oritur. — LXI; Veii circumsessi. Victi Volsci. Artena capta dirutaque.

I. Hos sequuti M. Genucius et C. Curtius consules. Fuit annus domi forisque[1] infestus: nam anni principio, et de connubio[2] Patrum et plebis C. Canuleius tribunus plebis rogationem promulgavit; qua contaminari sanguinem suum Patres, confundique jura[3] gentium rebantur: et mentio, primo sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novem tri-

Cap. I. 1. *Annus infestus*, inquietus, turbulentus.

2. *De connubio Patrum et plebis*, scilicet cum plebe, quod vetitum erat in XII tabulis; vide cap. 4; Dionys. X extr. et infr. ad VIII, 14, n. 9.

3. *Jura gentium* patriciarum et plebeiarum, jura gentilitatis, *confundi*.

buni promulgarent, *ut populo potestas esset, seu de plebe, seu de Patribus vellet, consules faciendi.* Id vero si fieret, non vulgari[4] modo cum infimis, sed prorsus auferri a primoribus ad plebem, summum imperium credebant. Læti ergo audiere Patres, Ardeatium populum ob injuriam agri abjudicati descisse, et Veientes depopulatos extrema agri romani, et Volscos Æquosque ob communitam[5] Verruginem fremere : adeo vel infelix bellum ignominiosæ paci præferebant ! His itaque in majus[6] etiam acceptis, ut inter strepitum tot bellorum conticescerent actiones tribunitiæ, delectus haberi, bellum armaque vi summa apparari jubent ; si quo[7] intentius possit, quam T. Quintio consule apparatum sit. Tum C. Canuleius, pauca in senatu vociferatus, *nequidquam territando consules avertere plebem a cura novarum legum ; nunquam eos se vivo delectum habituros, antequam ea, quæ promulgata ab se collegisque essent, plebes scivisset ;* confestim ad[8] concionem advocavit.

II. Eodem tempore, et consules senatum in tribunum, et tribunus populum in consules incitabat. Negabant consules, « jam ultra ferri posse furores

ut græce συγχεῖσθαι. Confer Sigon. de ant. jur. civ. Rom. I, 7. *Gentem* se solos habere gloriabantur patricii ; vide X, 8. *Gens* e multis familiis conficitur. —*Novem tribuni,* omnes præter C. Furnium ; vide Dion. l. XI, p. 730.

4. *Vulgari cum infimis imperium*, vide ad II, 29, n. 5.

5. *Ob communitam Verruginem*, oppidum, Volscis Æquisque ademptum et postea munitum : at quando, nusquam dixit Livius.

6. *In majus*, tanquam aliquid majus, justo aut vero majus, præter veritatem, *accipere*, et credere, et fingere, facere, ut *in majus* vel *in majus vero celebrare, extollere, ferre* et *augeri* IV, 34 ; XXI, 32 ; XXIX, 3. Similiter *accipere in omen* XXI, 63, n. 14 ; *in bonam* vel *malam partem*, etc.

7. *Si quo* modo *intentius* apparari *possit, quam T. Quintio consule ;* vide III, 69.

8. *Confestim ad concionem advocavit,* aut pleonasmus est in *ad*, aut ellipsis *plebem ;* Bauer. Conf. ad II, 55, n. 6. Ante *confestim* e MSS quibusdam *et* inseruit Drak.

« tribunitios : ventum jam ad finem esse; domi plus « belli concitari, quam foris : id[1] adeo non plebis, « quam Patrum; neque tribunorum magis, quam « consulum, culpa accidere. Cujus[2] rei præmium sit « in civitate, eam maximis semper auctibus crescere; « sic pace bonos, sic bello fieri : maximum Romæ « præmium seditionum esse : id et singulis universisque semper honori fuisse. Reminiscerentur[3], « quam majestatem senatus ipsi a patribus accepissent, quam liberis traditiri essent, ut, quemadmodum plebs gloriari posset, auctiorem amplioremque « esse : finem ergo non fieri, nec futuram, donec, « quam felices seditiones, tam honorati seditionum « auctores essent. Quas quantasque res C. Canuleium « aggressum? colluvionem gentium, perturbationem

Cap. II. 1. *Id adeo* (vide ad Præf. n. 15) *non plebis*, sc. magis, quod ex seq. suppl.

2. *Cujus rei præmium sit*, etc. ut inf. cap. 35 med. *eo impendi laborem*, etc. Bauer. monet, syllogismum h. l. oratorium esse, perfectum et materia et forma : *majorem :* cujus rei præmium, etc. *minorem :* maximum, etc. *conclusionem :* finem ergo non fieri, etc. — *Pace et bello bonos*, rerum civilium et militaris peritos, ut cap. 3 extr. — *Id et*, etiam, *singulis universisque semper honori fuisse*, sc. movere seditiones : proprie *eas*, sc. seditiones; quasi dixisset seditionum movendarum; Bauer. Ad *præmium* ejusque consecutionem non bene retuleris sane τὸ *id;* nam eodem sensu mox dicitur : *quam felices seditiones, tam honorati seditionum auctores*, et duæ h. l. memorantur res, *seditionum præmium* et *honor*, ex iis redundans.

3. *Reminiscerentur*, secum reputarent, *quam majestatem . . . essent, ut, quemadmodum plebs* nunc gloriaretur, sua jura esse aucta, sic aliquando *gloriari posset*, scil. senatus (vel potius *possent*, sc. Patres, aut, quod præstiterit, liberi), *auctiorem amplioremque esse* majestatem suam. Ita hæc verba, distinctione post *plebs* posita, videntur interpretanda, si sana sunt. Quidam *ut* exponunt *quam parum*, vel, τῷ *esse* reciso, *quibus modis et rationibus :* alii emendant *utrum, quemadmodum plebs, gloriari posset*, seu *possent, auctiorem amplioremque esse*, vel *utrum, quemadmodum plebs gloriari posset, auctiorem amplioremque?* vel, *an, quemadmodum plebs, gloriari possent*, sc. Patres, etc.? Klockius totum hoc, *Reminiscerentur esse*, infra ante verba *Certum habere*, etc. reponendum putabat. Probabilior forte est sententia eorum, qui suspicantur, omnia illa verba, certe posteriora, *ut, quemadmodum*, etc., esse glossam laciniamque ab interpolatore assutam. Confer inf. ad cap. 35, n. 1.

« auspiciorum [4] publicorumque privatorumque af« ferre, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit; « ut, discrimine omni sublato, nec se quisquam, nec « suos noverit. Quam enim aliam vim connubia pro« miscua habere, nisi [5] ut ferarum prope ritu vulgen« tur concubitus plebis Patrumque? ut, qui natus sit, « ignoret, cujus sanguinis, quorum [6] sacrorum sit; « dimidius Patrum sit, dimidius plebis, ne [7] secum « quidem ipse concors. Parum id videri, quod omnia « divina humanaque turbentur : jam ad consulatum « vulgi turbatores accingi; et primo, ut alter consul « ex plebe fieret, id modo sermonibus tentasse : « nunc rogari, ut, seu ex patribus, seu ex plebe « velit, populus consules creet : et creaturos haud « dubie ex plebe seditiosissimum quemque. Canuleios « igitur Iciliosque consules fore ! Ne id Jupiter opti« mus maximus sineret, regiæ majestatis imperium « eo recidere : et se millies morituros potius, quam « ut tantum dedecoris admitti patiantur. Certum ha-

4. *Perturbationem auspiciorum*, quæ non nisi penes Patres erant. — *Privatorum. Auspicia privata* videntur fuisse ea, quæ super privatorum negotiis captabantur. *Apud antiquos*, inquit Val. Max. l. II, cap. 1, *non solum publice, sed etiam privatim nihil gerebatur, nisi auspicio prius sumpto*. Videntur autem patricii tunc contendisse plebeios auspicari omnino non posse. Vide inf. cap. 6, et lib. VI, 41. Ed.— *Quam aliam vim*, effectum.

5. *Nisi ut ferarum prope ritu vulgentur* (vide ad II, 29, n. 5) *concubitus*, conf. III, 47 extr.

6. *Quorum sacrorum*, privatorum, quæ gentilitia et hæreditaria erant (cf. I, 26 extr.), quæque ne in bello quidem intermitti fas erat; unde statum sacrificium, quod genti Fabiæ in Quirinali colle fuit, etiam importuno belli tempore factum legimus inf. V, 46, n. 52, et XXII, 18, n. 7. Cf. ad XLI, 15, n. 5; XLII, 11 pr. XLII, 32 pr. et ad Sil. VII, 381; « sacra vocarent ad patrios veneranda deos. »

7. *Ne secum quidem ipse concors*, ob perpetuam Patrum et plebis discordiam. *Si sibi ipse consentiat* Cic. Offic. I, 1. Confer Ruhnken. ad Velleium, II, 63. — *Omnia divina*, auspicia et sacra. Confer tamen ad III, 17, n. 6. — *Regiæ majestatis imperium*, imperium consulare, in quo inest regia majestas. Supra l. II, 1. *Omnia jura* regiæ potestatis, *omnia insignia primi consules habuere*. Unde et inf. l. VIII, 32. *Consules, regia potestas*. Ed.

« bere, majores quoque, si divinassent, concedendo « omnia non mitiorem in se plebem, sed asperiorem « alia ex aliis iniquiora[8] postulando, quum prima im- « petrasset, futuram, primo quamlibet dimicationem « subituros fuisse potius, quam eas leges sibi imponi « paterentur. Quia tum concessum sit de tribunis, « iterum concessum esse: finem non fieri posse. In « eadem civitate tribunos plebis et Patres esse: aut « hunc ordinem, aut illum magistratum tollendum « esse; potiusque sero, quam nunquam obviam eun- « dum audaciæ temeritatique. Illine[9] ut impune « primo discordias serentes concitent finitima bella, « deinde adversus ea, quæ concitaverint, armari ci- « vitatem defendique prohibeant? et, quum hostes « tantum non arcessierint, exercitus conscribi adver- « sus hostes non patiantur? Sed audeat Canuleius in « senatu proloqui, se, nisi suas leges tanquam victo- « ris Patres accipi sinant, delectum haberi prohibi- « turum: quid[10] esse aliud, quam minari, se prodi- « turum patriam? oppugnari atque capi passurum? « quid eam vocem animorum, non plebi romanæ, « sed Volscis et Æquis et Veientibus allaturam? Non- « ne, Canuleio duce, se speraturos Capitolium atque « arcem scandere posse, si Patribus tribuni, cum

8. *Iniquiora postulando*, postulantem, vel futuram et postulaturam, vel ut postularet, ad postulandum; Bauer. —*Primo quamlibet dimicationem*, etc. h. e. in principio certaminum inter Patres ac plebem; Drak. — *Quia tum*, post secessionem in Sacrum montem, *concessum sit de tribunis* (vide II, 33), *iterum concessum esse*, sublato decemvirorum imperio; vide III, 54. Mox cum Gronov. et Fab. leg. *Finem non fieri: non*, seu *nec posse in eadem civitate*, etc.

9. *Illine ut impune*, etc. Sic *ut* in affectu et cum vi interrogationis quinquies apud Cicer. Catil. I, 9. Confer ad V, 24, n. 6; IX, 11, n. 5; Horat. Epod. 17, 56; Plaut. Asin. V, 2, 34, et al. inpr. comicos. Plena oratio est: egone feram, vel fierine possit, *ut*, etc. — *Tantum non*, μόνον οὐ, seu μόνον οὐχὶ, pæne, propemodum, parum abest quin; vide Drak.

10. *Quid esse aliud*, etc. ut cap. 4, et VI, 40; nisi ubivis cum Duk. leg. *quid id esse aliud.*

« jure ac majestate adempta, animos etiam eripuerint? « Consules paratos esse duces prius adversus scelus ci- « vium, quam adversus hostium arma. »

III. Quum maxime hæc in senatu agerentur, Canuleius pro legibus suis et adversus consules ita disseruit: « Quantopere vos, Quirites, contemnerent « Patres, quam indignos ducerent, qui una secum « urbe intra eadem mœnia viveretis, sæpe equidem « et ante videor animadvertisse; nunc tamen maxime, « quod adeo atroces in has rogationes nostras coorti « sunt. Quibus quid[1] aliud quam admonemus, cives « nos eorum esse, et, si non easdem opes habere, « eamdem tamen patriam incolere? Altera connu- « bium petimus, quod finitimis externisque dari so- « let: nos quidem civitatem, quæ plus quam con- « nubium est, hostibus etiam victis dedimus. Altera « nihil novi ferimus; sed id, quod populi est, repe- « timus atque usurpamus: ut, quibus velit, populus « romanus honores mandet. Quid[2] tandem est, cur « cælum ac terras misceant? cur in me impetus modo « pæne in senatu sit factus? negent se manibus tem- « peraturos, violaturosque denuntient sacrosanctam « potestatem? Si populo romano liberum suffragium « datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non « præciditur spes plebeio quoque, si dignus summo « honore erit, apiscendi summi honoris, stare urbs « hæc non poterit? de imperio actum est? et[3] perinde « hoc valet, plebeiusne consul fiat, tanquam servum

Cap. III. 1. *Quid aliud quam admonemus*, vide ad II, 8, n. 9.—*Altera connubium petimus.... dedimus*, vide ad VIII, 14, n. 9, *quod finitimis* quoque.

2. *Quid tandem est* (v. ad III, 68, n. 1), *cur cælum ac terras misceant*, vide ad Juvenal. II, 25.—*Se manibus temperaturos*, vide ad II, 23, n. 8.—Mox *si dignus summo honore erit, apiscendi* (ant. pro *adipiscendi*) *summi honoris*, vide ad I, 3, n. 8.

3. *Et perinde hoc valet*, num idem est, si aliquis dicit, *plebeiusne*, an

« aut libertinum aliquis consulem futurum dicat? Ecquid sentitis, in quanto contemptu vivatis? lucis vobis hujus partem, si liceat, adimant: quod spiratis, « quod vocem mittitis, quod formas hominum habetis, indignantur. Quin etiam, si diis[4] placet, nefas « aiunt esse, consulem plebeium fieri. Obsecro vos, « si[5] non ad fastos, non ad commentarios pontificum « admittimur, ne ea quidem scimus, quæ omnes peregrini etiam sciunt? consules in locum regum successisse? nec aut juris, aut majestatis quidquam « habere, quod non in regibus ante fuerit? En[6] unquam creditis fando auditum esse, Numam Pompilium, non modo non patricium, sed ne civem quidem Romanum, ex sabino agro accitum, populi « jussu, Patribus[7] auctoribus, Romæ regnasse? L. « deinde Tarquinium, non[8] romanæ modo, sed ne « italicæ quidem gentis, Damarati[9] Corinthii filium, « incolam ab Tarquiniis, vivis liberis Anci, regem fa-

plebeius, *consul fiat*, fieri possit, ac si *servum*... *consulem futurum dicat?* Alii legunt: *plebeius ne consul fiat*, ut hæc quasi lex sit. Bauerus malebat *actum erit* et *valebit*. — *Ecquid sentitis*, vide ad I, 9, n. 3.

4. *Si diis placet* ironice et cum contemptu atque improbatione dici solet pro: quod stultissimum est: german. *so Gott will!* « Infra XXXIV, 2, n. 7, dixit, ut nos fere, *Gottlob! so weit ist es doch gekommen:* at XL, 13, n. 2, pro: si quis credere potest; » Bauer.

5. *Si*, etiam si (v. ad V, 51, n. 1), *non fastos* consulares, *non commentarios*, seu libros *pontificum* (seu *Annales Maximos*, in quibus Pontifex Maxim. res omnes singulorum annorum mandabat literis, de quo vide Cicer. de Orat. II, 12, et Gell. IV, 5), inspiciendi nobis potestas datur. Τὸ *si* pro etsi, vel siquidem, quoniam, accipiendum, aut cum Periz. leg. *etsi;* Drak.

6. *En unquam*, an unquam, unquamne, ecquando (quod indignantis est et impatientis, vel etiam vehementer optantis per interrogationem, ut passim: cf. ad IX, 10, n. 5; X, 8, n. 9; Duk. et Drak. ad XXIV, 14; Gron. ad XXX, 21), *creditis fando auditum esse*, fama tantum vobis innotuisse.

7. *Patribus auctoribus*, vide ad I, 17, n. 6.

8. *Non romanæ modo, sed*, etc. v. ad I, 40, n. 1.

9. *Damarati Corinthii filium*, vide ad I, 34, n. 2. —*Incolam ab Tarquiniis;* qui ab urbe Tarquiniis domicilium suum contulerat Romam. *Incola* non est idem ac *civis*, qui legum communium vinculo in unam societatem coivit. Ed.

« ctum? Ser. Tullium post hunc, captiva[10] Corniculana « natum, patre nullo, matre serva, ingenio, virtute re- « gnum tenuisse? Quid enim de T. Tatio Sabino dicam, « quem ipse Romulus, parens urbis, in societatem re- « gni accepit? Ergo, dum nullum fastiditur genus, in « quo eniteret virtus, crevit imperium romanum. Pœ- « niteat[11] nunc vos plebeii consulis, quum majores no- « stri advenas reges non fastidierint, et ne regibus « quidem exactis clausa urbs fuerit peregrinæ virtuti. « Claudiam certe gentem[12] post reges exactos ex Sabi- « nis non in civitatem modo accepimus, sed etiam in « patriciorum numerum? Ex peregrinone patricius, « deinde consul fiat? civis romanus si sit ex plebe, præ- « cisa consulatus spes erit? utrum tandem non credi- « mus fieri posse, ut vir fortis ac strenuus, pace[13] bello- « que bonus, ex plebe, sit Numæ, L. Tarquinio, Ser. « Tullio similis? an ne, si sit, quidem ad gubernacula « reipublicæ accedere eum patiemur? potiusque de- « cemviris, teterrimis mortalium, qui tamen omnes « ex Patribus erant, quam optimis regum novis[14] ho- « minibus, similes consules sumus habituri?

« IV. At enim nemo post reges exactos de plebe con- « sul fuit. Quid postea? nullane res nova institui debet? « et, quod nondum est factum (multa enim nondum

10. *Captiva Corniculana natum*, v. ad I, 39, n. 8. — *Patre nullo natum*, ignoto, ignobili; ut Melchisedecus ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ in Ep. ad Hebr. VII, 3. Conf. Eurip. in Ione v. 110, 837; Hor. Sat. I, 6, 6, 10; II, 5, 15, et Wessel. Obss. II, 10. Contra *qui patrem ciere possunt;* de quo vide ad X, 8, n. 9; *ingenio* et *virtute*, v. ad I, 24, n. 11. Mox forte leg. *dum* (quandiu) *nullum fastidiretur genus.*

11. *Pœniteat nunc vos plebeii consulis,* vide ad II, 54, n. 16. — *Advenas reges non fastidierint*, peregrinos, gr. ἐπήλυδες; Schaef.

12. *Claudiam certe gentem,* etc. Cf. II, 16. Mox suspicari possis : *civi romano, si,* etc. Sed vix opus, judice etiam Bauero. Post *præcisa* intell. *ei.*

13. *Pace belloque bonus*, vide ad IV, 2, n. 2. — Mox *teterrimis* antt. codices, et *tamen omnes* 3 MSS pro *deterrimis* et *tum omnes.*

14. *Novis hominibus,* v. ad I, 34, n. 8.

« sunt facta in novo populo), ea [1], ne si utilia qui- « dem sint, fieri oportet? Pontifices, augures, Romulo « regnante, nulli erant : ab Numa Pompilio creati sunt. « Census in civitate et descriptio centuriarum clas- « siumque non erat : ab Ser. Tullio est facta. Consules « nunquam fuerant : regibus exactis creati sunt. Dicta- « toris nec imperium, nec nomen fuerat : apud patres « esse cœpit. Tribuni plebis, ædiles, quæstores, nulli « erant; institutum est, ut fierent. Decemviros legibus « scribendis intra decem hos annos et creavimus, et e « republica sustulimus. Quis dubitat, quin, in æternum « urbe condita, in immensum crescente, nova impe- « ria, sacerdotia, jura gentium hominumque insti- « tuantur? Hoc ipsum, ne connubium Patribus cum « plebe esset, non [2] decemviri tulerunt paucis his annis « pessimo exemplo publico, cum summa injuria ple- « bis? an esse ulla major, aut insignitior contumelia « potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, « indignam connubio haberi? quid est aliud, quam « exsilium intra eadem mœnia, quam relegationem « pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immi- « sceamur, cavent; ne societur sanguis. Quid? hoc si « polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique

Cap. IV. 1. *Ea, ne si utilia quidem sint;* τὸ *ea* referendum ad *multa :* quod quo facilius appareret, parentheseos signa ex præced. sustulit Bauer. qui tamen vel sic ἀνακόλουθον orationem esse jam monuit. Forte leg. *Et, quod nondum est factum (multa... populo), non, ne si utile quidem sit, fieri oporteret?* — Similem loquendi formam invenies lib. xxiv, cap. 3. *Quod sæpe optastis, Campani, ut supplicii sumendi vobis ex improbo ac detestabili senatu potestas esset, eam nunc habetis.* Ed.

2. *Non,* nonne (ut V, 53 al.), *decemviri tulerunt,* conf. ad IV, 1, n. 2. *Pessimo publico* malebat Gron. ut sup. II, 1, ubi vide not. 3. Baueri nota est : « Vel *exemplo*, vel *publico* delendum, ac vix est, quin prius. *Exemplo* enim hic qui locus? Utrum, ne quis similem legem ferret? Quorsum, quum esset decemviralis? An, ne patricii sequerentur superbiam priorum? At istud non a lege, sed ab ipsorum fastu proficiscebatur. » — *Exsilium,* major pœna quam relegatio, quia illo, non hac civitas amittitur. Instit. Justin. Ed.

« oriundi ex Albanis et Sabinis[3], non genere nec san« guine, sed per cooptationem in Patres habetis, aut « ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu po« puli : sinceram servare privatis[4] consiliis non pote« ratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias « sororesque enubere sinendo e Patribus? nemo ple« beius patriciæ virgini vim afferret : patriciorum ista « libido est[5] : nemo invitum pactionem nuptialem « quemquam facere coegisset. Verum enim vero lege « id prohiberi, et connubium tolli Patrum ac plebis, « id demum contumeliosum plebi est : cur[6] enim non « confertis, ne sit connubium divitibus ac pauperibus? « Quod[7] privatorum consiliorum ubique semper fuit, « ut, in quam cuique feminæ convenisset domum,

3. *Plerique oriundi ex Albanis et Sabinis*, vide I, 17 et 30. — *Aut ab regibus lecti* in Patres, *aut post reges exactos jussu populi :* « nam post reges exactos in hac re intervenisse jussum suffragiumve populi, idemque adeo sub regibus necessarium fuisse, docet Dionys. II, 47; IV, 3; V, 40; et sic accipio, quum quosdam a Patribus in patricios cooptatos legimus, ut inf. X, 8, et apud Suet. Tib. I »; Duk.

4. *Privatis consiliis*, ita ut non opus fuisset vobis lege illa, a decemviris lata. Conf. not. 7. — *Enubere e Patribus*, per connubium ex ordine (familia et gente) patricio in plebeium, vel, ut XXXIX, 19, in gentem honestiorem, transire, *ausser seinem Stande heurathen*, Stroth. Cf. X, 23; XXVI, 34; XXXIX, 19. Sic contra *innubere*, v. ad I, 34, n. 4.

5. *Patriciorum ista libido est*, v. c. Appii decemviri. Tota oratio plena est acerbarum quidem, sed et gravium verarumque sententiarum, quæ omnibus inculcandæ sunt nobilibus.

6. *Cur enim non confertis*, insuper vel una et simul legem fertis, in ea additis. Similiter X, 18 pr. *consciverant bellum*, simul vel unanimi consensu omnibusque suffragiis sciverant, decreverant, vel simpl. sciverant, XL, 45; *tempestas aliquot signa constravit*, simul, una stravit, vel simpl. stravit; *conscribere*, *conclamare*, etc. v. Ernesti ad Suet. Claud. 38, et supr. ad I, 32, n. 12.

7. *Quod privatorum consiliorum*, res privati consilii et ab eo vel arbitrio hominum pendens, *ubique semper fuit, ut*, *in quam domum* innubere, per nuptias transire, *cuique feminæ convenisset*, aptum fuisset, vel potius placuisset, in eam *nuberet*, et, *ex qua domo vir* feminam *pactus esset*, pactionem cum ea nuptialem fecisset (ut fere *pacto fratri* XLIV, 40; nam vulgo puella dicebatur viro *pacta*, de quo vide ad Juvenal. VI, 25; Ruhnken. ad Velleium, I, 1, et Duk. inf. ad XLIV, 30), *in matrimonium* eam et in domum suam *duceret*.

« nuberet, ex qua pactus esset vir domo, in matri« monium duceret; id vos sub[8] legis superbissimæ « vincula conjicitis, qua dirimatis societatem civilem, « duasque ex una civitate faciatis. Cur non sancitis, « ne vicinus patricio sit plebeius? ne eodem itinere « eat? ne idem convivium ineat? ne in foro eodem « consistat? Quid[9] enim in re est aliud, si plebeiam « patricius duxerit, si patriciam plebeius? quid juris « tandem mutatur? nempe patrem[10] sequuntur liberi: « nec, quod nos ex connubio vestro petamus, quid« quam est, præterquam ut hominum, ut civium « numero simus: nec, vos, nisi in contumeliam igno« miniamque nostram certare juvat, quod contenda« tis, quidquam est.

« V. Denique utrum tandem populi romani, an « vestrum summum imperium est? Regibus exactis, « utrum vobis dominatio, an omnibus[1] æqua libertas « parta est? oportet licere populo romano, si velit, « jubere legem. An, ut quæque rogatio promulgata « erit, vos delectum pro pœna decernetis? et simul « ego tribunus vocare tribus in suffragium cœpero; « tu statim consul sacramento juniores adiges, et in « castra educes? et minaberis plebi, minaberis tri« buno? Quid[2], si non, quantum istæ minæ adversus « plebis consensum valerent, bis jam experti essetis? « scilicet, quia nobis consultum volebatis, certamine

8. *Sub legis vincula conjicitis*, vinculis subjicitis. Pro: *in vincula*, ut ὑπὸ pro εἰς; Ern.

9. *Quid enim in re est aliud*, ut X, 8, n. 10, et Sen. Ep. 116.

10. *Patrem sequuntur liberi*, hi jura, gentem conditionemque patris, non matris, accipiunt.

Cap. V. 1. *Omnibus* civibus *æqua libertas parta*, eadem jura et commoda, suffragiorum ferendorum, omnium honorum petendorum, etc. Cf. Ernesti clav. Cic. vide *libertas*.

2. *Quid? si*, etc. (*wie wenn*) pro: *quid* diceretis faceretisve, *si non*, etc. (*wie wäre es, wenn*) ut IX, 18 al. Ernesti *quid si* pro *quasi* dictum, vel ita legendum putabat. — *Bis jam experti essetis*, vide II, 55, et III, 11. — *Scilicet* εἰρωνικῶς et amare dicitur,

« abstinuistis : an ideo non est dimicatum, quod, quæ « pars firmior, eadem modestior fuit ? nec nunc erit « certamen, Quirites : animos vestros illi tentabunt « semper, vires non experientur. Itaque ad bella ista, « seu falsa, seu vera sunt, consules, parata vobis ple- « bes est, si, connubiis redditis, unam hanc civitatem « tandem facitis ; si coalescere, si jungi miscerique « vobis privatis necessitudinibus possunt ; si spes, si « aditus ad honores viris strenuis et fortibus datur ; « si in consortio, si in societate reipublicæ esse, si, « quod æquæ libertatis est, in vicem annuis magis- « tratibus parere atque imperitare licet. Si [3] hæc im- « pediet aliquis, ferte sermonibus, et multiplicate fama « bella ; nemo est nomen daturus, nemo arma captu- « rus, nemo dimicaturus pro superbis dominis, cum « quibus nec in re publica honorum, nec in privata « connubii societas est. »

VI. Quum in concionem et consules processissent, et res [1] a perpetuis orationibus in altercationem vertisset ; interroganti tribuno, *cur plebeium consulem fieri non oporteret ?* ut fortasse vere, ne parum utiliter in

ut *nimirum* et *videlicet* (IX, 17, n. 6; XXXII, 21, n. 14), nostrumque *freilich*. Hoc sensu passim obviæ voces istæ, et tum plerumque signa interrog. apposita sunt, quæ removeri præstat.

3. *Si hæc impediet aliquis* (*sin* conj. Sigon. quod vel auris legere jubet; Bauer.), *ferte sermonibus bella*, semper et ubivis sermones serite, seu spargite de bellis, bella crepate. Similiter *aliquid fama* et *rumoribus ferre*, quasi circumferre, XXIII, 31 ; XXXIV, 36, n. 1, et apud Tacit. Annal. XV, 46 ; XVI, 2.

Cap. VI. 1. *Res a perpetuis*, continuis, una serie et continuatione recitatis, *orationibus* (confer XXXII, 19 extr.) se *vertisset* (v. ad II, 3, n. 2) *in altercationem*, alternum colloquium vel disputationem, quæ interrogationibus et responsis continetur. Confer VIII, 33; Cic. ad Atticum, I, 16, et Quintil. VI, 4. Similiter *perpetuum jugum* et *dorsum* montis dicitur XXXIII, 6, et XLI, 18. Conf. ad IX, 17, n. 6. —Mox pro *respondit* forte legendum *responderunt*, sc. consules, vel *respondetur*, vel *respondebatur ;* nisi excidit nomen alterius consulum. Bauerus monet, *respondet* dictum esse pro *responderunt*, aut supplendum *consul*, scil. ex consulibus. Neutrum satis placebit.

præsens certamen respondit, *quod*[2] *nemo plebeius auspicia haberet; ideoque decemviros connubium*[3] *diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur*. Plebes ad id maxime indignatione exarsit, quod auspicari, tanquam invisi diis immortalibus, negarentur posse: nec ante finis contentionum fuit (quum et tribunum acerrimum auctorem plebes nacta esset, et ipsa cum eo pertinacia certaret), quam victi tandem Patres, ut de connubio ferretur, consensere: ita maxime rati contentionem de plebeiis consulibus tribunos aut totam depositwros, aut post bellum dilaturos esse; contentamque interim connubio plebem paratam delectui fore. Quum[4] Canuleius victoria de Patribus et plebis favore ingens esset, accensi alii tribuni ad certamen pro rogatione sua summa vi pugnant, et, crescente in dies fama belli, delectum impediunt. Consules, quum per senatum, intercedentibus tribunis, nihil agi posset, consilia principum domi habebant: apparebat, aut hostibus, aut civibus[5] de victoria concedendum esse: soli ex consularibus Valerius atque Horatius non intererant consiliis. C. Claudii sententia consules armabat in tribunos: Quintiorum Cincinnatique et Capitolini sententiæ abhorrebant a cæde violandisque, quos, fœdere icto cum plebe, sacrosanctos accepissent. Per hæc consilia eo deducta res est, ut tribunos militum consulari potestate promiscue ex Patribus

2. *Quod nemo plebeius auspicia*, jus ea capiendi, *haberet*, vide ad II, 33, n. 3.

3. *Connubium* Patrum et plebis *diremisse*, separasse. — *Auspicari*, auspicia capere.—*Turbarentur*. Cod. Ox. fert *perturbarentur;* sed nullus ei concinit. Ed.

4. *Quum Canuleius... ingens esset*, plurimum gloriæ et auctoritatis adeptus esset. Cf. V, 17 pr. — *Alii tribuni pro rogatione sua*, etc. Cf. cap. 1. Mox *concilia principum* malebat Gron. vide ad I, 54, n. 1.

5. *Civibus de victoria concedendum*, vide ad III, 60, n. 4; *quam maxime tribunitii, et prensare homines*, τὸ *quam* redundat, atque illud *et* rectius abfuerit, ut simpl. otiosum: neque enim distributionem facit cum altero *et*, sed

ac plebe creari sinerent; de consulibus creandis nihil mutaretur: eoque contenti tribuni, contenta plebs fuit. Comitia tribunis consulari potestate tribus creandis indicuntur: quibus indictis, extemplo, quicumque aliquid seditiose dixerat, aut fecerat, quam maxime tribunitii, et prensare homines, et concursare toto foro candidati cœpere: ut patricios desperatio primo, irritata plebe, adipiscendi honoris, deinde indignatio, si cum his gerendus esset honos, deterreret: postremo coacti tamen a primoribus petiere, ne cessisse possessione reipublicæ viderentur. Eventus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatisque, alios, secundum deposita certamina, incorrupto judicio esse: tribunos enim omnes patricios creavit populus, contentus eo, quod ratio habita plebeiorum esset. Hanc modestiam, æquitatemque et altitudinem[6] animi, ubi nunc in uno inveneris, quæ tum populi universi fuit?

VII. Anno[1] trecentesimo decimo, quam urbs Roma condita erat, primum tribuni militum pro consulibus magistratum ineunt, A. Sempronius Atratinus, L. Atilius, T. Cæcilius; quorum in magistratu concordia

idem fere indicat; Bauer. Abest a MS Lovel. IV. — *A primoribus coacti petiere* honorem. — *Cessisse*, recessisse a *possessione*, summa administratione *reipub.*, summumque imperium plebi et tribunis concessisse. Forte leg. *possessionem*. — *In contentione libertatis*, de libertate, ob eam. Conf. ad I, 5, n. 5. — *Secundum*, post.

6. *Altitudinem animi*, magnitudinem animi. Alio sensu dicitur Tacit. Annal. III, 44, ubi vide not. 3.

Cap. VII. 1. *Anno CCCX*, etc. ann. Urb. cond. CCCXI apud Dionys. l. 11, pag. 736. Conf. Drakenb. ad h. l. et Dodwell. de cyclis diss. X, § 86. — *T. Cæcilius;* quæ gens plebeia fuit. Leg. *T. Clœlius*. Dionys. l. l. eum vocat Τίτον Κλοίλιον (ita scrib. pro vulg. Κλύσιον, quod vel ex cognomine intelligitur) Σικελόν. Cæterum *tribuni militum consulari potestate* usque ad ann. Urb. cond. 388, quo L. Sextius primus de plebe consul factus (vide VII, 1), creati sunt, sed nonnunquam et consules, prout seu plebs, seu Patres prævaluissent certaminibus. Illis autem hoc nomen inditum, quod inter plebeios maxime eminebant tribuni militum.

domi pacem etiam foris præbuit. Sunt, qui propter adjectum Æquorum Volscorumque bello et Ardeatium defectioni veiens bellum, quia duo consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicant, sine mentione promulgatæ legis de consulibus creandis ex plebe, et imperio et insignibus consularibus usos. Non tamen pro [2] firmato jam stetit magistratus ejus jus; quia tertio mense, quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere; quod C. Curtius [3], qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum cepisset. Legati [4] ab Ardea Romam venerunt, ita de injuria querentes, ut, si demeretur ea, in fœdere atque amicitia mansuros, restituto agro, appareret. Ab senatu responsum est, *judicium populi rescindi ab senatu non posse, præterquam quod nullo nec exemplo nec jure fieret, concordiæ etiam ordinum causa: si Ardeates sua [5] tempora exspectare velint, arbitriumque senatui levandæ injuriæ suæ permittant, fore, ut postmodo gaudeant, se iræ moderatos; sciantque, Patribus æque curæ fuisse, ne qua injuria in eos oriretur, ac ne orta diuturna esset.* Ita legati, quum se rem integram relaturos dixissent, comiter dimissi. Patricii, quum sine curuli magistratu respublica esset, coiere, et interregem creavere: contentio, consulesne, an tribuni militum crearentur, in interregno rem dies complures

2. *Pro firmato stetit jus*, tanquam firmatum. Conf. ad II, 7, n. 4. — *Vitio creati*, vide ad V, 17, n. 4.

3. *C. Curtius*, consul (vide cap. 1), *parum recte*, vitiose, contra disciplinam auguralem, *tabernaculum cepisset*, vide ad I, 6, n. 4; et confer Cic. de Div. I, 17; II, 35; de Nat. Deorum, lib. II, n. 10 et 11. Hæ autem artes erant patriciorum, qui auspicia soli habebant et pro libito comminiscebantur.

4. *Legati ab Ardea Romam venerunt*, v. ad X, 14, n. 2, et XXVII, 5, n. 4. — *Ita* (vide ad I, 17, n. 5) *de injuria querentes*, de qua vide III, 71, n. 72.

5. *Sua tempora exspectare*, vide ad I, 56, n. 10. — *Se rem integram relaturos*, vide ad II, 5, n. 1.

tenuit. Interrex[6] ac senatus, consulum comitia; tribuni plebis et plebs, tribunorum militum ut habeantur, tendunt: vicerunt Patres, quia et plebs, patriciis seu hunc seu illum delatura honorem, frustra certare supersedit: et principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quam quibus ut indigni præterirentur. Tribuni quoque plebis certamen sine effectu in beneficio apud primores Patrum reliquere. T. Quintius Barbatus interrex consules creat L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. His consulibus cum Ardeatibus fœdus renovatum est: idque monimenti est, consules eos illo anno fuisse, qui neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inveniuntur: credo, quod tribuni militum initio anni fuerunt, eo, perinde ac si totum annum in imperio fuerint, suffectis his consulibus, prætermissa nomina consulum horum. Licinius Macer[7] auctor est, et in fœdere ardeatino, et in linteis libris ad Monetæ inventa: et foris, quum tot terrores a finitimis ostentati essent, et domi otium fuit.

VIII. Hunc annum, seu tribunos modo, seu tribunis suffectos consules quoque habuit, sequitur annus haud[1] dubiis consulibus, M. Geganio Macerino iterum,

6. *Interrex ac senatus consulum comitia ut habeantur tendunt*, contendunt, operam dant, perficere conantur. Conf. VII, 22, n. 2; X, 1, n. 3; XXI, 33, n. 4; XXVIII, 18, n. 2; XXXII, 32; XXXVII, 53, et mox ad cap. 8, n. 6. — *Certamen sine effectu*, quo se nihil profecturos prospiciebant, *in beneficio apud primores Patrum reliquere*, omisere in eorum gratiam, ut loco beneficii vel per beneficium quasi suum impetrarent consulatum.

7. *Licinius Macer*, historicus. Cf. ad III, 5, n. 9, et Ind. — *Libri lintei*, in linteo scripti, et asservati *ad Monetæ*, scil. ædem (vide ad I, 33, n. 6), h. e. in æde Junonis Monetæ (de qua v. ad VI, 20, n. 11, et VII, 28), prisci annales populi romani. Conf. cap. 13, 20, n. 23, et Dodwell. in Append. Prælectt. Academ. p. 654 sqq.—*Inventa*, scilicet esse consulum nomina, quia in his libris nomina magistratuum inscribi solebant. Ed.

Cap. VIII. 1. *Haud dubiis consulibus;* unde mox eadem vox *consulibus* delenda videtur.

T. Quintio Capitolino quintum consulibus : idem hic annus censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ: quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque romanæ penes eam regimen, senatus [2], equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi romani sub nutu atque arbitrio essent. Ortum [3] autem initium rei est, quod in populo, per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque consulibus, quum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Mentio illata ab senatu est, *rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere : cui scribarum ministerium, custodiæque [4] et tabularum cura, cui arbitrium formulæ censendi subjiceretur.* Et Patres, quanquam rem parvam, tamen, quo plures patricii magistratus in republica essent, læti accepere:

2. *Senatus equitumque centuriæ;* sed cur non et ordo plebeius, cujus homines ita notabat censor, ut eos tribu aut centuria moveret, vel, ut Asconius dicit, ut in Cæritum tabulas inferrentur, ac per hoc non essent in albo centuriæ suæ? Hinc non male Stroth. emend. *senatus, equitum, centuriæ,* vel potius, quod in quibusdam MSS legitur, *centuriarum* (aut *centuriarumque*), *decoris dedecorisque discrimen;* nisi malis *descriptio.* De munere censoris confer Cicer. de leg. III, 3. — *Vectigalia* propr. pecunia, quæ pro vectura mercium solvenda est, ut XL, 51, n. 11; sed in genere, ut h. l., omnes reditus publici e decumis, scriptura et portorio, v. Ernesti clav. Cic.

3. *Ortum autem initium rei est,* habent quidem editi omnes; sed dissentiunt scripti, qui inverso vocabulorum ordine offerunt *initium est rei,* nisi quod *initium est regi* lapsu librarii præferat solus Harlej. pr. *est initium rei* Lipsiens. *initium fuit rei* Florent. Ed.—*Populo per multos annos* (XVII, vide supr. III, 24) *incenso,* vide ad I, 44, n. 1. — *Operæ erat,* vide ad I, 24, n. 10. — *Mentio illata ab consulibus in senatu est* mox non male conj. Pigh. in Ann. ad an. 310.

4. *Custodiæque et tabularum cura,* cura tabularum publicarum (h. e. codicum ceratorum, in quibus senatusconsulta, leges, rationes et redemptiones vectigalium, aliæque res publice, in censu, judiciis, senatu, comitiis, actæ consignabantur) et conficiendarum, et in tabulario (*Archiv*), quod in atrio Libertatis erat, custodiendarum. Cf. XLIII, 16, et de *tabulario* Casaub. ad Suet. Aug. 29. Sed forte leg. *et tabularum cura custodiaque.*— *Formula* est lex, seu præscriptum et

id, quod evenit, futurum credo etiam rati, ut mox opes eorum, qui præessent, ipsi honori jus majestatemque adjicerent. Et tribuni, id quod tunc erat, magis[5] necessariam, quam speciosi ministerii procurationem intuentes, ne in parvis quoque rebus incommode adversarentur, haud[6] sane tetendere. Quum a primoribus civitatis spretus honor esset, Papirium Semproniumque[7], quorum de consulatu dubitabatur, ut eo magistratu parum[8] solidum consulatum explerent, censui agendo populus suffragiis præfecit. Censores ab re appellati sunt.

IX. Dum hæc Romæ geruntur, legati ab Ardea veniunt, pro veterrima societate renovatoque fœdere recenti auxilium prope eversæ urbi implorantes: frui namque pace, optimo consilio cum populo romano servata, per intestina arma non licuit; quorum causa atque initium traditur ex certamine factionum ortum: quæ fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in deum iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt[1]. Virginem plebeii generis, maxime forma

norma, secundum quam aliquid faciendum est (cf. ad XXII, 57, n. 11, et XXVI, 24, n. 5); hinc *formula censendi*, certa præscriptio, methodus et ratio, ex qua census est agendus (cf. XXIX, 15); ut *formula cognitionis* XL, 12 (ubi vide not. 8): norma judicii, proprie modus a prætore præscriptus judicibus, ut ad eum dirigant judicium, et ex eo intelligant, quid et quomodo cognoscendum judicandumque sit: unde et *formulam juris exsequendi constituere* dicitur XXXIX, 26 extr.

5. *Magis necessariam*, h. e. necessarii, *quam speciosi*, splendidi et magna dignitate conspicui, *ministerii procurationem intuentes* et ducentes. Cf. ad I, 1, n. 6.

6. *Haud sane tetendere* adversus Patres eorumque consilium, contendere, pugnavere, restitere. Conf. V, 24, n. 6; VIII, 15, n. 8; X, 6, n. 9; XXIII, 14, et sup. ad c. 7, n. 6.

7. *Papirium Semproniumque*, etc. Conf. supr. cap. 7 extr. Sed legendum *dubitatur* e MS Lovel. IV, et edd. vett. ante Ald.

8. *Parum solidum*, integrum, *consulatum*, qui non per *solidum*, h. e. totum, seu integrum annum duraverat.

Cap. IX. 1. *Quæque alia in deum iras... vertunt*, sc. se (vide ad II, 3, n. 2), h. e. iram deorum efficiunt; vel

notam, petiere juvenes: alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui et ipsi ejusdem [2] corporis erant; nobilis alter, nulla re, præterquam forma, captus: adjuvabant eum optimatium studia, per quæ in domum quoque puellæ certamen partium penetravit: nobilis superior judicio matris esse, quæ quam splendidissimis nuptiis jungi puellam volebat: tutores, in ea quoque re partium memores, ad [3] suum tendere. Quum res peragi intra parietes nequisset, ventum in jus est: postulatu audito matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dant jus nuptiarum. Sed vis potentior fuit; namque tutores, inter suæ partis homines de injuria decreti palam in foro concionati, manu facta virginem ex domo matris rapiunt: adversus quos infestior coorta optimatium acies sequitur accensum injuria juvenem: fit prælium atrox: pulsa plebs, nihil [4] romanæ plebi similis, armata ex urbe profecta, colle quodam capto, in agros optimatium cum ferro ignique excursiones facit: urbem quoque, omnis etiam expertem ante certaminis, multitudine opificum ad spem prædæ evocata, obsidere parat: nec

potius *vertunt*, sc. *populi* vel homines, h. e. iræ divinæ tribuunt, vel tanquam indicia ejus et effectus hujus causæ interpretantur. Cf. loc. simil. XXVIII, 11 pr.

2. *Ejusdem corporis*, plebeii generis s. ordinis. Conf. ad I, 17, n. 2.

3. *Ad suum tendere*, ad sui ordinis vel, ut mox dicitur, partis suæ hominem (sc. plebeium) juvandum inclinare seu convertere studia. Similes seditionum causas memorat Aristot. Polit. V, 4. — *Intra parietes*, confer Cic. pro Quintio, c. 11: *aut intra parietes, aut summo jure experiri.* — *Manu facta*, multitudine hominum congregata.

4. *Nihil rom. plebi similis*, quæ bis in secessione fuerat quieta, nec quidquam violenti fecerat; vide II, 32, et III, 50, n. 51. — Mox cum Drakenb. forte leg. *omnis etiam expertem ante certaminis multitudine*, etc., vel *omnis etiam expertam ante certaminis*, ut passim *expertus* jungitur genitivo; vide Drak. ad h. l. ad XXIV, 22 pr. XL, 8, n. 4, et nos ad Sil. VIII, 614. Sic et *assuetus* XXXVIII, 17; *insuetus* VI, 34; *insolitus* X, 28; *metuens* XXII, 3; *incertus* IV, 23; XXIV, 24; *certus*, *peritus*, etc. quæ comparavit Stroth. ad XXIV, 22. Hæc et alia Græcorum dicta more et passim obvia. Permulta laudavi exempla in Appendice Silio annexa, p. 171, 17?

ulla species cladesque belli abest; velut[5] contacta civitate rabie duorum juvenum, funestas nuptias ex occasu patriæ petentium. Parum parti utrique domi armorum bellique est visum. Optimates Romanos ad auxilium urbis obsessæ, plebs ad expugnandam secum Ardeam Volscos excivere. Priores Volsci duce Æquo Clœlio Ardeam venere, et mœnibus hostium vallum objecere. Quod ubi Romam est nunciatum, extemplo M. Geganius consul, cum exercitu profectus, tria millia passuum ab hoste locum castris cepit, præcipitique jam die[6] curare corpora milites jubet. Quarta[7] deinde vigilia signa profert: cœptumque opus adeo approperatum est, ut, sole orto, Volsci firmiore se munimento ab Romanis circumvallatos, quam a se urbem, viderent: et alia parte consul muro[8] Ardeæ brachium injunxerat; qua ex oppido sui commeare possent.

X. Volscus imperator, qui ad eam diem, non commeatu præparato, sed ex populatione agrorum rapto in diem frumento[1] aluisset militem, postquam septus vallo repente inopem omnium rerum videt, ad col-

5. *Velut contacta civitate rabie*, v. ad II, 5, n. 3.

6. *Præcipiti jam die* ad vesperum (ut IV, 9, et XXV, 34, n. 5), ad finem festinante. Sic *præceps in occasum sol erat* X, 42 pr. *sol se inclinavit* IX, 32 (ubi vide not. 4); forte et *ver præceps* XLIV, 30 pr. ubi vide not. 1.

7. *Quarta vigilia*, hora matutina tertia. Conf. ad Silium, VII, 154 sq. *Signa proferre*, movere s. promovere castra s. milites, *vorrücken*.

8. *Muro Ardeæ brachium injunxerat*, partem munitionis ex reliquo opere transversim procurrentem, ut fere opera, quæ *tenailles* hodie dicunt, h. l. *Communicationswall od. Linie*, et XXII, 52 pr. (ubi confer Drak.) agger transversus, Str. *Brachia*, gr. σκέλη (ut apud Polygen. pag. 84, et Diodor. XIII, 107), munitiones earumque inpr. partes prominentes, vel in longitudinem directæ, vel curvatæ in modum arcus; vide IV, 22, n. 52; XXXVIII, 5; Inttp. Suet. Claud. 20; Frontin. Strat. III, 17, 5; Hirt. bel. Alex. 80; Prop. III, 20 al. XXI, 24; Virg. Æneid. III, 535; Lips. lib. 11, Poliorcet. dial. 2. — *Injunxerat*, ut X, 34; XXVII, 41 al.

Cap. X. 1. *Rapto in diem frumento*, quovis die, singulis diebus, ut VIII, 23, n. 8; XXXI, 29, XXXIV, 19; et *ad diem* XXIII, 21, n. 1; *in horas* apud Horat. Sat. II, 7, 10 al.; nisi

loquium consule evocato, *si solvendæ obsidionis causa venerit Romanus, abducturum se inde Volscos*, ait. Adversus ea consul, *victis conditiones accipiendas esse, non ferendas*, respondit; *neque, ut venerint ad oppugnandos socios populi romani suo arbitrio, ita abituros Volscos esse. Dedi imperatorem, arma poni,* jubet, *fatentes victos se esse, et imperio parere. Aliter tam abeuntibus quam manentibus se hostem infensum, victoriam potius ex Volscis, quam pacem infidam, Romam relaturum.* Volsci[2] exiguam spem in armis, alia undique abscissa, quum tentassent, præter cætera adversa loco quoque iniquo ad pugnam congressi, iniquiore ad fugam, quum ab omni parte cæderentur, ad preces a certamine versi, dedito imperatore traditisque armis, sub[3] jugum missi, cum singulis vestimentis ignominiæ cladisque pleni dimittuntur. Et quum haud procul urbe Tusculo consedissent, vetere Tusculanorum odio inermes oppressi dederunt pœnas, vix nuntiis cædis relictis. Romanus Ardeæ turbatas seditione res, principibus ejus motus securi percussis, bonisque[4] eorum in publicum Ardeatium redactis, composuit: demptamque[5] injuriam judicii tanto beneficio populi romani Ardeates credebant; senatui superesse aliquid ad delendum publicæ avaritiæ monimen-

malis explicare *pro uno die*, in unum diem, vel jungere cum *aluisset*, ut *in diem vivere rapto* XXII, 39, n. 6.

2. *Volsci exiguam spem*, quæ ipsis reliqua et *in armis* tantum posita erat, *quum tentassent* (ut XXI, 12; XLIV, 45, et al.), *alia* quavis, omni reliqua, scilicet spe (sive pacis sive fugæ) *undique abscissa;* v. ad XXX, 32, n. 4. *Alia* etiam passim dicuntur reliqua, ut τὰ μὲν ἄλλα, ἄλλος στρατὸς, etc. Cf. I, 12, n. 8; II, 23, n. 6; XI, 3, n. 54; V, 13, n. 6; I, 7, n. 26; VIII, 25, n. 9; IV, 21, n. 27; XXII, 11, n. 30; LVI, 23, n. 40; XXIV, 1; XXXVIII, 24; XL, 12; XLI, 8.

3. *Sub jugum missi*, vide ad III, 28, n. 7. — *Romanus*, scilic. consul, quæ vox addita in multis editionibus, sed passim omissa est. Confer princ. hujus capitis, et ad XXXII, 11, n. 4.

4. *Bonis eorum in publicum redactis*, vide ad II, 9, n. 4.

5. *Demptam injuriam judicii*, vide

tum videbatur. Consul triumphans in Urbem redit, Clœlio duce Volscorum ante currum ducto, prælatisque spoliis, quibus dearmatum exercitum hostium sub jugum miserat. Æquavit, quod haud facile est, Quintius consul togatus armati gloriam collegæ: quia concordiæ pacisque[6] domesticam curam, jura infimis summisque moderando, ita tenuit, ut eum et Patres severum consulem, et plebs satis comem crediderint: et adversus tribunos auctoritate plura, quam certamine, tenuit. Quinque consulatus, eodem tenore gesti, vitaque omnis, consulariter acta, verendum pæne ipsum magis, quam honorem, faciebant: eo tribunorum militarium nulla mentio his consulibus fuit.

XI. Consules creant M. Fabium Vibulanum, Postumum Æbutium Cornicinem. Fabius et Æbutius consules, quo[1] majori gloriæ rerum, domi forisque gestarum, succedere se cernebant (maxime autem memorabilem annum apud finitimos socios hostesque esse, quod Ardeatibus in re[2] præcipiti tanta foret cura subventum), eo impensius, ut delerent prorsus ex animis hominum infamiam judicii, senatusconsultum fecerunt, ut, quoniam civitas Ardeatium intestino tu-

III, 71, n. 72. — *Æquavit consul togatus armati gloriam collegæ*, vide ad III, 15, n. 1.

6. *Pacisque domesticam curam*, pro *domesticæ;* vide ad I, 1, n. 6. — *Pæne ipsum*, emphatice, ejus personam.

CAP. XI. 1. *Quo majori gloriæ rerum succedere*, h. e. quo majoris gloriæ viris seu consulibus, etc., abstr. pro concr. ut XXIV, 5 pr. *succedere tantæ caritati Hieronis*, h. e. Hieroni tam caro civibus, et XXXVII, 58, n. 5; *ne cognomini fratris cederet*, forte et IX, 18; *male gestis rebus alterius successum est.* Confer ad III, 15, n. 8, et ad Juvenal. IV, 39, 81, et Sil. IV, 599.

2. *In re præcipiti*, vide ad Præfat. n. 12. — *Infamiam judicii*, vide III, 71, n. 72. Hæc vera senatusconsulti causa non *palam relata in tabulas* (v. ad cap. 8, n. 4), sed alia, eaque similata, ut plebs et tribuni ignorarent, a consulibus esse *initum*, captum, *consilium*, *judicii* infamis, cujus illi auctores fuerant, *rescindendi*, tollendi, irritum illud faciendi.

multu redacta ad paucos esset, coloni[3] eo præsidii causa adversus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque falleret judicii rescindendi consilium initum : consenserant autem, ut, multo majore parte rutulorum colonorum, quam romanorum, scripta, nec ager ullus divideretur, nisi is, qui interceptus judicio infami erat; nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur : sic ager ad Ardeates rediit. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elva : qui, per minime populare ministerium agro assignando sociis, quem populus romanus suum judicasset, quum plebem offendissent, ne primoribus quidem[4] Patrum satis accepti, quod nihil gratiæ cujusquam dederant; vexationes, ad populum jam die dicta ab tribunis, coloni adscripti remanendo in colonia, quam testem integritatis justitiæque habebant, vitavere.

XII. Pax domi forisque fuit, et hoc, et insequente anno, C. Furio Pacilo, et M. Papirio Crasso consulibus. Ludi, ab decemviris[1], per secessionem plebis a Patribus, ex senatusconsulto voti, eo anno facti sunt.

3. *Coloni eo scriberentur*, h. e. mitterentur scribendi, ut V, 24, n. 2. Coloniæ non omnes fuerunt militares.

4. *Ne primoribus quidem Patrum satis accepti*, grati, *quod nihil gratiæ cujusquam dederant*, quod in distribuendis agris nullius auctoritatem seu gratiam sequuti essent, haud favore vel amicitia alicujus se ab justo abduci passi essent, Stroth. Confer ad III, 58, n. 4.—*Coloni adscripti*, sc. veteribus colonis. Al. *colonis*, quod facilius est. At conf. VIII, 14, n. 7.

Cap. XII. 1. *Ludi ab decemviris, per secessionem plebis a Patribus, ex senatusconsulto voti, eo anno facti sunt.* Ita in recentioribus excusis interpungitur, unde sequi debet, ludos ab decemviris eo anno factos esse; quum tamen hoc anno nulli fuerint decemviri. Merito igitur distinguit Drakenborch., *Ludi, ab decemviris per secessionem*, etc., ut indicetur, hoc anno factos esse ludos, qui, quo tempore plebs a Patribus secesserat, ex senatusconsulto a decemviris voti erant. Ed. *Per secessionem plebis a Patribus*, vide ad II, 18, n. 1.

Causa seditionum nequidquam a Pœtelio[2] quæsita; qui, tribunus plebis iterum ea ipsa denuntiando factus, neque, ut de agris dividendis plebi referrent consules ad senatum, pervincere potuit: et, quum magno certamine obtinuisset, ut consulerentur Patres, consulum an tribunorum placeret comitia haberi, consules creari jussi sunt; ludibrioque erant minæ tribuni, denuntiantis se delectum impediturum; quum, quietis finitimis, neque bello, neque belli apparatu opus esset. Sequitur hanc tranquillitatem rerum annus, Proculo Geganio Macerino, L. Menenio Lanato consulibus, multiplici clade ac periculo insignis, seditionibus, fame, regno[3] prope per largitionis dulcedinem in cervices accepto. Unum afuit bellum externum; quo si aggravatæ res essent, vix[4] ope deorum omnium resisti potuisset: cœpere a fame mala, seu adversus annus frugibus fuit, seu dulcedine[5] concionum et Urbis deserto agrorum cultu: nam utrumque traditur: et Patres plebem desidem, et tribuni plebis nunc fraudem nunc negligentiam consulum accusa-

2. *A Pœtelio, qui tribunus plebis* superiore anno fuerat, et ut tam agri dividerentur plebi, quam tribuni militum cons. potest. crearentur, contenderat (quæ tamen omnia Livius supra silentio prætermisit); nunc *tribunus pl. iterum factus est denunciando ea ipsa*, h. e. se easdem rogationes laturum.

3. *Regno prope per largitionis dulcedinem*, per periculosas largitiones Sp. Mælii, regni consilia agitantis (v. cap. 13), *in cervices accepto* a populo romano, quod proprie dicitur de animalibus, quorum cervicibus juga imponuntur. — *Afuit*, sic omnes MSS, non *abfuit*. — *Aggravare* de pondere dicitur, quod oneri per se jam gravi superadditur, Stroth. Conf. VI, 27 pr. XXII, 8; XLIV, 7. Sic et *premere*, et *onerare* onerosius graviusque reddere, et hinc augere V, 39, n. 8; XXXIV, 62, 2; XXXVIII, 56 extr. ut contra *levare* et *elevare*. Confer ad III, 13, n. 1; III, 21, n. 5, et Tac. Ann. I, 69, 7.

4. *Vix ope deorum omnium resisti potuisset*, sc. quin obruerentur res, vel obrueretur res, h. e. respublica rom. ut inf. cap. 43 extr. Alii legunt *sisti*, de quo v. ad II, 29, n. 7. Sed ita quoque reponendum *potuissent*, scil. res aggravatæ. — *Cœpere a fame mala*, initium malorum fuit fames.

5. *Dulcedine concionum*, v. ad III, 72, n. 4. Codd. nostri, *dulcedine conditionum urbis*, sine copula. Ed.

bant. Postremo perpulere plebeii, haud adversante senatu, ut L. Minucius præfectus[6] annonæ crearetur; felicior in eo magistratu ad custodiam libertatis futurus, quam ad curationem ministerii sui : quanquam postremo annonæ[7] quoque levatæ haud immeritam et gratiam et gloriam tulit : qui quum, multis circa finitimos populos legationibus terra marique nequidquam missis (nisi quod ex Etruria haud ita multum frumenti advectum est), nullum momentum annonæ fecisset, et, revolutus[8] ad dispensationem inopiæ, profiteri cogendo frumentum et vendere, quod usu menstruo superesset, fraudandoque[9] parte diurni cibi servitia, criminando, inde et objiciendo iræ populi frumentarios, acerba inquisitione aperiret magis, quam levaret, inopiam; multi ex plebe, spe amissa, potius quam ut cruciarentur trahendo animam, capitibus[10] obvolutis se in Tiberim præcipitaverunt.

XIII. Tum Sp. Mælius ex equestri ordine, ut illis

6. *Præfectus annonæ* magistratus extraordinarius temporibus liberæ reipublicæ, propter caritatem annonæ interdum creatus, ordinarius autem ab Augusto factus dictusque *curator frumenti populo dividundi* (vide Suet. Aug. 37), qui annonæ curam habebat, canonem exigebat frumentarium, tesserasque frumentarias, aut panes dividebat.

7. *Annonæ levatæ*, vide ad II, 34, n. 13, et III, 21, n. 5; *nullum momentum annonæ fecisset*, ejus pretium nihil fere levasset, vel ad illud minuendum nil valuisset. Confer ad I, 47, n. 7, et III, 27, n. 6.

8. *Revolutus*, necessitate redactus (conf. V, 11 pr.), *ad dispensationem*, distributionem, *inopiæ*, exiguæ, quæ supererat in Urbe, frumenti copiæ, *cogendo*, eo quod quemvis cogeret *profiteri frumentum*, quantum ipsi restaret frumenti, etc. — Mox *usu* more antiquo pro *usui* (quod multi exhibent libri), ut VII, 2; *versu* IX, 5; *exercitu*, XXII, 2 pr. *delectu*. Conf. ad Sil. III, 88; ad Tacit. Annal. III, 30, 5, et infr. ad V, 13, n. 4. Sic contra *classi* (IV, 34, n. 3; XXIV, 40, n. 1; XXX, 9, n. 5; *sorti* (IV, 37, n. 5), *igni*, *colli*, *amni*, *cædi* pro *sorte*, *classe*, etc. Confer ad cap. 37, n. 5; ad XXIV, 40, n. 1; Sil. VII, 368; VIII, 125; X, 462.

9. *Fraudando.... servitia*, servos. Conf. II, 10 extr. — *Frumentarii* mercatores, qui lucri causa frumentum coemunt, ut majori pretio postea divendant, Drak.

10. *Capitibus obvolutis se in Tiberim præcipitaverunt*, conf. Horat. Sat. II, 3, 37 ibique Intpp.

temporibus, prædives, rem utilem, pessimo exemplo, pejore consilio, est aggressus: frumento namque ex Etruria privata pecunia per hospitum clientiumque ministeria coempto (quæ, credo, ipsa res[1] ad levandam publica cura annonam impedimento fuerat), largitiones frumenti facere instituit plebemque, hoc munere delenitam, quacumque incederet, conspectus elatusque supra modum hominis privati, secum trahere, haud dubium consulatum favore ac spe despondentem. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo quod fortuna spondet, ad altiora et non concessa tendere: et, quoniam consulatus quoque eripiendus invitis Patribus esset, de regno agitare: id unum dignum tanto apparatu consiliorum et certamine[2], quod ingens exsudandum esset, præmium fore. Jam comitia consularia instabant: quæ res eum, necdum compositis maturisve satis consiliis, oppressit. Consul sextum creatus T. Quintius Capitolinus, minime opportunus vir novanti res: collega additur ei Agrippa Menenius, cui Lanato erat cognomen: et L. Minucius præfectus annonæ, seu refectus, seu, quoad res posceret, in incertum[3] creatus: nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minucius, eamdem[4] publice curationem agens, quam Mælius pri-

Cap. XIII. 1. *Ipsa res... impedimento fuerat*, quod, scil. frumentum omne prius ab eo privatis sumptibus coemptum esset, et nihil relictum publice coempturis. — *Conspectus*, vide ad II, 5, n. 8. — *Despondentem* plebem, spondentem, destinantem, ut XXVI, 37, n. 2.

2. *Certamine, quod ingens*, etc. pro *certamine ingenti, quod exsudandum esset*, multo sudore, scil. labore sustentandum et conficiendum; ut passim *sudare* et *exsudare*. — *Compositis consiliis*, vide ad III, 53, n. 2. — *L. Minucius* Augurinus, qui *P.* dicitur Plin. XXXIV, 5, et *T. Minucius C. F.* in denario quodam vetusto.

3. *In incertum creatus*, sc. tempus. — *In libros linteos*, v. ad c. 7, n. 7.

4. *Eamdem... curationem agens*, h. e. publico nomine, mandato, sumptu et auctoritate. Ita legitur ex emend.

vatim agendam susceperat, quum in utraque domo genus[5] idem hominum versaretur, rem compertam ad senatum refert: *Tela in domum Mælii conferri, eumque conciones domi habere; ac non dubia regni consilia esse: tempus*[6] *agendæ rei nondum stare; cætera jam convenisse; et tribunos mercede emptos ad prodendam libertatem, et partita ducibus multitudinis ministeria esse: serius se pæne, quam tutum fuerit, ne cujus incerti vanique auctor esset, ea deferre.* Quæ postquam sunt audita, et undique primores Patrum et prioris anni consules increparent, quod eas largitiones cœtusque plebis in privata domo passi essent fieri, et novos consules, quod exspectassent, donec a præfecto annonæ tanta res ad senatum deferretur, quæ consulem[7] non auctorem solum desideraret, sed etiam vindicem; tum T. Quintius, *consules immerito increpari*, ait, *qui, constricti legibus de provocatione ad dissolvendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi, haberent: opus esse non forti solum viro, sed etiam libero exsolutoque legum vinculis: itaque se dictatorem L. Quintium dicturum;*

Florebelli; at in omnibus MSS et edd. antt. *reipublicæ*, quod minus quidem aptum, sed non plane ineptum est, vide ad II, 64, n. 3.

5. *Genus idem hominum*, scil. qui coemerent frumentum. — Mox pro *conciones* Gron. conj. *coitiones*, h. e. cœtus clandestinos, ut mox *cœtus plebis*; v. ad II, 28, n. 3. Sed *conciones* eodem quoque sensu capi possunt.

6. *Tempus nondum stare*, constitutum, definitum esse. Similiter *sententia ei stat*, h. e. non dubia est, sed certa et firma (ut al. *ei constat*), XXI, 29, 30 pr. XXX, 4; et *non satis constabat animis* XXVII, 44 pr. Confer ad XXXII, 19, n. 5.

7. *Consulem auctorem*, vide ad II, 58, n. 1. — *Libero exsolutoque legum vinculis*. Ex his Quintii verbis colligi posse videtur, inquit Creverius, a dictatore tunc provocationem ad populum non fuisse. Tamen l. III, c. 55, Livius latam esse legem memoravit, *Ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet*. Verum fortasse lege illa sancitum jus nondum pro firmato stabat, neque adhuc potuerat antiquitus assignatam dictaturæ majestatem imminuere. Ed.

ibi animum parem tantæ potestati esse. Approbantibus cunctis, primo Quintius abnuere: et, *quid sibi vellent*, rogitare, *qui se ætate exacta tantæ dimicationi objicerent.* Dein, quum undique plus in illo senili animo non consilii modo, sed etiam virtutis esse, quam in omnibus aliis dicerent, laudibusque haud immeritis onerarent, et consul nihil remitteret; precatus tandem deos immortales Cincinnatus, ne senectus sua in tam trepidis rebus damno dedecorive reipublicæ esset, dictator a consule dicitur: ipse deinde C. Servilium Ahalam magistrum equitum dicit.

XIV. Postero die, dispositis præsidiis, quum[1] in forum descendisset, conversaque in eum plebs novitate rei[2] ac miraculo esset, et Mæliani, atque ipse dux eorum, in se intentam vim tanti imperii cernerent; expertes consiliorum regni, *qui tumultus, quod bellum repens, aut dictatoriam majestatem, aut Quintium post octogesimum annum rectorem reipublicæ quæsisset,* rogitarent; missus ab dictatore Servilius magister equitum ad Mælium; *vocat te,* inquit, *dictator.* Quum pavidus ille, *quid vellet,* quæreret; Serviliusque *causam dicendam esse* proponeret, *crimenque, a Minucio delatum ad senatum, diluendum;* tunc Mælius recipere se in catervam suorum; et primum circumspectans, tergiversari: postremo, quum apparitor jussu magistri equitum duceret, ereptus a circumstantibus, fugiensque, fidem plebis romanæ implorare: et opprimi se consensu Patrum dicere, quod plebi benigne fecisset: orare, ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent, neve ante oculos suos trucidari

Cap. XIV. 1. *Quum in forum descendisset,* v. ad II, 54, n. 13.—*Conversa*que; *que* abest a nostris. Ed.

2. *Novitate rei ac miraculo*, quum nec *tumultus*, nec *bellum repens dictatoriam majestatem quæreret*, requireret, exigeret.—*Expertes*, ignari, *consiliorum regni*, a Mælio agitatorum.

sinerent. Hæc eum vociferantem assequutus Ahala Servilius obtruncat; respersusque cruore obtruncati, stipatus caterva patriciorum juvenum, dictatori renuntiat, vocatum ad eum Mælium, repulso apparitore concitantem multitudinem, pœnam meritam habere. Tum dictator; *Macte*[3] *virtute*, inquit, *C. Servili, esto, liberata republica.*

XV. Tumultuantem deinde multitudinem incerta existimatione[1] facti ad concionem vocari jussit; et, *Mælium jure cæsum* pronuntiavit, *etiam si regni crimine insons fuerit; qui vocatus a magistro equitum ad dictatorem non venisset. Se ad causam cognoscendam consedisse; qua cognita, habiturum fuisse Mælium similem*[2] *causæ fortunam: vim parantem, ne judicio se committeret, vi coercitum esse: nec cum eo, tanquam cum cive, agendum fuisse; qui natus in libero populo inter jura legesque, ex qua urbe reges exactos sciret, eodemque anno sororis*[3] *filios regis et*

3. *Macte virtute esto*, v. ad II, 12, n. 10. Mælium jussu dictatoris occisum tradunt alii; v. ad Epit. IV, n. 1.

Cap. XV. 1. *Incerta existimatione*, judicio (ut IV, 20, n. 7; IV, 41, n. 2; XXIII, 47, n. 3; XXXIV, 2), æstimatione (ut alii legunt: nam *æstimare* non modo est cogitare, seu reputare, sed etiam, ut *existimare*, cognoscere, judicare; conf. ad Tac. Ann. XV, 21, n. 1: at *existimare aliquid* etiam pro *existimare de aliqua re* dicitur; vide ad Præf. n. 12; Drak. ad XXXIV, 2, et Intpp. Suet. Calig. 60 pr.), *facti*, h. e. quum incerta, seu dubia esset multitudo, quid de hoc facto existimaret, seu judicaret. Conf. XXII, 59, n. 7; XXX, 23, n. 1.—Mox *insons crimine*, ut *crimine innoxius* et *noxius* IV, 44; VII, 20.

2. *Similem causæ fortunam*, causæ respondentem, sive bonam sive malam; vel eamdem fere, quam nunc expertus sit.—*Natus inter jura legesque*, ut *inter ferrum et arma natos* Gallos X, 16, n. 2. Confer ad V, 37, n. 6; et ad Sil. I, 341; III, 335.

3. *Sororis filios regis*, immo *nepotes, liberos* Bruti *consulis*, qui Tarquinia sorore regis natus erat; v. I, 56. Hinc Sigon. delet vocem *regis*, quæ a multis MSS abest, et voc. *consulis* bis accipit, ut intelligantur Vitellii Aquilliique, ex duabus sororibus Collatini nati; vide ad Epit. II, n. 1. Eosdem significari, et *regem* pro cognato regis dici, putabat Glar. Sed de solis Bruti filiis h. l. sermonem esse propter verba seqq. *a patre securi esse percussos*, et vel *nepotes* nonnunquam *filios* dici, vel potius rei augendæ causa ita dictos, vel Livium memoria lapsum esse

liberos consulis liberatoris patriæ, propter pactionem indicatam recipiendorum in urbem regum, a patre securi esse percussos; ex qua Collatinum Tarquinium consulem nominis odio abdicare se magistratu atque exsulare jussum; in qua de Sp. Cassio, post aliquot annos, propter consilia inita de regno supplicium sumptum; in qua nuper decemviros bonis, exsilio, capite mulctatos[4] *ob superbiam regiam: in ea Sp. Mælius spem regni conceperit. Et quis homo? quanquam nullam nobilitatem, nullos honores, nulla merita cuiquam ad dominationem pandere viam; sed tamen Claudios, Cassios, consulatibus, decemviratibus, suis majorumque honoribus, splendore familiarum sustulisse animos, quo nefas fuerit: Sp. Mælium, cui*[5] *tribunatus plebis magis optandus, quam sperandus, fuerit, frumentarium divitem, bilibris*[6] *farris sperasse libertatem se civium suorum emisse, ciboque objiciendo ratum victorem finitimorum omnium populum in servitutem perlici posse: ut, quem senatorem concoquere civitas vix posset, regem ferret, Romuli conditoris, ab diis orti, recepti ad deos, insignia atque imperium habentem: non*[7] *pro scelere id magis, quam pro monstro, habendum: nec satis esse sanguine ejus expiatum,*

monet Drak. Quæ omnia parum probabilia sunt. Forte interpolatores indocti *filios* nobis pro *nepotibus* obtrusere. Confer ad Epit. II, n. 1. Mox *propter pactionem initam* conj. Bauer.

4. *Capite mulctatos*, scil. sciret.— *Quo nefas fuerit*, scil. eos sustulisse animos, seu aspirasse.

5. *Cui tribunatus plebis*, etc. qui ne eo quidem dignus erat. — *Frumentarium divitem*, vide ad cap. 12, n. 8.

6. *Bilibris*, duabus libris, *farris*, tam vili pretio, singulis civibus dato, *sperasse libertatem se civium suorum emisse*, suam dominationem et servitutem civium. *Bilibra* substant. ut *selibra, bilanx, bimensis.* Veteres autem frumentum non modo metiri, sed et appendere solebant, ut nos panem et farinam: sic in lege XII tabularum ap. Gellium, lib. xx, cap. 1, *Si volet, suo vivito: ni vivit, qui eum vinctum habebit, libram farris in diem dato.* Ed. — *Far* etiam pro *farina* dicitur. Conf. V, 47, et VI, 17. — *Cibo objiciendo*, ut canibus objicitur.

7. *Non pro scelere id magis, quam pro monstro* sceleris, scelere monstro-

nisi tecta parietesque, intra quæ tantum amentiæ conceptum esset, dissiparentur; bonaque, contacta pretiis regni mercandi, publicarentur. Jubere itaque, quæstores vendere[8] *ea bona, atque in publicum redigere.*

XVI. Domum deinde, ut monimento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo jussit: id Æquimælium[1] appellatum est. L. Minucius[2] bove aurato extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe qui-

so. *Monstra* dicuntur omnes res insolitæ et portentosæ, vel quæ præter naturam fiunt. — *Contacta*, vide ad II, 5, n. 3.

8. *Vendere ea bona atque in publicum*, ærarium, *redigere*, h. e. pecuniam e venditis bonis redactam, ut *bona petita in fiscum* apud Tac. Ann. II, 48. Confer ad II, 9, n. 4.

Cap. XVI. 1. *Æquimælium* locus prope Capitolium et sub eo, in vico Jugario (vide XXIV, 47, et XXV, 31), sic dictus, quod ibi solo est *æquata Mælii* domus. Conf. Cic. pro domo XXXVIII; et de Div. II, 17.

2. *L. Minucius bove aurato donatus est*, h. e. bove æreo eoque aurato, quod monimentum erat, ut et *statua*, quam eidem Minucio *extra portam Trigeminam a populo stipe collata statutam esse* tradit Plin. XVIII, 3 seu 4; et XXXIV, 5 seu 11: quæ statua expressa in nummis apud Patin. pag. 179, et Liebe in Gotha nummaria, p. 233 al. unde Clericus conjiciebat, statuam hanc fuisse simulacrum bovis deauratum, sed vir doctus in Miscell. Obss. t. v, p. 210 sq. post *aurato* excidisse verba *et statua*. Alii h. l. legendum putant *bove aratore*, scil. *aratorio*, vel *bove tauro*, vel *binis æris*, vel *bove et agro*, seu *auro*, seu *arvo*, seu *ac prato*. Forte tamen *bos auratus* h. l. ut XXV, 12, est bos auratis cornibus (ut VII, 37; et fere *aurati milites* IX, 40, n. 5), non vero destinatus ad sacrificium a Minucio, aut ejus nomine faciendum, sed præmium virtutis virorumque de republica bene meritorum, quos vel multis bobus, vel eximio quodam albo, opimo et auratis cornibus donatos legimus VII, 26, n. 37; et XXVI, 48 extr. ut heroes Homericis temporibus, quibus census erat in pecudibus; unde ex iis et præmia proponi solebant, et mulctæ irrogari. Cf. Plin. XXXIII, 2, et Intpp. Hom. Il. β, 449, et ζ, 236. Ad sacrificium tamen spectat locus XXV, 12 (coll. Macrob. Satur. I, 17), ubi reperimus *sacra bobus caprisque auratis Apollini et Latonæ facta græco ritu:* nam Græci, humanos affectus moresque ad deos transferre soliti, in publicis potissimum et majoribus sacrificiis, vel gravi calamitate imminente oblatis, victimas, ut eo gratiores diis essent, non modo coronis, infulis et floribus, sed auratis etiam cornibus ornabant; vide Plin. XXXIII, 3, seu 12 (qui majores duntaxat hostias ita decoratas tradit; quod falsum esse, vel ex Liv. XXV, 12 intelligitur); Hom. Il. X, 294; Odyss. III, 382 sq. 425 sq. 433 sq. Virg. Æn. IX, 627; Broukh. ad Tibull. IV, 1, 15, et Lakemacheri Observat. philol. p. 1, obs. 3; de ritu judaico, cornua victimæ deaurandi coronandique p. 79 sq. — Nostri Codd. ferunt *bove aurato*. Ed.

dem invita quia frumentum Mælianum, assibus[3] in modios æstimatum, plebi divisit. Hunc Minucium, apud quosdam auctores, transisse a Patribus ad plebem, undecimumque tribunum plebis cooptatum seditionem, motam ex Mæliana cæde, sedasse, invenio: ceterum vix credibile est, numerum tribunorum Patres augeri passos, idque potissimum exemplum a patricio homine introductum; nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse, aut certe tentasse : sed ante omnia refellit falsum[4] imaginis titulum paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret. Q. Cæcilius, Q. Junius, Sext. Titinus, soli ex collegio tribunorum neque tulerant de honoribus Minucii legem; et criminari nunc Minucium, nunc Servilium apud plebem, querique indignam necem Mælii non destiterant. Pervicerunt igitur, ut tribunorum militum potius, quam consulum, comitia haberentur; haud dubii, quin sex[5] locis (tot enim jam creari licebat) et plebeii aliqui, profitendo se ultores fore Mælianæ cædis, crearentur. Plebs, quanquam agitata multis eo anno et variis motibus erat, nec plures, quam tres, tribunos consulari potestate creavit, et in iis L. Quintium Cincinnati filium : ex cujus dictaturæ invidia tumultus quærebatur. Prælatus[6] suffragiis Quintio

3. *Assibus in modios æstimatum*, modio quovis non pluris vendito quam uno asse; qui tamen tum libralis erat. — *Apud quosdam auctores*, ut et ad Plin. XVIII, 3, seu 4. — *Obtinuisse*, v. ad III, 36, n. 12. — Nostri Codd. habent *plebi concessum :* sed male. Ed.

4. *Falsum imaginis titulum*, titulum, *tribunus plebis*, falso subscriptum imagini Minucii cum aliis *titulis*, seu indicibus honorum rerumque in quovis magistratu gestarum. Confer VIII, 40; X, 7 extr. XXII, 31 extr. — *Lege cautum*, v. ad I, 53, n. 1; et de hac *lege* III, 65.

5. *Sex locis* tribunorum mil., ut passim *loca* de honoribus, vel magistratibus, eorumque numero, ut IV, 57 extr. V, 2, n. 10; VI, 37, n. 3; VIII, 35, n. 7; X, 8, n. 15; XXXV, 10, n. 1; XLII, 34, n. 11. Similiter ἐλλείπουσιν αἱ χῶραι dixit Polyb. XXXV, 4, 4; ut *loca vacua relinquuntur* supr. III, 35, n. 2; gall. *les places vacantes.*

6. *Prælatus suffragiis Quintio*, ante eum, adeoque primus, est creatus.

Mam. Æmilius, vir summæ dignitatis. L. Julium tertium creant.

XVII. In horum magistratu Fidenæ, colonia romana, ad Lartem [1] Tolumnium Veientium regem ac Veientes defecere. Majus additum defectioni scelus. C. Fulcinium, Clœlium Tullum, Sp. Antium, L. Roscium, legatos romanos, causam novi consilii quærentes, jussu Tolumnii interfecerunt. Levant quidam regis facinus: in tesserarum prospero jactu vocem [2] ejus ambiguam, ut occidi jussisse videretur, ab Fidenatibus exceptam, causam mortis legatis fuisse. Rem incredibilem; interventu Fidenatium, novorum sociorum, consulentium de cæde ruptura jus gentium, non aversum ab intentione lusus animum: nec [3] deinde in horrorem versum facinus. Propius est fidem, obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis posset, conscientia tanti sceleris voluisse. Legatorum [4], qui Fidenis cæsi erant, statuæ publice in Rostris positæ sunt. Cum Veientibus Fidenatibusque, præterquam finitimis populis, ab causa etiam tam nefanda bellum exorsis, atrox dimicatio instabat. Itaque ad [5] curam summæ rerum, quieta plebe tribunisque ejus, nihil controversiæ fuit, quin consules crearentur M. Gega-

Cap. XVII. 1. *Lartem Tolumnium*, vide ad II, 9, n. 1. — *Clœlium Tullum*, vide ad III, 1, n. 1; *Sp. Antium*, al. *Nautium*. De utroque vide Drak. ad h. l. et Intpp. Cic. Phil. IX, 3, et Plin. XXXIV, 6, seu 11.

2. *Vocem ejus ambiguam*, etc. cujusmodi v. c. fuisset, si interrogantibus Fidenatibus, utrum legati romani ipsi trucidandi viderentur, ad *prosperum jactum tesserarum* (unice intentus aleæ) exclamasset: *optime!* Stroth.

3. *Nec deinde*, postquam satiatus ludo ad seria redierit, *in horrorem versum esse facinus*, effecisse ut horreret illud. — *Respicere spem ullam*, ullam veniam, vel quidquam exspectare et sperare: nam respiciendi gestus indicat exspectationem et spem; Ern. Conf. c. 46, n. 6.

4. *Legatorum statuæ publice in Rostris* (v. ad I, 34, n. 14) *positæ sunt*, confer Plin. XXXIV, 6, seu 11; et Cic. Phil. IX, 2. — *Præterquam finitimis*, etc. vide ad V, 14, n. 5.

5. *Ad curam summæ rerum nihil controversiæ fuit*, vide ad I, 7, n. 7; et III, 5, n. 6.

nius Macerinus tertium et L. Sergius Fidenas; a bello credo, quod deinde gessit, appellatum: hic enim primus cis Anienem cum rege Veientium secundo prælio conflixit, nec incruentam victoriam retulit. Major itaque ex civibus amissis dolor, quam lætitia fusis hostibus fuit: et senatus, ut in trepidis rebus, dictatorem dici Mam. Æmilium jussit. Is magistrum equitum ex collegio [6] prioris anni, quo simul tribuni militum consulari potestate fuerant, L. Quintium Cincinnatum, dignum parente juvenem, dixit. Ad delectum a consulibus habitum centuriones veteres belli periti adjecti, et numerus amissorum proxima pugna expletus. Legatos Quintium Capitolinum, et M. Fabium Vibulanum sequi se dictator jussit. Quum potestas major, tum vir quoque potestati par, hostes ex agro romano trans Anienem submovere: collesque [7] inter Fidenas atque Anienem ceperunt, referentes castra; nec ante in campos degressi sunt, quam legiones auxilio Faliscorum venerunt. Tum demum castra Etruscorum pro mœnibus Fidenarum posita: et dictator romanus haud procul inde ad [8] confluentes consedit in utriusque ripis

6. *Ex collegio prioris anni*, ex collegis, vel quod collegæ fuerant anno superiori. Cf. c. 22, 24, 26; XLIX, 5, n. 18, et ad III, 15, n. 8.—*Centuriones veteres belli periti*, ut *milites veteres, periti hostium bellique* XXXIV, 17. Vocem *periti* delendam putabat Gron. Sic *veteres belli, operis, militiæ*, etc. passim dicuntur Tacito et poetis, non Livio. Confer ad Tacit. I, 20, 5. — *Quum potestas major*. Hæc duo, nempe potestatis dictatoriæ, quæ major est consulari, terror, et virtus Mam. Æmilii tantæ potestati par, tantum vel sola fama valuere, ut hostes recederent ex agro romano trans Anienem, et referentes castra, ceperint colles inter Fidenas atque Anienem. Ed.

7. *Collesque inter Fidenas... ceperunt*, sc. hostes (confer ad II, 56, n. 1; sed et ad XXVIII, 12, n. 8), *referentes castra*, ut *referre pedem*, et contra *proferre castra*, seu *signa*. — *Quam legiones Faliscorum venerunt auxilio* Veientibus et Fidenatibus. Cf. cap. 18 med. — *Castra Etruscorum*, Faliscorum, quorum urbs Falerii.

8. *Ad confluentes* (vide ad I, 27, n. 3) *consedit*, castra posuit, ... *qua parte sequi*, petere ripas utriusque amnis, ad eas pervenire poterat, et indoles ac situs riparum permittebat, ut *munimento* sive *vallo interposito* tectus eas adire posset; Drak. *Sequi* amnes,

amnis, qua sequi munimento poterat, vallo interposito: postero die in aciem eduxit.

XVIII. Inter hostes variæ fuere sententiæ. Faliscus, procul ab domo militiam ægre patiens, satisque fidens sibi, poscere pugnam: Veienti Fidenatique plus spei in trahendo bello esse. Tolumnius, quanquam suorum magis placebant consilia, ne [1] longinquam militiam non paterentur Falisci, postero die se pugnaturum edicit. Dictatori ac Romanis, quod detrectasset pugnam hostis, animi accessere: posteroque die, jam militibus castra urbemque se oppugnaturos frementibus, ni copia pugnæ fiat, utrimque acies inter bina castra in medium campi procedunt. Veiens [2], multitudine abundans, qui inter dimicationem castra romana aggrederentur, post montes circummisit. Trium populorum exercitus ita stetit instructus, ut dextrum cornu Veientes, sinistrum Falisci tenerent, medii Fidenates essent. Dictator dextro cornu adversus Faliscos, sinistro contra Veientem Capitolinus Quintius intulit signa: ante mediam aciem cum equitatu magister equitum processit. Parumper silentium et quies fuit, nec Etruscis, nisi cogerentur, pugnam inituris, et dictatore arcem [3] romanam respectante, ut ab auguribus, simul aves rite admisissent, ex

h. e. *munimentum* ad utrumque amnem perducere *poterat, vallo interposito*, ita ut a duabus partibus amnibus, a tertia vero vallo tectus esset; Stroth. De locutione *sequi ripas* confer ad XXXII, 6, n. 3; ad Sil. I, 141; II, 87; Gronov. ad Sen. Epit. LXXVI; Burm. ad Valer. Flac. I, 3 et 66. — *In aciem eduxit*, vide ad I, 23, n. 3.

Cap. XVIII. 1. *Ne longinquam militiam*, longam, diuturnam (ut et *longus* pro *longinquo* dicitur), *non paterentur Falisci*, ne eam (tanquam onus) diutius ferre recusarent, detrectarent, gravarentur; nisi *longinqua* est remota, et exponere malis: *ne procul ab domo militiam ægre paterentur*, quod modo dixerat Livius.

2. *Veiens*, Veientium rex Tolumnius, ut al. *Romanus*; v. ad XXXII, 11, n. 4. — *Inter dimicationem*, ut cap. 19, *inter prælium*, h. e. dum præliantur; et XXXII, 29, *inter noctem*, dum nox est, noctu. Conf. ad XXIV, 30, n. 1; XXXVI, 20; XXXIX, 1, n. 2. — *Capitolinus Quintius*, v. ad III, 1, n. 1.

3. *Arcem romanam respectante*, etc.

composito tolleretur signum. Quod simul conspexit, primos equites clamore sublato in hostem emisit: secuta peditum acies ingenti vi conflixit: nulla parte legiones etruscæ sustinuere impetum Romanorum. Eques maxime resistebat; equitumque longe fortissimus ipse rex, ab omni parte effuse[4] sequentibus obequitans Romanis, trahebat certamen.

XIX. Erat tum inter equites tribunus militum A. Cornelius Cossus, eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par, memorque generis, quod, amplissimum acceptum, majus auctiusque reliquit posteris. Is quum ad impetum Tolumnii, quacumque[1] se intendisset, trepidantes romanas videret turmas, insignemque eum regio habitu volitantem tota acie cognosset; *Hiccine est*, inquit, *ruptor fœderis humani violatorque gentium juris? Jam ego hanc mactatam victimam, si modo sancti quidquam in terris esse dii volunt, legatorum manibus dabo.* Calcaribus subditis, infesta[2] cuspide in unum fertur hostem: quem quum ictum equo dejecisset, confestim et ipse hasta innisus, se[3] in pedes excepit: assurgentem

vide ad I, 6, n. 4.—*Simul*, simul ac, quamprimum (ut mox iterum, et passim), *aves rite admisissent*, vide ad I, 36, n. 3.

4. *Effuse sequentibus*, catervatim et cum impetu (v. ad I, 14, n. 7) persequentibus, urgentibus, prementibus hostem *Romanis*, ut de iisdem V, 28, n. 6. — *Trahebat certamen*, vide ad II, 61, n. 6.

Cap. XIX. 1. *Quacumque* parte *se*, seu iter *intendisset*, quo se vertisset, ivisset, contendisset; ut *intendere se* X, 43; XXI, 29, 30; *intendere* (vertere, dirigere) *iter aliquo* X, 43, n. 6; XXI, 29, n. 5; XXII, 9, n. 4; et *bellum* ac *pugnam* II, 50; XXI, 6, n. 5; XXVIII, 41, n. 4; *intendi* in hoc cap. extr., et simpl. *tendere*, scil. se, seu iter et cursum IX, 37; X, 36; XXI, 31; XXIII, 34; XXV, 32. Inde et XXIV, 5, n. 4, *tendere ad Carthaginienses* et *alii alio tendunt* XXIV, 28 pr. ubi mox synonym. dicitur *ad Carthaginienses inclinare*, et *alii alio trahunt res.* Hinc etiam *intendit pergere, ducere*, etc. XXVII, 42; XXXVI, 44, 45; XXXVIII, 2, pro *intendit se*, seu *animum*, seu *animo*, h. e. perpendit, vel constituit, vel contendit, adnititur.

2. *Infesta cuspide in* hunc *unum fertur*, vide ad I, 13, n. 2.

3. *Se in pedes* (ut al. *pedibus*) *excepit*, ex equo desiliit in pedes, h. e. terram, ut contra *subjicere* (h. e. sur-

ibi regem umbone[4] resupinat, repetitumque[5] sæpius cuspide ad terram affixit: tum exsangui detracta spolia, caputque abscissum victor spiculo gerens, terrore cæsi regis hostes fundit. Ita equitum quoque fusa acies, quæ una fecerat anceps certamen. Dictator legionibus fugatis instat, et ad castra compulsos cædit. Fidenatium plurimi locorum[6] notitia effugere in montes. Cossus, Tiberim cum equitatu transvectus, ex agro veientano ingentem detulit prædam ad urbem. Inter[7] prælium et ad castra romana pugnatum est adversus partem copiarum, ab Tolumnio, ut ante dictum est, ad castra missam. Fabius Vibulanus corona primum vallum defendit: intentos deinde hostes in vallum, egressus dextra[8] principali, cum triariis repente invadit. Quo pavore injecto, cædes minor, quia pauciores erant; fuga non minus trepida, quam in acie, fuit.

XX. Omnibus locis re bene gesta, dictator senatus consulto jussuque populi triumphans in urbem rediit: longe maximum triumphi spectaculum fuit Cossus,

sum, in altum jacere, ut *submittere, subrigere* et al.) *se*, seu *aliquem in equum* VI, 24; XXXI, 37.

4. *Umbone resupinat*, media clypei parte, ὀμφαλῷ, quo hostes repelli solebant. Confer V, 47, n. 6; IX, 41, n. 11; XXX, 34 pr. Curt. III, 10; Martial. III, 46; Sil. II, 256; XIV, 135; XV, 797.

5. *Repetitum cuspide*, iterum iterumque petitum, seu ictum, ut apud Ovid. Metam. IV, 733; V, 473; VI, 20 al. *ad terram affixit*, ut VIII, 7, *terræ affixit*. Confer ad XXI, 35, n. 10.— *Caputque abscisum* pro *abscissum* Drakenb. more suo scripsit. *Abscidere* vel *abcidere*, unde *abscisus* vel *abcisus*, et *abscidit* seu *abcidit*, media producta, ex *abs* vel *ab* et *cædere* compositum est: *abscindere* vero, unde *abscissus* et *abscidit* media correpta, ex *ab* et *scindere*. Verba itaque sunt fere synonyma: unde admodum variant editores et fluctuant. Cf. Drak. ad XXXI, 34; Gron. ad XLV, 5; Duk. ad Flor. II, 2; Oudend. ad Frontin. Strat. I, 4, 7; et alios, quos laudavi ad Sil. III, 552; XV, 470. — *Quæ una fecerat anceps certamen; fuerat* Leid. sec. Sæpius *fui* et *feci* confuderunt librarii. Ed.

6. *Locorum notitia*, ob eam, ea adjuti; ut passim ablat.

7. *Inter prælium*, vide ad cap. 18, n. 2.—*Corona* militum *vallum defendit*, vide ad II, 17, n. 3. — *Intentos in vallum*, conf. n. 1.

8. *Dextra principali* porta. Conf. ad III, 5, n. 3; et de *triariis* VIII, 8.

spolia[1] opima regis interfecti gerens : in eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo, canere : spolia in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ, prima Opima appellata, sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit : averteratque in se a curru dictatoris civium ora, et celebritatis ejus diei fructum prope solus tulerat. Dictator coronam[2] auream libram pondo ex publica pecunia, populi jussu, in Capitolio Jovi donum posuit. Omnes ante me auctores secutus, A. Cornelium Cossum tribunum militum secunda spolia opima Jovis Feretrii templo intulisse, exposui : cæterum, præterquam quod ea[3] rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxit, nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur; titulus[4] ipse, spoliis inscriptus, illos meque arguit, consulem ea Cossum

Cap. XX. 1. *Spolia opima gerens*,... et *in æde Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quæ prima*, primum, *opima appellata* et *sola*, sic appellata, *ea tempestate erant* (v. ad I, 10, n. 3), *dono*, diis sacrato, *fixit*, tanquam ἀναθήματα in parietibus, vel postibus foribusve templi suspendit : de quo more v. Ind., ad X, 2, n. 11; ad Sil. I, 617 sq. XIV, 650; et Perizon. Anim. hist. c. 7.—*Carmina incondita*, rudia, incompta et extemporalia, αὐτοσχεδιάσματα, in quibus nec metri, nec numeri, vel modi ac rhythmi ratio habebatur, *in eum milites canere*, noto in triumphis more. Conf. IV, 53; V, 49; VII, 10 et 38; X, 30; XXIV, 29 pr. (ubi *multitudo incondita* est rudis, inculta, et *tumultuosa*) XXIV, 24, n. 2; et VII, 2, ubi iidem versus primum *inconditi*, deinde *incompositi et rudes* dicuntur.

2. *Coronam auream libram pondo*, vide ad III, 29, n. 1.

3. *Ea rite opima spolia habentur*, etc. sed vide ad I, 10, n. 3; et inpr. Perizon. l. l. pag. 250 sq. ubi tam copiose, quam docte et ingeniose totum hoc Livii caput illustravit.

4. *Titulus ipse spoliis*, thoraci linteo, *inscriptus*, et ab Augusto lectus, sed haud dubie non ab ipso Cosso inscriptus, quod in fine hujus capitis traditur; nam ejus temporibus literarum usus erat rarissimus (vide VI, 1 pr.), et statuæ imaginesque sine titulis et nominibus, quæ postea adjiciebantur, et sæpe parum accurate (vide supr. ad cap. 16, n. 4). Titulus forte fuit, *A. Cornelio M. F. Cossus cos. spolia opima... Jovi Feretrio dedicavit*, eoque posteri ejus, ut illum honestarent, indicasse videntur, quis et qualis vel quantus vir, non quando, ista spolia ceperit. Conf. ad XXVIII, 39, n. 1. An titulus fuit, *A. Cornelius Cos.*, et tam Augustus quam librarii in fine hujus capitis perperam non modo bis legerunt voc. *Cos.*, sed etiam *consul*, non *Cossus*, exposue-

cepisse. Hoc ego quum Augustum Cæsarem, templorum omnium conditorem aut restitutorem, ingressum ædem [5] Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit, se ipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem; prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum Cæsarem, ipsius [6] templi auctorem, subtrahere testem: qui [7] si ea in re sit error, quod tam veteres an-

runt? Sed hoc minus probabile esse, et literis *Cos.*, in titulis post illustris viri nomina positis, semper (an plerumque tantum?) hunc honorem significari, jam monuit Periz. Cæterum Livius eo, quod *omnes auctores* priscos (nam Valerii Max. et Aurelii Victoris non magna est auctoritas) *sequutus est* h. l. et infra cap. 32, indicat, se iis majorem, et recte quidem, fidem habuisse, quod etiam, sed tecte, significat in altera hujus capitis parte, in qua dubius tantum et obscurus est, ut Augusto gratificaretur. — Verba *illos meque* ejicienda crediderim, ut sensus sit: *titulus ipse spoliis inscriptus arguit*, indicat, ostendit, etc.

5. *Ædem Feretrii Jovis, quam... refecit*, cf. Corn. Nep. in Att. c. 20. Forte leg. *refecit ipsum:* aut excidit *dicentem;* Gron. Id potius subaudiendum putabant Jac. Gron. et Drak. qui multa hujus similisque aposiopeseos exempla laudarunt. — *In thorace linteo* Tolumnii, opinor, regis Veientium, a Cosso ei inter cætera spolia detracto, *scriptum*, ut paulo ante *titulus spoliis inscriptus:* nam si Romani tum non habuerunt loricas linteas, certe Itali; Duk. Cf. Lips. mil. Rom. III, 6; *thorace linteo* (quem videlicet Cossus Tolumnio detraxerat regi), ex variis linis invicem impositis compacto; unde milites λινοθώρακες (v. ad Sil. III, 269 sq.); non vero *linteata legio* Samnitium X, 38, n. 9.

6. *Ipsius templi*, novi et refecti, *auctorem*, vel auctorem secundum, restitutorem.

7. *Qui error*, sc. affirmantium, spolia opima a Cosso trib. mil. capta esse, *si*, h. e. utrum, seu an (v. ad I, 57, n. 1), *sit in ea re*, in eo, et inde ortus; *quod tam*, admodum *veteres*, vetustissimi (ut I, 3; et XXXIII, 45, ubi v. Drak.), *annales, et libri lintei, in æde repositi Monetæ* (v. sup. ad cap. 7, n. 7), *nono demum anno post* belli hujus cum Tolumnio gesti in iis mentionem (an. Urb. cond. 326; de quo v. inf. cap. 30), *Cossum consulem habeant*, quum ille potius hoc an. Urb. cond. 317 consul fuerit, *existimatio*, judicium, opinio, *communis* et libera *omnibus est* (forte *esto*), ejus rei judicium penes omnes est, de eo cuilibet pro arbitrio suo judicare, seu existimare et judicium interponere licet (v. sup. ad c. 15, n. 1; et cf. XXIII, 47, n. 3, et XXXIV, 2): nam in ipso *clarissimæ pugnæ* anno vix error ille esse, eaque in nonum post hunc *annum* Urb. cond. 326; *transferri* poterit, *quod imbelle triennium ferme circa A. Cornelii Cossi* consulatum, vel tempus consulatus fuit; *magistratuum libri*, ut XXXIX, 52. — Cæterum *nono anno* legitur ex emendat. Sigonii pro vulg. *septimo anno*. Sed Perizon. l. l. monet, cum Glar. legendum esse *nono anno*, et initium numerandi more rom. ac Livii, qui in exprimendo numero annorum sæpe

nales, quodque magistratuum libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem auctores, nono post demum anno cum T. Quintio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant, existimatio communis omnibus est: nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset, quod imbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium consulem fuit: adeo ut quidam [8] annales, velut funesti, nihil præter nomina consulum subgerant. Tertius [9] ab consulatu Cossi annus tribunum eum militum consulari potestate habet; eodem anno magistrum equitum: quo in imperio alte-

utriusque extremi rationem habeat (quod etiam observat Dodwell. de cyclis diss. X, seu XXVI), faciendum ab hoc ipso anno Urb. cond. 317; unde ex mox *tertius ab consulatu Cossi annus tribunum... habet:* nam consul fuit an. Urb. cond. 326 (v. cap. 30), et tribunus militum cons. potestate anno 326 (vide caput 31 pr.). Contra Drak. probat lectionem *nono anno*, quia hæc reperiatur in duobus MSS Oxon., et major sit similitudo inter IX et VII, quam inter X et VII, neque Livius utriusque anni extremi rationem habuerit, certe non 3, 30, ubi non *tricesimo septimo*, sed *tricesimo sexto anno* a primis tribunis plebis decem creatos esse dixerit. Cf. ad XXXVIII, 52, n. 4; et XLII, 10, n. 5.

8. *Quidam annales, velut funesti*, funesto, seu pestis tempore scripti, vel nihil fere præter funera et hominum peste absumptorum nomina memorantes.

9. *Tertius ab consulatu Cossi*, etc. Novam Livius affert conjecturam, qua opiniones diversæ conciliari forte possint, et in gratiam Augusti veram animi sui sententiam obscuritate verborum involvit. Sensus est: Dicat forte aliquis, claram illam pugnam in ann. Urb. cond. 328 transferendam esse, quo Cossus et tribunus militum, sed consulari potestate, fuit, simulque iidem Veientes Fidenatesque eorumdem ducum, Mam. Æmilii dictatoris et Cossi magistri equitum, virtute victi sunt (v. c. 31-34). *Ea libera conjectura est*, non certis finibus comprehensa, vel justis conjectandi legibus adstricta, sed quæ quamvis opinionem nullis firmamentis subnixam libere arripit. Sed malim hæc verba eodem sensu accipere, quo sup. Livius dixit: hæc quoque *existimatio communis omnibus est.* Nam ista certe conjectura, etsi non vera, tamen priori probabilior est; et sic melius cohærent, quæ sequuntur, quibusque Livius, spreta veterum scriptorum auctoritate, quam tamen et supra, et infr. cap. 32 sequutus est, gratiæ Augusti captandæ causa, ejus sententiam, supra propositam, unice probare videtur: *Sed, ut ego arbitror, vana*, quæ veritatis quidem aliquam speciem habent, sed falsa sunt, *in omnes opiniones versare* et aptare *licet* (ut fere sup. I, 58, *versare in omnes*

ram insignem edidit pugnam equestrem : ea libera conjectura est ; sed, ut ego arbitror, vana versare in omnes opiniones licet : quum auctor pugnæ, recentibus spoliis in sacra sede positis, Jovem prope ipsum, cui vota erant, Romulumque intuens, haud [10] spernendos falsi tituli testes, se A. Cornelium Cossum consulem scripserit.

XXI. M. Cornelio Maluginense, L. Papirio Crasso consulibus, exercitus in agrum veientem ac faliscum ducti : prædæ abactæ hominum pecorumque : hostis in agris nusquam inventus, neque pugnandi copia facta : urbes tamen non oppugnatæ, quia pestilentia populum invasit : et seditiones domi quæsitæ sunt, nec motæ tamen, ab Sp. Mælio tribuno plebis ; qui, favore nominis moturum se aliquid ratus, et Minucio diem dixerat, et rogationem de publicandis bonis Servilii Ahalæ tulerat : falsis criminibus a Minucio circumventum Mælium arguens, Servilio cædem civis indemnati objiciens : quæ [1] vaniora ad populum ipso auctore fuere. Cæterum magis vis morbi ingravescens curæ erat, terroresque ac prodigia ; maxime quod crebris motibus terræ ruere

partes muliebrem animum ; et apud Tacit. Hist. I, 58, *versare sententias et huc atque illuc torquere*) ; nam falsa certe est conjectura illa, *quum* ipse *auctor pugnæ*, Cossus, *recentibus spoliis... se consulem scripserit,* vel potius *inscripserit.* Cf. tamen supr. not. 4.

10. *Haud spernendos testes*, ut XXX, 45, et al. *haud contemnendos, haud incertos*, etc. h. e. gravissimos, maximæ auctoritatis, maximi faciendos ; quæ λιτότης seu μείωσις αὐξητική satis nota est ; vide ad XXI, 40, n. 1 ; XXX, 45, n. 3 (ubi confer Duk. et Drak.) ; XXXIII, 6, n. 2 ; XXXIII, 10, n. 5.

Cap. XXI. 1. *Quæ vaniora ad populum ipso auctore fuere,* eorum a populo minor ratio habita, quam auctoris, vel ob talem auctorem, ut contra mox, *magis curæ erat.* — Cæterum, quanquam hic irritos fuisse tribuni conatus Livius affirmat, tamen Ahalam Servilium et Valerius Max. l. v, cap. 3, *custoditæ libertatis civium pœnas exsilio suo pependisse* tradit ; et Cicero pro Domo, n. 86, pulsum urbe, in eamque deinde restitutum memorat. Ed.—*Quod crebris motibus terræ*, etc. de hac pestilentia vide ad I, 31, n. 4. « Probabile fit, hiatibus soli corruptum aerem contagium sparsisse : quo

in agris nuntiabantur tecta : obsecratio itaque a populo, duumviris præeuntibus, est facta. Pestilentior inde annus, C. Julio iterum et L. Virginio consulibus, tantum metum vastitatis in urbe agrisque fecit, ut non modo prædandi causa quisquam ex agro romano non exiret, bellive[2] inferendi memoria patribus aut plebi esset; sed ultro Fidenates, qui se primo aut oppido, aut montibus, aut muris tenuerant, populabundi descenderent in agrum romanum. Deinde, Veientium exercitu accito, nam Falisci perpelli ad instaurandum bellum, neque clade Romanorum, neque sociorum precibus, potuere, duo populi transiere Anienem; atque haud procul Collina porta signa habuere : trepidatum itaque, non in agris magis, quam in urbe, est. Julius consul in aggere murisque explicat copias : a Virginio senatus in æde Quirini consulitur. Dictatorem dici Q. Servilium[3] placet, cui Prisco alii, alii Structo fuisse cognomen tradunt. Virginius, dum collegam consuleret, moratus, permittente eo, nocte dictatorem dixit: is sibi magistrum equitum Postumum Æbutium Elvam dicit.

XXII. Dictator omnes luce prima extra portam Col-

fere modo pestes Sæc. VI et XIII ab Chr. n. ortæ feruntur; » Heyn. Opusc. Acad. tom. III, p. 117. — *Obsecratio* vel idem quod *supplicatio*, vel pars ejus, precatio, seu recitatio carminis aut precum, iræ deorum avertendæ causa (vide ad III, 63, n. 2), *duumviris*, ad id creatis, ut postea prætore (vide Suet. Claud. XXII), *præeuntibus*, scil. verba, seu formulam. Sic *uti decemviri prœierunt* XLIII, 13, n. 8; *pontifice max. prœeunte*, scilic. verba voti IV, 27 pr. XLII, 28; vel *præfante carmen*, h. e. formulam solennem (vide ad I, 24, n. 9), infr. V, 41 pr. Conf. VIII, 9; XXII, 1; XXXI, 8, 9; XXXIX, 15. — Mox voc. *metum* delendum, vel pro eo *tum* legendum esse monent intpp.

2. *Bellive inferendi memoria*, etc. confer ad VIII, 11, n. 1. — *Aut oppido, aut montibus, aut muris*, scil. castellorum quorumdam, aut vicorum munitorum; Duk. — *Trepidatum, non in agris magis, quam in urbe, est; τὸ magis* aberat a Voss. pri. sed postea margini adnotatum est. Ed.

3. *Q. Servilium* e multis edd. et tabulis Capitol. recepi pro *A. Servil.* Dicitur etiam *Q.* infr. cap. 26 (ubi præterea *summis honoribus egregie usus* esse dicitur); XXX, 45, 46; et *Auli* prænomen vel nunquam, vel rarissime in gente Servilia reperitur.

linam adesse jubet: quibuscumque vires suppetebant ad arma ferenda, præsto fuere: signa[1] ex ærario prompta feruntur ad dictatorem. Quæ quum agerentur, hostes in loca altiora concessere: eo dictator agmine[2] infesto subit; nec procul Nomento signis collatis, fudit etruscas legiones, compulit inde in urbem Fidenas, valloque circumdedit. Sed neque scalis capi poterat urbs alta et munita; neque in obsidione vis ulla erat, quia frumentum non necessitati modo satis, sed copiæ quoque, abunde ex ante convecto sufficiebat. Ita, expugnandi pariter cogendique ad deditionem spe amissa, dictator in locis, propter propinquitatem notis, ab aversa parte urbis maxime neglecta, quia suapte natura tutissima erat, agere[3] in arcem cuniculum instituit. Ipse, diversissimis locis subeundo ad mœnia quadrifariam diviso exercitu, qui[4] alii aliis succederent ad pugnam, continenti die ac nocte prælio ab sensu operis hostes avertebat: donec, perfosso a castris monte, erecta in arcem via est; intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas, clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit. Eo anno C. Furius Pacilus

Cap. XXII. 1. *Signa ex ærario prompta*, cf. ad III, 69, n. 7.

2. *Agmine infesto*, v. ad I, 13, n. 2. — *Copiæ sufficiebat*, abundantiæ, sc. ad eam.

3. *Agere in arcem cuniculum* (*eine Mine*), cf. V, 18 et 21. Mox *erecta*, sursum ducta, *in arcem via est* sub terra. — *Diversissimis locis*, remotissimis, ut XXXII, 38 pr. nam opponuntur *locis, propter propinquitatem notis*.

4. *Qui alii aliis succederent*, pro ut alii, vel quorum alii, etc. — *Continenti prælio*, continuo, non interrupto, ut *continens imperium* VII, 30, n. 3 (*ein fortlaufendes, zusammenhängendes Gebiet*); *ruina* XXI, 8, n. 3; *agmen* XXVII, 51; *jugum* XXVII, 17; *iter* XXXVIII, 15. Sic etiam *continua bella*, etc. X, 31, n. 10; XXX, 5, n. 5; *continuare magistratum, honorem, consulatum* (statim ex priore novum inire), *agros* (junctos, continuos, perpetuos habere), *ædificia mœnibus, bella*, etc. vide ad I, 29, n. 5; I, 44, n. 8; XXIV, 1, 46, n. 12; III, 35, n. 8; V, 2, n. 1; VI, 39, n. 3; XXIV, 9, n. 1 et n. 6; XXVI, 6, n. 2; XXXII, 7, n. 5. Hinc et V, 39, n. 5, *timori malum continens fuit*, cohærens, conjunctum, annexum, nullo intervallo, vel confestim, sine mora, timorem sequutum est malum.

et M. Geganius Macerinus censores villam[5] publicam in campo Martio probaverunt: ibique primum census populi est actus.

XXIII. Eosdem consules insequenti anno refectos, Julium tertium, Virginium iterum, apud Macrum[1] Licinium invenio. Valerius Antias, et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt: cæterum in tam discrepante editione et Tubero et Macer libros linteos auctores profitentur: neuter, tribunos militum eo anno fuisse, traditum a scriptoribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet; et Tubero[2] incertus veri est: sed inter

5. *Villa publica in campo Martio* extremo, domus publica suburbana (unde *villa* dicitur), et permagna (cf. inf. Epit. LXXXVIII; coll. Valer. Max. IX, 2, n. 1; et Flor. III, 21), *ubi cohortes ad delectum consuli adductæ considunt, ubi arma ostendunt, ubi censores censu* (pro *censui,* h. e. ad censum, vel quando census agitur, ut *comitiis, ludis, munere, Circensibus*) *admittunt populum,* Varr. Res rust. III, 2, 4. Eam et legatis hostium hospitio, et ædi Bellonæ vicinam fuisse, quidam collegere ex XXX, 21 ext. et XXXIII, 24. Cf. Vignol. ad column. Ant. Pii c. 2. — *Probare* propr. dicuntur censores, quum opus, quod mancipibus (seu redemptoribus, *Entrepreneurs*) construendum locarunt, examinant, atque inquirunt, an confectum sit secundum formulam locationis præscriptam; quemadmodum contra *approbare* dicuntur redemptores, quum opus, quod exstruendum conduxerunt, secundum leges sibi dictas absolutum esse demonstrant; Drak. Confer XLV, 15; ad VI, 4, n. 4; ad Sil. III, 378; Cic. Verr. I, 54; Intpp. Plaut. Amphitr. Prol. 13; inpr. Burm. ad Phæd. IV, 24, 11, 16. Similiter censores *probare* dicuntur (IV, 10, n. 3) cives, quorum vitæ rationem moresque probant nec notandos censent. — *Ibique,* scil. ad hanc villam publicam, seu in ea; non in campo Martio, in quo Servius Tullius primum egit censum.

Cap. XXIII. 1. *Macrum Licinium,* v. ad III, 1, n. 1.—*Consules edunt... in editione,* vide ad I, 18, n. 2. *Tubero et Macer,* etsi diversos edunt consules, tamen, quod mireris, eosdem *libros linteos* (vide ad cap. 7, n. 7) *auctores profitentur,* nominant, citant, ad eorum auctoritatem provocant, *sie führen sie als Gewährsmänner an.* Confer Periz. anim. hist. c. 9, p. 370. — Q. Tuberonem laudat Dionysius, versus finem libri primi, tanquam acris ingenii virum, et in historia diligentem. Quæ laudes optime quadrant in Tuberonem illum, quo accusante Ligarium Cicero defendit, a quo et historiæ scribendæ datam operam esse idem Cicero docet in celebri illa ad Q. fratrem epistola. Ed.

2. *Tubero incertus veri* (ἕνεκα) *est,* h. e. dubius, utrum verum sit, quod *scriptores antiqui,* an quod lin-

cætera, vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. Trepidatum in Etruria est post Fidenas captas, non Veientibus solum exterritis metu similis excidii, sed etiam Faliscis[3] memoria initi primo cum iis belli, quanquam rebellantibus non adfuerant. Igitur quum duæ civitates, legatis circa[4] duodecim populos missis, impetrassent, ut ad [5] Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium; velut magno inde tumultu imminente, senatus Mam. Æmilium dictatorem iterum dici jussit: ab eo A. Postumius Tubertus magister equitum est dictus: bellumque tanto majore, quam proximo[6], conatu apparatum est, quanto plus erat ab omni Etruria periculi, quam ab duobus populis fuerat.

XXIV. Ea[1] res aliquanto exspectatione omnium tran-

tei tradant libri, quibus fidem habere non dubitat Licinius. Confer ad c. 9, n. 4. Mox forte legendum *Sit inter cætera*, etc.

3. *Faliscis memoria initi primo cum iis* Veientibus et Fidenatibus *belli* (v. cap. 17, 18), *quanquam rebellantibus* (vide ad II, 42, n. 2) *non adfuerant*, conjuncti vel auxilio fuerant. Confer cap. 21 extr.

4. *Circa duodecim populos:* nam tot erant veteris Etruriæ populi (δῆμοι), seu civitates et urbes antiquissimæ et clarissimæ, Clusium, Perusia, Cortona, Vetulonium, Volaterra, Arretium, Tarquinii, Rusellæ, Falerii, Cære, Veii, Volsinii; vide ad I, 8, n. 2; Cluver. Ital. ant. II, 1; Dempster. Etrur. reg. III, 8; Fontanini Antt. Hortæ I, 1, p. 15. Nota Drak. est: « Quum ex XII populis illis duo, Veientes et Falisci, legatos circa reliquos misisse dicantur, qui ergo tantum decem fuerunt, videri posset præferenda lectio trium MSS *decem populos:* sed *duodecim populos* eodem modo accipiam, quo *Pindarus novemque lyrici* dixit Petron. Satyr. II; ubi vide Burm. »

5. *Ad Voltumnæ fanum concilium omnis Etruriæ* esse solebat (confer c. 25, 61; V, 17; VI, 2), ut Latii ad lucum Ferentinæ; vide ad I, 50, n. 1. *Fanum Voltumnæ*, deæ Etruscorum, non longe aberat a lacu, monte et saltu Ciminio, et a Viterbio, nisi ipsum hoc oppidum est. — Quidam *Voltumnam* interpretantur *Volturnam*, pro *Volturrenam* (num *Volaterram?*) ubi et deæ nomen olim fuerit. Id non abhorret a vero, locum in media veluti Etruria fuisse, aptum duodecim urbibus, e quibus ad concilia mittebantur legati. Ed. — *Tumultu*, vide ad II, 26, n. 1.

6. *Bellumque tanto majore, quam proximo*, scil. bello, *conatu*, etc. — *Proxime* conj. Gronovius, id est, *nuperrime*. Hoc sensu sæpius Cicero et alii ea voce usi sunt: l. VIII, ad Attic. epist. 3; lib. XI, epist. X. Ed.

Cap. XXIV. 1. *Ea res aliquanto* (v. ad II, 39, n. 1) *tranquillior fuit*,

quillior fuit: itaque quum renuntiatum a mercatoribus esset, negata Veientibus auxilia, jussosque suo consilio bellum initum suis viribus exsequi, nec adversarum rerum quærere socios, cum quibus spem [2] integram communicati non sint; tum dictator, ne nequidquam creatus esset, materia quærendæ bello gloriæ adempta, in pace aliquid operis edere, quod monimentum esset dictaturæ, cupiens, censuram minuere parat; seu nimiam potestatem ratus, seu non tam magnitudine honoris, quam diuturnitate, offensus. Concione itaque advocata, *rempublicam* [3] *foris gerendam*, ait, *tutaque omnia præstanda, deos immortales suscepisse: se, quod intra muros agendum esset, libertati populi romani consulturum: maximam autem ejus custodiam esse, si magna imperia diuturna non essent; et temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non posset; alios magistratus annuos esse, quinquennalem censuram: grave esse, iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere: se legem laturum, ne plus, quam annua ac semestris, censura esset.* Consensu ingenti populi legem postero die pertulit, et, *ut re ipsa*, inquit, *sciatis, Quirites, quam mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico.* Deposito suo magistratu, modo[4] alio-

bellum, quod tanto apparabatur conatu et tantopere metuebatur, non exarsit, sed compositum est.

2. *Spem* (felicis eventus belli) *integram*, quam tum aluerint et alere potuerint, quum res adhuc integra esset, neque bellum tanto conatu a Romanis apparatum; *communicati sint* forma deponentiali vel pass. dicitur pro act. *communicaverint; ut fluctuari* pro *fluctuare* XXIII, 33; XXXII, 13; XXXVI, 10, et similia. Conf. Drak. ad h. l. Voss. Gramm. V, 5; Ernesti clav. Cic. v. *puniri;* Græv. ad Cic. ad Attic. II, 17, et Perizon. ad Sanctii Minerv. I, 15, 4; *communicari non sirint* emend. Jacob. Gronov. sed τὸ *sirint* non fere, nisi in priscis formulis, adhibetur.

3. *Rempublicam foris gerendam*, v. ad II, 64, n. 3. — *Legem postero die pertulit:* ex his verbis colligit Gruch. de Comit. I, 4, p. 81; tum nondum quidquam de legibus per trinundinum promulgandis constitutum fuisse.

4. *Modo aliorum magistratui imposito*, scil. censuræ, *fine alteri*, forte magisterio equitum: sed hoc ex se in-

rum magistratui imposito, fine alteri, cum gratulatione ac favore ingenti populi domum est reductus. Censores[5], ægre passi Mamercum, quod magistratum populi romani minuisset, tribu moverunt, octuplicatoque[6] censu ærarium fecerunt. Quam rem ipsum in-

telligitur, quia *suum deposuit magistratum*, et verba hæc, *fine alteri*, quæ a 7 MSS absunt, jam alii delenda judicarunt.

5. *Censores, ægre passi*, etc. M. Furius et M. Geganius. Confer infr. IX, 33, 34. — *Tribu moveri* a censore dicitur is, cui adimitur jus suffragii in sua tribu, quique ex ea in aliam, minus honestam, et quidem, inde a temporibus Q. Fabii censoris, plerumque e rustica in urbanam conjicitur; vide ad I, 43, n. 22. Sic etiam nota censoria senator *senatu* vel *loco senatorio moveri* (ut *de* et *e senatu ejici* XL, 51; XLI, 27; XLIII, 15; XLIV, 19; *senatu emovere* et *tribu removere* XLV, 15, n. 5, al. *submovere*; conf. ad Tac. Annal. XIII, 11, 4), equiti *equus adimi*, et vel nobilissimi cives *ærarii fieri* vel *in ærarios referri* poterant. Cf. XXIV, 16, 18, 43; XXXIX, 42, n. 3; XLIV, 16; XLV, 15 (ubi Livius dicit, *tribu movere*, seu *removere* esse *mutare jubere tribum* et *suffragii lationem adimere*); Gron. de pec. vet. IV, 1; Duk. ad h. l. Drak. ad XXIV, 18, n. 6. (*Ærarii*, οἰκέται τοῦ ταμείου, eodem fere sensu dicebantur, quo ævo posteriori *Curiales*, βουλευτικοῖς συγκατηριθμένοι καταλόγοις, et apud nos Judæi, *des Römischen Reichs Kammerknechte*, homines, qui neque honores adipisci poterant, neque suffragii jus habebant, sed erant quasi peculium ærarii, cui tributum pendere debebant: habebat nempe ærarium tam suum fundum agrosque, quam homines, ex quibus reditus capiebat; neque minus ager quam homo ærarius esse poterat; Stroth.). Quin etiam non deerant censores, qui eo iræ procederent et tantopere vim suam extendere conarentur, ut tribu motis non modo jus suffragii, relatis iis inter ærarios, sed etiam libertatem et jus civitatis adimerent (quod conatum esse Sempronium Gracchum probabile fit ex contentione Claudii in loco class. inf. XLV, 15), et universum adeo populum rom. ærarium facerent, v. c. M. Livius XXIX, 37. Sed nota censorum rescindi poterat tum a collegis vel aliis censoribus, tum a populo; v. Cic. pro Cluent. c. 43. Hinc etiam Mamercus dictator iterum factus est (v. inf. cap. 31 seq.), ut Metellus tribunus pl. (vide XXIV, 43) qui scil. ex ærariis postea exempti videntur. Cæterum unus censor, altero adversante, neminem senatu vel tribu movere poterat; v. ad LX, 51, n. 2.

6. *Octuplicato censu ærarium*, ut tantum ærario tributi pendere juberetur, quantum pendit, qui censum octuplo majorem, quam ille, habet; vel, ubi nondum notatus in millia ex censu contulisset aut pro censu pendere debuisset assem unum, nunc octo pendere deberet. Cf. Gron. de pecun. vet. IV, 1, ubi etiam refellit explicationem Marc. Donati (ut solveret pro suo capite octuplum quod capite censi, vel octies tantum quantum capite censi pendere tenebantur), quia Livius non dixerit octuplicatam capitationem, aut octuplicato ære capite censum, sed *octuplicato censu* (cujus? ipsius utique Mamerci) *ærarium*. — Qui ærarius

genti animo tulisse ferunt, causam potius ignominiæ intuentem, quam ignominiam; primores patrum, quanquam [7] deminutum censuræ jus noluissent, exemplo acerbitatis censoriæ offensos, quippe quum se quisque diutius ac sæpius subjectum censoribus fore cerneret, quam censuram gesturum: populi certe tanta indignatio coorta dicitur, ut vis a censoribus nullius auctoritate, præterquam ipsius Mamerci, deterreri quiverit.

XXV. Tribuni plebis, assiduis concionibus prohibendo consularia comitia, quum res prope ad interregnum perducta esset, evicere tandem, ut tribuni militum consulari potestate crearentur: victoriæ præmium, quod petebatur, ut plebeius crearetur, nullum fuit: omnes patricii creati sunt, M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, L. Sergius Fidenas. Pestilentia eo anno aliarum rerum otium præbuit. Ædis Apollini pro valetudine populi vota est: multa [1] duumviri ex libris, placandæ deum iræ, avertendæque a populo pestis causa, fecere: magna tamen clades in urbe agrisque, promiscue hominum pecorumque pernicie, accepta. Famem culto-

fiebat, ejus nomen ex albo centuriæ suæ delebatur, et ad hoc erat civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Ascon. Ped. in Divin. Ed.

7. *Quanquam deminutum censuræ jus noluissent*, in multis MSS et edd. antt. *voluissent*: sed sensus est, non placuisse quidem Patribus, censuræ jus a Mamerco contractum esse, eoque paululum supplicii meritum illos credidisse, sed tamen acerbitate tanta censorum fuisse offensos, quod exemplum quisque vereretur; Gron.—*Quum se quisque diutius ac sæpius subjectum censoribus*, eorum acerbitati obnoxium, *fore cerneret, quam censuram*, ex quinquennali factam annuam et semestrem, *gesturum*, adeoque *eo diutius*, quo breviori tempore censuram quisque ipsorum gesturus, et *eo sæpius*, quo sæpius novi nec forte minus severi censores futuri essent.

Cap. XXV. 1. *Multa duumviri* sacrorum *ex libris* Sibyllinis (v. ad III, 10, n. 6) *fecere*, scilic. certe inpr. sacra; quo sensu etiam simpl. *facere* dicitur; vide ad Juvenal. IX, 117. De *peste* confer ad I, 31, n. 4. — Mox cum Gronov. forte leg. *promiscua*, et *famem incultu agrorum timentes*, ut *cultu neglecto agrorum* inf. c. 52. Cur enim *cultoribus* potius *agrorum*, quam toti urbi timuere Romani? Vocem *de-*

ribus agrorum timentes in Etruriam Pomptinumque agrum et Cumas, postremo in Siciliam quoque frumenti causa misere : consularium comitiorum nulla mentio habita est. Tribuni militum consulari potestate omnes patricii creati sunt. L. Pinarius Mamercinus, L. Furius Medullinus, Sp. Postumius Albus. Eo anno vis morbi levata, neque a penuria frumenti, quia ante provisum erat, periculum fuit. Consilia ad movenda bella in Volscorum Æquorumque conciliis, et in Etruria ad [2] fanum Voltumnæ, agitata : ibi prolatæ in annum res, decretoque cautum, ne quod ante concilium fieret; nequidquam veiente populo querente, eamdem, qua Fidenæ deletæ sint, imminere Veiis fortunam. Interim Romæ principes plebis, jam diu nequidquam imminentes [3] spei majoris honoris, dum foris otium esset, cœtus [4] indicere in domos tribunorum plebei, ibi secreta consilia agitare : queri, *se a plebe adeo spretos, ut, quum per tot annos tribuni militum consulari potestate creentur, nulli unquam plebeio ad eum honorem aditus fuerit : multum providisse suos majores, qui caverint, ne cui patricio plebeii magistratus paterent; aut* [5] *patricios habendos fuisse tribunos plebei : adeo se suis etiam sordere, nec a plebe minus, quam a patribus contemni!* Alii purgare plebem, culpam in patres vertere : *eorum ambitione artibusque fieri, ut obseptum plebi sit ad honorem iter. Si plebi re-*

ficientibus ante *cultoribus* excidisse putabat Doujat.—Cujus opinionem secutus est Creverius : neque mirum prorsus videretur, si deperdita una aut altera vox : *absumptis ea clade cultoribus agrorum*. Ed.

2. *Ad fanum Voltumnæ*, vid. ad c. 23, n. 5.

3. *Imminentes spei majoris honoris*, vide ad III, 51, n. 3. — *Dum foris otium est, quum... esset* emend. Gron.

4. *Cœtus indicere (hin bescheiden, bestellen) in domos tribunorum plebis*. Cf. VI, 12, n. 1; VI, 22 extr. X, 38; XXXIII, 3, 4; XL, 21; XLI, 14; XLIII, 1. Similiter fere *colonos adscribere Venusiam*, etc. XXXI, 49; XXXII, 7; XXXIV, 42; XXXV, 9.

5. *Aut*, alioquin, *patricios habendos fuisse*, etc.

spirare ab eorum mixtis precibus minisque liceat, memorem eam suorum inituram suffragia esse, et[6] *parto auxilio imperium quoque adscituram.* Placet, tollendæ ambitionis causa tribunos legem promulgare, ne cui album[7] in vestimentum addere petitionis liceret causa: parva nunc res, et vix serio agenda videri possit, quæ tunc ingenti certamine Patres ac plebem accendit. Vicere tamen tribuni, ut legem perferrent: apparebatque, irritatis animis, plebem[8] ad suos studia inclinaturam: quæ ne libera essent, senatus consultum factum est, ut consularia comitia haberentur.

XXVI. Tumultus[1] causa fuit, quem ab Æquis et Volscis Latini atque Hernici nuntiarant. T. Quintius L. F. Cincinnatus (eidem et Penno cognomen additur) et C. Julius Mento consules facti: nec ultra terror belli est dilatus. Lege[2] sacrata, quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat, delectu habito, utrimque validi exercitus profecti in Algidum convenere: ibique seor-

6. *Parto auxilio*, h. e. potestate tribunorum plebis, *imperium*, summum honorem, scil. tribunorum mil. cons. pot., *adscituram*, accepturam vel sibi vindicaturam.

7. *Album* (colorem, h. e. cretam Cimoliam, qua fullones utebantur) *in vestimentum addere*, indere, vel vestimento *addere petitionis causa*, creta togam reddere candidiorem atque sic insigniorem, ut solebant petitores; unde dicti *candidati*, et *toga candida* XXXVII, 57; pro petitione censuræ, *cretata ambitio* Pers. V, 177. Confer Plin. XXXV, 17 seu 57. Similiter inf. XL, 51, n. 4, *columnas polire albo*, scil. colore, tectorio vel albario opere, germ. *überweissen*, *übertünchen*: de quo albario confer Plinium, XXXV, 16; XXXVI, 23 et 24; vide et Ruhnken. ad Velleium, II, 22, et Kustn. Chrestom. Enn. p. 37. Cæterum hanc primam fuisse legem, quæ ad ambitum pertineret, sed non observatam, bene monuit Sigon. de judic. II, 30.

8. *Plebem ad suos*, principes plebis, *studia inclinaturam*, eos suffragiis suis tribunos militum cons. pot. creaturam in proximis comitiis.

Cap. XXVI. 1. *Tumultus causa fuit* hujus senatusconsulti, ut cousules crearentur, non tribuni mil. cons. pot. De *tumultu* vide ad II, 26, n. 1.

2. *Lege sacrata* (v. ad II, 8, n. 3; IX, 39, n. 3, et XXXVI, 38), *quæ maxima apud eos vis cogendæ militiæ erat*, maximam habebat vim ad *cogendos*, seu scribendos et conscribendos milites vel exercitus. Cf. not. 5; ad III, 15, n. 8, et XXXII, 2, n. 4. Hinc *sacrati milites* dicuntur IX, 40; sed alio sensu *sacrata militia* VIII,

sum Æqui, seorsum Volsci, castra communivere; intentiorque, quam unquam ante, muniendi exercendique militem cura ducibus erat: eo plus nuntii terroris Romam attulere. Senatui dictatorem dici placuit; quia, etsi sæpe victi populi, majore tamen conatu, quam alias unquam, rebellarent: et aliquantum romanæ juventutis morbo absumptum erat. Ante omnia pravitas[3] consulum, discordiaque inter ipsos, et certamina in consiliis omnibus terrebant: sunt, qui male pugnatum ab his consulibus in Algido auctores sint, eamque causam dictatoris creandi fuisse. Illud satis constat, ad alia discordes in uno adversus patrum voluntatem consensisse, ne dicerent dictatorem; donec, quum alia aliis terribiliora afferrentur, nec in auctoritate[4] senatus consules essent, Q. Servilius Priscus, summis honoribus egregie usus, *Vos*, inquit, *tribuni plebis, quoniam ad extrema ventum est, senatus appellat, ut in tanto discrimine reipublicæ dictatorem dicere consules pro potestate vestra cogatis*. Qua voce audita, occasionem oblatam rati tribuni augendæ potestatis secedunt, proque collegio pronuntiant, *placere consules senatui dicto audientes esse: si adversus consensum amplissimi ordinis ultra tendant, in vincula se duci eos jussuros*. Consules ab tribunis, quam ab senatu, vinci maluerunt; proditum a patribus summi imperii jus, datumque sub jugum tribunitiæ potestati consulatum

34, n. 9. Conf. inpr. X, 38; Duker. ad Flor. I, 16, 7, et Periz. anim. hist. c. 10, p. 418.—*Utrimque*, ex Volscis et Æquis. — *Rebellarent*, vide ad II, 42, n. 2.

3. *Pravitas consulum discordiaque*, ut apud Tacit. Annal. III, 48, 6. *Pravum* est propr. vitium corporis quodque in eo est perversum, male distortum, adversum recto, bene apto ac locato: inde ad animum translatum, inprim. ad invidiam et malignitatem; Gron. qui multa docte disputat.

4. *In auctoritate senatus esse*, vide ad II, 56, n. 16. — Mox *pro collegio pronuntiant*, ex auctoritate et nomine collegii; tanquam sententiam et jussum totius collegii tribunitii, congregati et præsentis: v. ad II, 7, n. 4. — Sic *pro collegii sententia*, inf. cap. 44. Ed.

memorantes, siquidem [5] cogi aliquid pro potestate ab tribuno consules, et (quo quid ulterius privato timendum foret?) in vincula etiam duci possent. Sors, ut dictatorem diceret, nam ne id quidem inter collegas convenerat, T. Quintio evenit: is A. Postumium Tubertum, socerum suum, severissimi imperii virum, dictatorem dixit: ab eo L. Julius magister equitum est dictus: simul [6] edicitur et justitium: neque aliud tota urbe agi, quam bellum apparari: cognitio [7] vacantium militiæ munere post bellum differtur: ita dubii quoque inclinant ad nomina danda: et Hernicis Latinisque milites imperati: utrimque enixe obeditum dictatori est.

XXVII. Hæc omnia celeritate ingenti acta: relictoque C. Julio consule ad præsidium urbis, et L. Julio magistro equitum ad subita [1] belli ministeria, ne qua

5. *Siquidem cogi aliquid consules possent*, ut *rogare, docere, postulare aliquem aliquid;* Stroth. Omissa potius præpos. *ad*, ut passim, et forte etiam in locutione *cogere militiam* not. 2; v. Burm. ad Virg. Æn. III, 56. — *Pro potestate*, vide ad II, 7, n. 4.

6. *Simul edicitur justitium*, vide ad III, 3, n. 1, et XXXI, 49, n. 5.

7. *Cognitio vacantium militiæ munere*, causarum, cur quis haud *nomen dedisset*, vel militiam detrectasset; v. ad III, 69, n. 6. *Vacatio* militiæ est liberatio ab ea, et justæ *vacationis* causæ erant vel ætas (vide ad III, 57, n. 5; XLII, 33, n. 4; XLII, 34), vel beneficium (vide XXXIX, 19), vel quatuor milites dati (vide XLII, 34, n. 8), vel honos, magistratus et sacerdotia, vel emerita stipendia, vel morbus, vel vitium corporis. Coloni etiam maritimi *sacrosanctam* (vide ad II, 8, n. 3) *vacationem* dicebantur habere XXVII, 38. Qui ob justam talem causam immunes erant militia, dicebantur *causarii* (VI, 6, n. 4), ut nobis *Invaliden*. Confer de *missione* militum ad VII, 39, n. 1. Sed nonnunquam, inpr. in tumultu (vide ad II, 26, n. 1), nulla vacationis venia dabatur; v. VII, 28, et VIII, 20. Confer Sigon. ant. jur. civ. Rom. I, 15, et Lips. mil. Rom. I, 4; e Liv. XXIII, 20; Cicer. Phil. V, 19, et Nat. Deorum. II, 2. Cæterum alio sensu *munere vacare* dicitur XXV, 7, n. 3. Hæc est *vacatio munerum* castrensium vel operum laborumque militarium extra pugnam, v. c. excubiarum, vigiliarum, valli struendi, lignationis, aquationis, fossæ ducendæ, etc. quæ vacationes vel præmii honorisque causa dari, vel a centurionibus pecunia redimi solebant; vide ad Tacit. Annal. I, 17, 5.

Cap. XXVII. 1. *Ad subita belli ministeria*, ad ea curanda, quæ, incidente aliquo casu haud proviso, necessaria esse possent ad bellum, *zur Besorgung unvorhergesehener Erfordernisse des Kriegs;* Stroth. Conf. ad I, 41, n. 5.

res, qua eguissent in castris, moraretur, dictator, præeunte [2] A. Cornelio pontifice maximo, ludos [3] magnos tumultus causa vovit; profectusque ab urbe, diviso cum Quintio consule exercitu, ad hostes pervenit. Sicut bina castra hostium, parvo inter se spatio distantia, viderant, ipsi quoque mille ferme passus ab hoste, dictator Tusculo, consul Lanuvio, propiorem locum castris ceperunt. Ita quatuor exercitus, totidem munimenta, planitiem in medio, non parvis modo excursionibus ad prælia, sed vel ad explicandas utrimque acies satis patentem, habebant: nec, ex quo castris castra [4] collata sunt, cessatum a levibus præliis est; facile patiente dictatore, conferendo [5] vires spem universæ victoriæ, tentato paulatim eventu certaminum, suos præcipere. Itaque hostes, nulla in prælio justo relicta spe, noctu adorti castra consulis, rem in casum ancipitis eventus committunt. Clamor subito ortus non consulis modo vigiles, exercitum deinde omnem, sed dictatorem quoque ex somno excivit. Ubi præsenti ope res egebant, consul nec animo defecit, nec consilio:

— Sic et simpl. *subita belli* VI, 32, n. 3; XXV, 15 extr. et *subita rerum* IX, 43 pr. ut *reliqua belli* IX, 16 pr. XXVI, 1, n. 3 (quæ *reliquiæ belli* dicuntur IX, 29; XXV, 37 et 40; ut fere V, 13; XXII, 56; XXV, 5; *reliquiæ pugnæ* et *cladis*, qui e pugna et clade reliqui fuerant); *belli aspera, dura, incerta* (XXX, 2), vel *cætera* (XXVII, 20) et alia adjectiva neutr. gen. et plur. num. quæ vel pro substant. posita reperies, vel ita, ut sive hæc supplenda, sive illa his accommodanda sint, ut *per adversa montium* IX, 3 pr. pro per *adversos montes*, et sic *ardua montium*, *angusta viarum*, etc. Confer ad V, 38, n. 4, et ad Sil. Ital. t. II, p. 173, 174.—*Moraretur*, moram faceret, impediret res bellicas et consilia ducum, h. e. his deesset.

2. *Præeunte pontifice maximo*, vide ad IV, 21, n. 1.

3. *Ludos magnos tumultus* (vide ad II, 26, n. 1) et terroris, quem ille incusserat, sedandi *causa vovit*, confer ad II, 36, n. 1.

4. *Castris castra collata*, vide ad III, 69, n. 10.

5. *Conferendo vires* (vide ad XXI, 1, n. 2) *spem universæ victoriæ* (vide ad I, 38, n. 2) *præcipere*, antea animo concipere, ut XLII, 61. Confer ad VII, 26, n. 5.—*Prælio justo*, legitimo, aperto et universo (XXII, 32), quod opponitur h. l. *levibus præliis* et *certaminibus*, ut XXIX, 31; excur-

pars militum portarum stationes firmant; pars corona vallum cingunt. In alteris apud dictatorem castris, quo minus tumultus est, eo plus animadvertitur, quid opus facto sit: misso extemplo ad castra subsidio, cui Sp. Postumius Albus legatus præficitur, ipse parte copiarum parvo circuitu locum maxime secretum ab tumultu petit, unde ex nec opinato aversum[6] hostem invadat. Q. Sulpicium legatum præficit castris: M. Fabio legato assignat equites; nec ante lucem movere jubet manum, inter nocturnos tumultus moderatu difficilem: omnia, quæ vel alius imperator prudens et impiger in tali re præciperet ageretque, præcipit ordine atque agit. Illud eximium consilii animique specimen, et neutiquam vulgatæ laudis, quod ultro ad oppugnanda castra hostium, unde majore agmine profectos exploratum fuerat, M. Geganium cum cohortibus delectis misit: qui, postquam intentos homines in eventum periculi alieni, pro se incautos neglectis vigiliis stationibusque, est adortus, prius pæne cepit castra, quam oppugnari hostes satis scirent. Inde fumo[7], ut convenerat, datum signum ubi conspectum ab dictatore est, exclamat, capta hostium castra, nuntiarique passim jubet.

XXVIII. Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant; et Fabius cum equitatu impetum dederat, et consul eruptionem e castris in trepidos jam hostes fecerat. Dictator autem, parte altera subsidia et secun-

sionibus furtivis et apertis latrociniis. Cf. ad I, 4, n. 5, et VI, 13, n. 3. — *Misso extemplo ad castra* consulis; quam vocem hic expressam cuperemus, ut sine qua, minus integra et rotunda procedit oratio; præsertim quum sæpius hoc loco et hostium duo, et dictat. et cons. castra memorantur. Ed.

6. *Aversum hostem invadat*, v. ad V, 29, n. 1.

7. *Inde fumo datum signum*, quod *conspici* poterat, quia forte illunis nox erat, vel potius primum crepusculum, die jam illuscescente. Conf. cap. seq. princ. Alii pro *fumo* conjic. *flamma*, vel *e summo*, vel *e tumulo*.

dam aciem adortus, circumagenti se ad dissonos clamores ac subitos tumultus hosti undique objecerat victorem peditem equitemque. Circumventi igitur jam in medio ad unum omnes pœnas rebellionis dedissent, ni Vectius Messius ex Volscis, nobilior vir factis, quam genere, jam [1] orbem volventes suos increpans clara voce; *Hic præbituri*, inquit, *vos telis hostium estis indefensi, inulti? Quid igitur arma habetis? aut quid ultro bellum intulistis, in otio tumultuosi, in bello segnes? Quid hic stantibus spei est? an deum aliquem protecturum vos, rapturumque hinc putatis? Ferro via facienda est. Hac, qua me prægressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, conjuges, liberos estis, ite mecum: non murus, nec vallum; sed armati armatis obstant: virtute pares, necessitate, quæ ultimum [2] ac maximum telum est, superiores estis.* Hæc loquutum exsequentemque dicta redintegrato clamore sequuti, dant [3] impressionem, qua Postumius Albus cohortes objecerat: et moverunt [4] victorem, donec dictator, pedem jam referentibus suis, advenit; eoque omne prælium versum est. Uni viro Messio fortuna hostium innititur: multa utrimque vulnera, multa passim cædes est: jam ne duces quidem Romani incruenti pugnant: unus Postumius, ictus saxo, perfracto capite, acie excessit. Non dictatorem humerus vulneratus, non Fabium prope affixum equo femur, non brachium abscisum consulem ex tam ancipiti prælio submovit.

XXIX. Messium impetus per stratos cæde hostes cum globo fortissimorum juvenum extulit ad castra Volsco-

Cap. XXVIII. 1. *Jam orbem volventes*, vide ad II, 50, n. 6.

2. *Ultimum ac maximum telum*, v. ad III, 50, n. 1.

3. *Dant impressionem*, ut *facerent impress.*, III, 62. Cf. ad I, 25, n. 8.

4. *Moverunt victorem* gradu, pedem referre coegerunt, ut VII, 8.

rum, quæ nondum capta erant : eodem omnis acies inclinatur. Consul, effusos usque ad vallum persecutus, ipsa castra vallumque aggreditur; eodem et dictator alia parte copias admovet : non segnior oppugnatio est, quam pugna fuerat. Consulem signum quoque intra vallum injecisse [1] ferunt; quo milites acrius subirent; repetendoque signo primam impressionem factam : et dictator, proruto [2] vallo, jam in castra prælium intulerat. Tum abjici passim arma, ac dedi hostes cœpti : castrisque et his captis, hostes, præter senatores omnes venumdati sunt. Prædæ pars sua cognoscentibus Latinis atque Hernicis reddita; partem sub hasta dictator vendidit : præpositoque consule castris, ipse, triumphans invectus urbem, dictatura se abdicavit. Egregiæ dictaturæ tristem memoriam faciunt, qui filium [3] ab A. Postumio, quod, occasione bene pugnandi captus, injussu decesserit præsidio, victorem securi percussum tradunt : nec libet credere; et licet, in variis opinionibus : et argumento est, quod *imperia Manliana*, non *Postumiana*, appellata sint : quum, qui prior auctor tam sævi exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit : *imperioso* quoque Manlio cognomen inditum; Postumius

Cap. XXIX. 1. *Signum intra vallum injecisse*, ut VI, 8; XXV, 14; XXXIV, 46. — Idem audaciæ exemplum edidit Cl. Gallorum dux, *le grand Condé*, ter victor ad Friburgum. Ed.

2. *Proruto vallo*, conf. IX, 37, et ad Tacit. Ann. I, 68, n. 4.

3. *Filium ab A. Postumio ... securi percussum*, ut postea *T. Manlii* filium (vide infr. VIII, 7), *tradunt* Diodor. XII, p. 319; Val. Max. V, 4, ex. 2; Gell. I, 13 (ubi *imperia Postumiana et Manliana appellata esse*, scil. per proverbium pro severis ac crudelibus); IX, 13 extr. et XVII, 21. *Nec*, h. e. et non *libet credere* hoc, *et licet*, sc. non credere (ut passim *nec* vel *neque* sequente *et* pro *et non*, v. c. cap. 39; XXIII, 1, et bis VIII, 12); tum ob *varietatem opinionum*, tum ob duplex *argumentum*, etc. Sed vide Perizon. Animadvers. hist. c. 8, p. 350 sq. ed. Amst. ubi recte erroris et inconstantiæ arguitur Livius, quippe qui ipse non T. Manlium ob filii sui cædem, infra VIII, 7; sed patrem ejus, L. Manlium, ob acerbitatem in delectu et sævitiam, non magis in alienis, quam in

nulla tristi nota est insignitus. C. Julius consul ædem Apollinis [4], absente collega, sine sorte dedicavit: ægre id passus Quintius, quum, dimisso exercitu, in urbem redisset, nequidquam in senatu est conquestus. Insigni magnis rebus anno additur, nihil tum ad rem romanam pertinere visum, quod Carthaginienses [5], tanti hostes futuri, tum primum per seditiones Siculorum ad partis alterius auxilium in Siciliam exercitum trajecere.

XXX. Agitatum in urbe ab tribunis plebis, ut tribuni militum consulari potestate crearentur; nec obtineri potuit: consules fiunt L. Papirius Crassus, L. Julius. Æquorum legati fœdus ab senatu quum petissent, et pro fœdere deditio [1] ostentaretur, inducias annorum octo impetraverunt. Volscorum res, super acceptam in Algido cladem, pertinaci certamine inter pacis belique auctores in jurgia et seditiones versa: undique

proximis ipsoque filio suo exercitam, infr. VII, 4; notatum esse dicit *cognomine Imperiosi*, quod etiam fratri ejus Cn. Manlio inditum (VII, 12, 16, 17, 22, 28), sed mox obliteratum fuit Manlia in gente, et permutatum cum cognomine *Torquati*, quod T. Manlius filius in juventute sua sibi comparaverat; vide VII, 10. Exempla oblivionis passim obvia in Livio, diversos auctores sequente. Confer cap. 42; V, 42; X, 47; XXI, 6; XXII, 48; XXIII, 11; XXIV, 1; Duk. ad Flor. I, 14, 2.—*Nulla tristi nota*, nullo sævitiæ titulo.

4. *Ædem Apollinis sine sorte dedicavit*, v. III, 63, n. 5, et I, 55, n. 3.

5. *Carthaginienses... tum primum... in Siciliam exercitum trajecere*, «non quasi tum primum trajecerint, verum ex quo Syracusani prævalentes per Siciliam opes paraverant, civitates autem obsequium detrectantes ad novas res spectabant. Petierant Egestani auxilium a Pœnis adversus Selinuntios;» Heyn. Opusc. Acad. t. V, p. 435; qui ibid. t. III, p. 44 sq. docet, oram Siciliæ maritimam prius jam ab illis occupatam fuisse. Conf. ad II, 8, n. 10. —Herodotus, lib. VII, narrat Amilcarem, ducem, sive, ut ipse vocat, regem Carthaginiensium, cum trecentis millibus hominum in Sicilia cæsum a Gelone Syracusanorum rege, eodem die, quo Xerxes apud Salamina devictus est, ac proinde quinquagesimo circiter ante hos consules anno. Ed.

Cap. XXX. 1. *Deditio ostentaretur*, promitteretur ab Æquis, vel offerretur, vel indicium ejus aut spes fieret, vel denique simularetur. Ita passim *ostentare* et *ostendere*. Confer ad IV, 59, n. 2; VI, 5, n. 1; XXVI, 24, n. 2; XXX, 33, n. 5; XXXIV, 13, n.

otium fuit romanis. Legem[2] de mulctarum æstimatione pergratam populo, quum ab tribunis parari consules unius ex collegio proditione excepissent, ipsi præoccupaverunt[3] ferre. Consules L. Sergius Fidenas iterum, Hostus Lucretius Tricipitinus: nihil dignum dictu actum his consulibus. Sequuti eos consules A. Cornelius Cossus, T. Quintius Pennus iterum. Veientes in agrum romanum excursiones fecerunt. Fama fuit, quosdam ex Fidenatium juventute participes ejus populationis fuisse; cognitioque ejus rei L. Sergio, et Q. Servilio, et Mam. Æmilio permissa: quidam Ostiam relegati, quod, cur per eos dies a Fidenis abfuissent, parum constabat: colonorum additus numerus, agerque iis bello interemptorum assignatus. Siccitate eo anno plurimum laboratum est: nec cælestes modo defuerunt aquæ, sed terra quoque, ingenito humore egens, vix ad perennes suffecit amnes: defectus alibi aquarum circa torridos fontes rivosque stragem siti pecorum morientium dedit; scabie alia absumpta: vulgatique contactu in homines morbi, et primo in agrestes ingruerant servitiaque. Urbs deinde impletur: nec corpora[4] modo affecta tabo, sed animos quoque mul-

1. Hinc etiam *dare* et *ostendere pacem* sibi opponuntur XXXVII, 7, n. 2.

2. *Legem de mulctarum*, mulctæ, pecuniariæ pœnæ, *æstimatione;* qua renovata videtur lex Ateria Tarpeia, ab A. Aterio et Sp. Tarpeio coss. (v. sup. III, 31) an. Urb. cond. CCC lata *de mulcta a magistratibus dicenda ejusque æstimatione*, ut non consulibus tantum (quod lege Valeria erat cautum), sed omnibus quoque magistratibus liceret mulctam dicere iis, qui sibi dicto non essent audientes, vel suæ potestatis dignitatisque læsæ rei et convicti, ut gravissima mulcta esset ovium duarum et boum triginta, minima vero ovis unius, utque ovem denis, bovem centenis assibus *æstimare* et redimere liceret; vide Dionys. X, pag. 674 (ubi haud dubie legendum δύο πρόβατα καὶ τριάκοντα βόας); Gell. XI, 1; Fest. voc. *peculatus*, et Koolii Comm. ad hanc legem in Othon. Thes. Jur. tom. V. — *Excepissent*, v. ad II, 4, n. 3.

3. *Præoccupaverunt ferre*, vide ad I, 14, n. 3.

4. *Corpora affecta tabo*, al. *tabe*, quod idem est, scil. lenta corruptio, seu consumptio cujusvis rei et corpo-

tiplex religio, et pleraque externa, invasit; novos[5] ritus sacrificandi vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi: donec publicus jam pudor ad primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis sacellisque peregrina atque insolita piacula[6] pacis Deum exposcendæ. Datum inde negotium ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi romani dii, neu quo alio more, quam patrio, colerentur. Iræ adversus Veientes in insequentem[7] annum, C. Servilium Ahalam, L. Papirium Mugillanum consules, dilatæ sunt: tunc quoque, ne confestim bellum indiceretur, neve exercitus mitterentur, religio obstitit. Fetiales[8] prius mittendos ad res repetendas censuere: cum Veientibus nuper acie dimicatum ad Nomentum et Fidenas fuerat; induciæque inde, non pax facta: quarum et dies[9] exierat, et ante diem rebellaverant.

ris, cujus causa est fames, vel morbus, pestis, liquatio, etc. hinc ipsa pestis, phthisis aliusve morbus lente ac sensim absumens; vide ad II, 23, n. 6, et XLI, 21, n. 3.

5. *Novos ritus sacrificandi*, etc. peregrinis vatibus sacerdotibusque superstitionem hominum in rem suam convertentibus, variorumque vaticiniorum illecebris ita animos eorum delinientibus, ut externa adsciscerent sacra. Jam itaque tum temporis superstitiones et sacra peregrina Romam invecta a fanaticis vaticinatoribus, quorum artes fraudesque perstringit Juvenal. II, 84 sq. IV, 123 sq. et inpr. VI, 511-591. Simul ex h. l. et V, 17, 25, 28, 40; VI, 41; XXII, 9; XXV, 1; XXXIX, 8, 16; XL, 29; et causæ intelliguntur novarum religionum invehendarum, et cur tanta cura caverint Romani, ne confunderentur vel negligerentur religiones et ceremoniæ: nam his rite colendis summa continebatur sacrorum rom. Confer Bynkershoek. diss. de cultu relig. peregr. apud Rom. — *Donec publicus jam pudor*. Vocem *publicus*, veluti *pro republica*, interpretatur Creverius: id est, pudor de hac fœditate superstitionis, cujus dedecus jam ad rempublicam, non privatos modo, pertinebat, ad primores civitatis pervenit. Sic in re plane simili, lib. xxv, c. 1, *Deinde ad Patres etiam et ad publicam querimoniam excessit res*. Ed.

6. *Piacula pacis deum exposcendæ*, sc. causa. Confer ad I, 16, n. 4, et III, 56, n. 4.

7. *In insequentem annum*, *Servilium*, *Papirium consules* pro epexegesin seu appositionem pro *consulibus*, sive, quo consules fuere illi.

8. *Fetiales mittendos... censuere*, v. ad I, 24, n. 5.

9. *Dies exierat* induciarum; vid. ad IX, 34, n. 18. Prælii mentio facta c. 22, non induciarum. Cf. ad X, 33, n. 5.

Missi tamen fetiales; nec eorum, quum more patrum jurati[10] repeterent res, verba sunt audita. Controversia inde fuit, utrum populi jussu indiceretur bellum, an satis esset senatusconsultum : pervicere tribuni, denuntiando impedituros se delectum, ut consules de bello ad populum ferrent : omnes centuriæ jussere : in[11] eo quoque plebs superior fuit, quod tenuit, ne consules in proximum annum crearentur.

XXXI. Tribuni militum consulari potestate quatuor creati sunt, T. Quintius Pennus ex[1] consulatu, C. Furius, M. Postumius, A. Cornelius Cossus : ex iis Cossus præfuit Urbi : tres, delectu habito, profecti sunt Veios, documentoque fuere, quam plurium imperium bello inutile esset. Tendendo ad sua quisque consilia, quum aliud alii videretur, aperuerunt[2] ad occasionem locum hosti : incertam namque aciem, signum aliis dari receptui, aliis cani jubentibus, invasere opportune Veientes: castra propinqua turbatos ac terga dantes accepere : plus itaque ignominiæ, quam cladis, est acceptum. Mœsta civitas fuit, vinci insueta: odisse tribunos, poscere dictatorem, in[3] eo verti spes civitatis: et[4] quum ibi quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab consule dici dictator, augures consulti eam religionem

10. *Jurati* (forma deponent.) *repeterent res*, vide I, 32. — *Utrum populi jussu*, etc. utrum comitia essent habenda, an sufficeret senatus auctoritas; Gronov.

11. *In eo plebs superior fuit, quod tenuit*, vide ad II, 42, n. 2.

Cap. XXXI. 1. *Ex consulatu*, post consulatum, sed propr. superioris anni, non biennio post, ut h. l. unde hæc verba forte delenda : nam *ex rebus*, etc. pro *post res* tum modo dicitur, quum res confestim se excipiunt. Conf. ad VI, 1, n. 6; XXI, 39, n. 2; XXII, 49, n. 6; XXVII, 34, n. 1; XXXII, 7, n. 4; XL, 25, n. 1; Gron. Obss. IV, 20. — *Quam*, quantopere, *bello inutile*, vide ad III, 33, n. 5.

2. *Aperuerunt ad occasionem locum hosti*, vide ad I, 11, n. 1.

3. *In eo verti spes civitatis*, vide ad III, 27, n. 6.

4. *Et quum ibi quoque religio obstaret*, etc. h. e. vetaret; *dictatorem dici* ab alio quam *consule*. Cf. XXVII, 5, et XXII, 8 et 31, ubi hinc a populo non dictatorem, sed prodictatorem creatum legimus; *ne posset* ed. pr.

exemere. A. Cornelius dictatorem Mam. Æmilium dixit; et ipse ab eo magister equitum est dictus: adeo [5], simul fortuna civitatis virtute vera eguit, nihil censoria animadversio effecit, quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur! Veientes, re secunda elati, missis circum Etruriæ populos legatis, jactando tres duces romanos ab se uno prælio fusos, quum tamen nullam [6] publici consilii societatem movissent, voluntarios undique ad spem prædæ adsciverunt. Uni Fidenatium populo rebellare placuit; et, tanquam nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut [7] legatorum antea, ita tum novorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus sese conjungunt: consultare inde principes duorum populorum, Veios [8] an Fidenas sedem belli caperent. Fidenæ visæ opportuniores. Itaque, trajecto

prob. Gron. quia non Latinis liceat, ut Græcis, ubique duplicare negationem. Sic cap. 30, *ne bellum indiceretur, religio obstitit.* Confer et V, 36; Corn. Nep. Milt. III; Valer. Max. V, 6, 6. *Religio* spectat ad morem majorum et auspicia comitiorum. Conf. tamen ad II, 5, n. 4.

5. *Adeo, simul,* simul ac, *fortuna civitatis ... nihil censoria animadversio,* nota, etc. Conf. sup. cap. 24, ibique not. 5, *nihil effecit, quo minus peteretur,* non effecit, ne peteretur; Drak. qui confer ad XXXVII, 54, n. 22. Sed forte legendum cum Gron. *offecit,* h. e. obstitit, impedivit, ut I, 53; II, 2, 30; Sallust. Cat. 28, 51, 58; ad quæ loca vide Cort. et Editionem nostram. Ed. — *Regimen rerum,* rector. Conf. ad III, 25, n. 8.

6. *Nullam publici consilii societatem,* nullam societatem populi alicujus etrusci, publico consilio secum ineundam, *movissent,* hortatu et precibus effecissent, vel populum aliquem ad eam societatem perpulissent. Confer ad Tacitum, Annal. III, 43, 7. — *Voluntarios undique ad,* ob, *spem prædæ adsciverunt,* forte *acciverunt.* Confer ad XXIV, 19, n. 3, et XLV, 25, n. 9.

7. *Sicut legatorum antea cæde,* vide cap. 17. — *Novorum colonorum,* vide cap. 30.

8. *Veios an Fidenas sedem belli caperent,* sedem rerum ad bellum necessariarum, locumque munitum, unde excursiones commode fierent ad vicinos infestandos. Sic *sedem ad cætera exsequenda* XXIX, 35, n. 2; *ea arx fuit Hasdrubali ad excursiones circa in mediterraneos populos faciendas,* XXVIII, 3, n. 2, et XXXIII, 14, n. 1; ὁρμητήριον πρὸς τὸν πόλεμον ap. Polyb. I, 17; II, 51, 52; III, 15; IV, 71; et ὁρμητήριον εὐφυὲς κατὰ τῆς τῶν πολεμίων χώρας ibid. V, 3, n. 9. Confer supra ad I, 33, n. 7; II, 34, n. 8; et infra ad VII, 11, n. 2; VII, 29, n. 3; XXVI, 7, n. 2; XXVIII, 42, n.

Tiberi, Veientes Fidenas transtulerunt bellum. Romæ terror ingens erat: accito exercitu ab Veiis, eoque ipso ab re male gesta perculso, castra locantur ante portam Collinam, et in muris armati dispositi, et justitium[9] in foro, tabernæque clausæ; fiuntque omnia castris, quam urbi, similiora.

XXXII. Tum trepidam civitatem, præconibus per vicos dimissis, dictator[1] ad concionem advocatam increpuit, *quod animos ex tam levibus fortunæ momentis suspensos gererent, ut, parva jactura accepta, quæ ipsa non virtute hostium, nec ignavia romani exercitus, sed discordia imperatorum, accepta sit, veientem hostem sexies victum, pertimescant, Fidenasque prope sæpius captas quam oppugnatas: eosdem et Romanos, et hostes esse, qui per tot sæcula fuerint: eosdem animos, easdem corporis vires, eadem arma gerere. Se quoque eumdem dictatorem Mam. Æmilium*[2] *esse, qui ante Veientium Fidenatiumque, adjunctis Faliscis, ad Nomentum exercitus fuderit; et magistrum equitum A. Cornelium eumdem in acie fore, qui priore bello tribunus militum, Larte Tolumnio rege Veientium in*

9; XXXVII, 18, n. 3; quibus locis etiam *caput* et *arx belli* dicitur.

9. *Justitium in foro, tabernæque clausæ*, v. III, 3, n. 1, et III, 27, n. 3.

Cap. XXXII. 1. *Dictator ad concionem advocatam increpuit*, vide ad III, 3, n. 1. — *Animos ex tam levibus fortunæ momentis* (v. ad I, 47, n. 7, et III, 27, n. 6) *suspensos*, pendentes: nam *suspensum ex aliqua re* dicitur, quod inde pendet, vel ita se habet, ut illa res est. Confer ad XLIV, 18, n. 1. — *Hostem sexies victum:* unde paulo post: *septimam infelicem defectionem.* Cf. et V, 4, n. 6, *toties* pro *sexies* multi MSS; et sane sæpius, quam sexies, victi Veientes; *septies* edd. antt. ante Ald. *sexcenties* conj. Klock. proverbiali locutione, ut *millies* V, 4. *Novies* cum Veientibus hactenus conflictatum: at pugnas post amissum Cremeræ præsidium pro una supputare videtur Livius; Glar.—Hic censet Creverius intelligendum non prælio tantum et acie *victum*, sed bello. Hinc infra in ea ipsa oratione hanc numerat dictator *septimam infelicem defectionem:* et lib. v, c. 4, Appius de iisdem Veientibus, *septies rebellarunt.* Ed. — *Eosdem et Romanos, et hostes esse, qui per tot sæcula fuerunt;* perperam Haverk. et Harlei. sec. Ed.

2. *Mam. Æmilium, qui ante Veientium*, etc. v. c. 17 s.—*A. Cornelium...*

conspectu duorum exercituum occiso, spolia opima Jovis Feretrii templo intulerit. Proin memores, secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse, cum hostibus scelus[3] *legatorum contra jus gentium interfectorum, cædem in pace Fidenatium colonorum, inducias ruptas, septimam infelicem defectionem, arma caperent. Simul castra castris conjunxissent, satis confidere, nec sceleratissimis hostibus diuturnum ex ignominia exercitus romani gaudium fore; et populum romanum intellecturum, quanto melius de republica meriti sint, qui se dictatorem tertium dixerint, quam eos*[4]*, qui, ob ereptum censuræ regnum, labem secundæ dictaturæ suæ imposuerint.* Votis deinde nuncupatis profectus, mille et quingentos passus citra Fidenas castra locat; dextra montibus, læva Tiberi amne septus. T. Quintium Penum legatum occupare montes jubet, occultumque id jugum capere, quod ab tergo hostibus foret. Ipse postero die, quum Etrusci[5] pleni animorum ab pristini diei meliore occasione, quam pugna, in aciem processissent, cunctatus parumper, dum speculatores referrent, Quintium evasisse in jugum propinquum arci Fidenarum, signa[6] profert: peditumque aciem instructam pleno gradu in hostem inducit: ma-

spolia opima... intulerit, vide c. 19, 20, ibique not. 4.

3. *Scelus legatorum interfectorum, cædem colonorum*, vide cap. 17, 30 et 31 extr.

4. *Quam eos, qui ob ereptum censuræ regnum*, etc. vide cap. 24. Sed voc. *eos* delendum, vel leg. *censores*, quod jam alii monuere. — *Labem dictaturæ suæ imposuerint*, ut ap. Curt. VII, 7; Cic. pro Quintio, cap. 31, et Sallust. Catil. 48, ubi vide Corte et Wass.

5. *Etrusci*, Veientes, *ab meliore occasione*, post, vel propter (vide ad I, 1, n. 5) meliorem (bene pugnandi) occasionem (v. ad I, 11, n. 1), *quam pugnam* (vide c. 31 pr.), *pristini diei*, non ejus, qui proxime præcessit hunc diem, vel hesterni (nam plures dies inter hunc et eum, quo Etruscis oblata erat occasio bene pugnandi, intercessere, quod ex cap. hoc et 31, liquere, jam monuit Duk.), sed unius e superioribus diebus, ut IX, 23, n. 4 (*vormalig, ehemalig*).

6. *Signa profert*, vide ad cap. 9, n. 7. — *Gradu pleno*, grandiore, vel

gistro equitum præcipit, ne injussu pugnam incipiat: se, quum opus sit, equestri auxilio signum daturum: tum ut memor regiæ[7] pugnæ, memor opimi doni, Romulique ac Jovis Feretrii, rem gereret. Legiones impetu ingenti confligunt: Romanus odio accensus, impium Fidenatem, prædonem Veientem, ruptores induciarum, cruentos legatorum infanda cæde, respersos sanguine colonorum suorum, perfidos socios, imbelles hostes compellans, factis simul dictisque odium explet.

XXXIII. Concusserat primo statim congressu hostem; quum repente, patefactis Fidenarum portis, nova[1] erumpit acies, inaudita ante id tempus invisitataque: ignibus armata ingens multitudo, facibusque ardentibus tota collucens, velut fanatico[2] instincta cursu, in hostem ruit; formaque insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit. Tum dictator, magistro equitum equitibusque, tum ex montibus Quintio ac-

incitato, qui medius est inter gradum militarem et cursum; Ernest. *Militari gradu XX millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt: pleno autem gradu, qui citatior est, totidem horis XXIV millia peragenda sunt: quidquid addideris, jam cursus est, cujus spatium non potest definiri;* Veget. de Re milit. I, 9. Confer ad VIII, 6, n. 6; IX, 45, n. 7; XXXIV, 15, n. 2; XXXIV, 16, n. 1; Manut. ad Cicer. ad Div. XII, 16; Cort. et Wass. ad Sallust. Jug. 98, al. 103; Burm. ad Quintil. declam. III, 2; Broukhus. ad Prop. IV, 10, 36. — *Equestri auxilio*, vide ad X, 5, n. 4.

7. *Regiæ pugnæ*, cum Tolumnio, *opimi doni*, etc. Confer cap. 19, 20. — *Cruentos legatorum cæde*, etc. cf. ad cap. 31, n. 7, et 32, n. 3.

Cap. XXXIII. 1. *Nova erumpit acies inaudita*, etc. Conf. ad VII, 17, n. 1. — *Invisitata*, antea non visa. Al. *inusitata*, solenni errore, ut V, 17, 35, 37; XXVII, 39; XLV, 42. — Nostri tamen MSS *inusitata* ferunt. Ed. — *Facibusque ardentibus*, vide ad II, 42, n. 7; et de toto h. l. ad VII, 17, n. 1; et Tac. Ann. XIV, 30, 2. *Ignes* et *faces* h. l. sunt synon. et hoc explicat illud, *anguibus armata* non male conj. Grut. ex VII, 17, n. 1, et Flor. I, 12, 7, ubi confer Duk.

2. *Fanatico instincta cursu*, numine quodam afflata et ad cursum impulsa. Confer XXXVIII, 18, et Duker. ad Flor. III, 19, 4. — *Romanos parumper exterruit*; *parum exterruit* Leid. sec. reliquis dissentientibus, qui vulgatum defendunt. Et alibi sæpe Livius ea voce usus est; verbi gratia, lib. II, cap. 10, et lib. V, cap. 38. Ed.

cito, prælium ciens, ipse in sinistrum cornu, quod, incendio[3] similius quam prælio, territum cesserat flammis, accurrit: claraque voce, *Fumone victi*, inquit, *velut examen apum loco vestro exacti, inermi cedetis hosti? non ferro exstinguetis ignes? non faces has ipsas pro se quisque, si igni, non telis, pugnandum est, ereptas ultro inferetis? Agite nominis romani ac virtutis patrum vestræque memores, vertite incendium hoc in hostium urbem; et suis flammis delete Fidenas, quas vestris beneficiis placare non potuistis: legatorum hoc vos vestrorum colonorumque sanguis, vastatique fines monent.* Ad imperium dictatoris mota[4] cuncta acies: faces partim emissæ excipiuntur, partim vi eripiuntur; utraque acies armatur igni. Magister equitum et ipse novat pugnam equestrem: frenos ut detrahant equis, imperat: et ipse princeps, calcaribus subditis evectus, effreno equo in medios ignes infertur; et alii concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem: pulvis elatus mixtusque fumo lucem ex oculis virorum equorumque aufert: ea, quæ militem terruerat, species nihil terruit equos. Ruinæ igitur[5] similem stragem eques, quacumque pervaserat, dedit: clamor deinde accidit novus: qui quum utramque mirabundam in se aciem vertisset, dictator exclamat; *Quintium legatum et suos ab tergo hostem adortos:* ipse, redintegrato clamore, infert acrius signa. Quum duæ acies, duo

3. *Incendio similius quam prælio* paulo durius dictum pro: ardenti similius quam præelianti; abstr. pro concr.

4. *Mota cuncta acies,* vid. ad XLIV, 1, n. 5. — *Novat pugnam equestrem,* h. e. mutat, novam ei insolitamque speciem induit. Confer Flor. I, 11, 3. Idem strategema Frontinus quidem II, 8, 9, sed ille solus, jam Tarquinio adscripsit; Drak.

5. *Ruinæ similem stragem,* cadaveribus hostium promiscue et acervatim prostratis et jacentibus instar trabium lapidumve ædificii collapsi aut diruti. Similiter fere *ruina fundi*, vel *in præceps deferri* ac *devolvi* dicuntur V, 43, 47, et XXI, 33, qui deturbati per præceps *ruunt*, et ita ut alter cadat super alterum.—Sic et Curtius, III, 11, *Tum vero similis ruinæ strages erat.* Ed.

diversa prælia, circumventos Etruscos et a fronte et ab tergo urgerent, neque in castra retro, neque in montes, unde se novus hostis objecerat, iter fugæ esset, et equitem[6] passim liberi frenis distulissent equi, Veientium maxima pars Tiberim effusi petunt. Fidenatium qui supersunt, ad urbem Fidenas tendunt: infert pavidos fuga in mediam cædem; obtruncantur in ripis; alios, in aquam compulsos, gurgites ferunt: etiam peritos nandi lassitudo et vulnera et pavor degravant; pauci ex multis tranant: alterum agmen fertur per castra in urbem: eadem et Romanos sequentes impetus rapit; Quintium maxime, et cum eo degressos modo de montibus, recentissimum ad laborem militem, quia ultimo prælio advenerat.

XXXIV. Hi, postquam mixti hostibus portam intravere, in[1] muros evadunt; suisque capti oppidi signum ex muro tollunt. Quod ubi dictator conspexit (jam enim et ipse in deserta hostium castra penetraverat), cupientem militem discurrere ad prædam, spe injecta majoris in urbe prædæ, ad portam ducit; receptusque intra muros, in arcem, quo ruere fugientium turbam videbat, pergit: nec minor cædes in urbe, quam in prælio, fuit; donec, abjectis armis, nihil præter vitam petentes, dictatori deduntur: urbs castraque diripiuntur. Postero die singulis[2] captivis ab equite ad

6. *Equitem* (romanum, hostibus fugientibus ubique obvium) *distulissent* (ita scripsi auctore Gronov. pro vulg. *dispulissent*) *equi*, h. e. in varias partes tulissent, dissipassent, ita ut omnes fere exitus viasque obsiderent. Sic *differre* VI, 42, n. 5; et apud Velleium, II, 79 (ubi vide Intpp.); Tacit. Hist. V, 23 extr. — *Gurgites ferunt*, auferunt. — *Eadem* via. — Sunt qui *eodem* maluerint quibusdam repertum in codicibus: id est, in eumdem locum, nempe in urbem. Nostram autem in lecturam optimi uno ore libri conspirant; et insuper notandum ea voce *eadem*, adverbio loci, sæpius usum esse Livium. Vide inferius paulo, cap. XXXIX; rursum lib. V, cap. XLVI, et al. ED.

CAP. XXXIV. 1. *In muros evadunt*, vide ad II, 7, n. 7.

2. *Singulis captivis ab equite* quoli-

centurionem sorte ductis, et, quorum eximia virtus fuerat, binis, aliis sub corona venumdatis, exercitum victorem opulentumque præda triumphans dictator Romam reduxit; jussoque magistro equitum abdicare se magistratu, ipse deinde abdicat die sexto-decimo, reddito in pace imperio, quod in bello trepidisque rebus acceperat. Classi[3] quoque ad Fidenas pugnatum cum Veientibus, quidam annales retulere: rem æque difficilem atque incredibilem; nec nunc lato satis ad hoc amne; et tum aliquanto, ut a veteribus accepimus, arctiore; nisi in trajectu forte fluminis prohibendo, aliquarum navium concursum in[4] majus, ut fit, celebrantes, navalis victoriæ vanum titulum appetivere.

XXXV. Insequens annus tribunos militares consulari potestate habuit, A. Sempronium Atratinum, L. Quintium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatum. Veientibus annorum viginti induciæ datæ, et Æquis triennii, quum plurium annorum petissent: et ab seditionibus urbanis otium fuit. Annum insequentem, neque bello foris, neque domi seditione insignem, ludi bello voti celebrem, et tribunorum militum apparatu, et finitimorum concursu, fecere. Tribuni consulari potestate erant Ap. Claudius Crassus, Sp. Nautius Rutilus, L. Sergius Fidenas, Sex.

bet *ad*, apud, *centurionem sorte ductis, et, quorum* equitum *eximia virtus fuerat, binis*, ut singuli equites eos, tanquam virtutis præmia, servos domum ducerent. — *Aliis sub corona venumdatis*, vide ad II, 17, n. 3.

3. *Classi quoque ad Fidenas*, etc. confer ad cap. 12, n. 8. Plerique edidere *classibus*, et fuere, qui *classes* in *quibusdam annalibus*, a Livio male intellectis, copias, inprim. equestres, dictas putarent. Cf. Drak. ad h. l. Heyn. ad Virgil. Æn. VII, 716. — *Nec lato satis ad hoc amne*, ut classi pugnetur.

4. *Concursum in majus celebrantes*, jactantes, dicendo augentes, ut XXXV, 2, n. 1; *magnis sermonibus celebrare*, vide ad I, 4, n. 13, et IV, 1, n. 6. — *Concursu* Gaertn. et Frag. Hav. ferunt a sec. manu. Sed patet ultimam literam τοῦ *concursum* excidisse ob similitudinem proximæ voculæ *in*. Ed.

Julius Julus. Spectaculum[1] comitate etiam hospitum, ad quod publico consensu venerant, advenis gratius fuit. Post ludos, conciones seditiosæ tribunorum plebi fuerunt, objurgantium multitudinem, *quod, admiratione eorum quos odisset stupens, in æterno se ipsa teneret servitio: et non modo ad spem*[2] *consulatus in partem revocandam aspirare non auderet, sed ne in tribunis quidem militum creandis (quæ communia essent comitia patrum ac plebis), aut sui, aut suorum meminisset. Desineret ergo mirari, cur nemo de commodis plebis ageret: eo*[3] *impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur: nihil non aggressuros homines, si magna conatis magna præmia proponantur. Ut quidem aliquis tribunus plebis ruat cæcus in certamina periculo ingenti, fructu nullo; ex quibus pro certo habeat, Patres, adversus quos tenderet, bello inexpiabili se persecuturos; apud plebem, pro qua dimicaverit, nihilo se honoratiorem fore, neque sperandum, neque postulandum esse. Magnos animos magnis honoribus fieri: neminem*[4] *se plebeium contempturum, ubi contemni desissent: ex-*

Cap. XXXV. 1. *Spectaculum, ad quod publico consensu venerant, comitate,* etc. Ita forte legendum transpositis verbis. Sed Livius passim et singula verba et sententias transponit, v. c. *præterquam* infra cap. 48 pr. (ubi vide not. 1) *adversus intercessionem collegæ* inf. cap. 53 med. (quæ verba cum illis, *auxilio futuros esse,* jungenda sunt) *repente* V, 8 pr. quod minus voci *proditis*, quam *oppressum est*, convenit. Confer sup. ad cap. 2, n. 3, et III, 72, n. 3, et verba *majore mole* V, 12, n. 6, quæ ad remotius *tractabantur* referenda monet Periz. Conf. sup. ad cap. 2, n. 3, et ad III, 72, n. 3. Alii conj. *ad quos*, vel *comitate etiam hospitii, in quam consilio publico,* vel *in quam publice consenserant.*

2. *Ad spem consulatus in partem* suam, seu plebis *revocandam*, vocandam; vel ut consulatus, aut unius certe loci particeps fieret. Conf. ad V, 21, n. 4, et VII, 22, n. 4.

3. *Eo impendi laborem,* etc. confer supra cap. 2 pr.—*Magna conatis*, iis qui magna conarentur, auderent. — *Ruat cæcus*, vide ad IX, 5, n. 4. — *Bello inexpiabili*, vide ad XXXIX, 51, n. 3. — *Neque sperandum, neque postulandum esse, ut aliquis tribunus plebis*, etc.

4. *Neminem se plebeium contemptu-*

periendam rem denique in uno aut altero esse, sitne aliquis plebeius ferendo magno honori; an portento simile miraculoque sit, fortem ac strenuum virum aliquem exsistere ortum ex plebe. Summa vi expugnatum esse, ut tribuni militum consulari potestate et ex plebe crearentur : petisse viros domi militiæque spectatos : primis annis sugillatos, repulsos; risui patribus fuisse; desisse postremo præbere ad contumeliam os : nec se videre, cur non lex quoque abrogetur, qua id liceat, quod numquam futurum sit : minorem [5] quippe ruborem fore in juris iniquitate, quam si per indignitatem ipsorum prætereantur.

XXXVI. Hujus generis orationes, cum assensu auditæ, incitavere quosdam ad petendum tribunatum militum, alium alia de commodis plebis laturum se in magistratu profitentem : agri publici dividendi coloniarumque deducendarum ostentatæ spes; et vectigali possessoribus agrorum imposito, in stipendium militum erogandi æris. Captatum deinde tempus ab tribunis militum, quo per [1] discessum hominum ab urbe, quum Patres clandestina denuntiatione revocati ad diem certam essent, senatus consultum fieret, absentibus tribunis [2] plebi; ut, quoniam Volscos in Her-

rum, neminem plebeiorum, vel neminem, quod, seu etsi plebeius sit, indignum se honoribus judicaturum, humiliter de se sensurum et *magnos animos* non habiturum, *ubi desissent* (forte *desisset*, nisi *nemo*, ut *quisque*, collect. dici malis) *contemni* ab aliis et adeo ab hominibus suæ sortis, h. e. in creandis summis magistratibus præteriri, ad eos non admitti. Conf. XXII, 34, n. 6, et XXV, 38, n. 9. —*Sitne aliquis plebeius ferendo magno honori*, vide ad II, 9, n. 5.

5. *Minorem ruborem*, pudorem et contumeliam, *fore in juris iniquitate*, si lege iniqua a summis honoribus excluderentur, si ad eos aspirare lege non liceret, *quam si* illis haberentur indigni.

Cap. XXXVI. 1. *Per discessum hominum ab Urbe* (rusticandi gratia, ut videtur; Doer.) *captatum tempus*, v. III, 9, n. 4.—*Ad diem certam; certum* habent quidam; male: in hac enim locutione Livius feminino uti amavit. Ed.

2. *Tribunis plebi* (vide ad II, 33, n. 2) *non... quod contenderent, fuit*, scil. aliquid, vel causa et ratio.

nicorum agros prædatum exisse fama esset, ad rem inspiciendam tribuni militum proficiscerentur, consulariaque comitia haberentur. Profecti Ap. Claudium, filium decemviri, præfectum Urbis relinquunt, impigrum juvenem, et jam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum plebisque. Tribunis plebi nec cum absentibus iis, qui senatus consultum fecerant, nec cum Appio, transacta re, quod contenderent, fuit.

XXXVII. Creati consules sunt C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, sed memoria digna, traditur eo anno facta: Vulturnum [1], Etruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam; Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero est, a campestri agro appellatam: cepere autem, prius bello fatigatis Etruscis, in societatem urbis agrorumque accepti: deinde festo die graves [2] somno epulisque incolas veteres novi coloni nocturna cæde adorti. His [3] rebus actis, consules ii, quos diximus,

CAP. XXXVII. 1. *Vulturnum, Etruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam ... appellatam,* confer Strab. V, pag. 242, al. 371; ad Sil. XI, 30, 177 sq. 299 sq. et Heyn. Opus. Acad. t. V, p. 435, ubi hæc notavit: « Neutrum verum; sed nomen a Tuscis inditum, viso falconis augurio, qui tusca lingua *capys* dicitur, ut adeo *Vulturnum* ejus interpretamentum habendum sit. *Capere autem* Samnites, *prius bello fatigatis Etruscis*, gesto, opinor, cum ipsis Samnitibus, qui ante hæc tempora Campaniam infestare cœperant, *in societatem urbis agrorumque accepti* Samnites ab Etruscis, ut hoc adeo tanquam pacis fœdere bellum compositum fuerit (conf. Diodor. XII, 31; Syncell. pag. 198; Euseb. Chron. Hieron. ad annum Urb. cond. 316; ab Ch. n. 438); *deinde festo graves adorti*, conjuratione facta Samnitium et ritu quodam sacramenti vetusto velut initiatis militibus; v. X, 38. Jam nunc igitur *Capua Samnitium* urbs facta; quos constat intelligendos esse, quoties *Campani* narrantur Dionysio et Agathocli se mercede conducendos dedisse. Sic IV, 44, *a Campanis Cumæ capiuntur*, hoc est, a Samnitibus, ut IV, 52, *ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque.* »

2. *Graves somno epulisque*, ut alibi *gravati* et βεβαρηκότες; vide Drakenb. Sic *vino, somno* et *cibo graves* XXIX, 34; XXXI, 41; et *semigraves vino* XXV, 24 pr. ubi paulo post dicitur *gravatis omnibus vino somnoque.* — *Mero somnoque gravis*, Ov. Met. III, 608, et *somnoque gravatum*, Val. Flac. II, 568. Ed.

3. *His rebus actis*, tum, eo tempore,

Idibus decembribus magistratum occepere : jam non solum, qui ad id missi erant, retulerant, imminere volscum bellum; sed legati quoque ab Latinis et Hernicis nuntiabant, *Non ante unquam Volscos nec ducibus legendis, nec exercitui scribendo, intentiores fuisse : vulgo fremere, aut in perpetuum arma bellumque oblivioni danda, jugumque accipiendum; aut iis, cum quibus de imperio certetur, nec virtute, nec patientia, nec disciplina rei militaris cedendum esse.* Haud [4] vana attulere; sed nec perinde Patres moti sunt; et C. Sempronius, cui [5] ea provincia sorti evenit, tanquam [6] constantissimæ rei, fortunæ fretus, quod victoris populi adversus victos dux esset, omnia temere ac negligenter egit : adeo ut disciplinæ romanæ plus in volsco exercitu, quam in romano, esset! ergo fortuna, ut sæpe alias, virtutem est sequuta : primo prælio, quod ab Sempronio incaute inconsulteque commissum est, non subsidiis firmata acie, non equite apte locato, concursum est. Clamor [7] indicium primum fuit, quo res inclinatura esset : excitatior crebriorque

Doer. Hæc verba delenda putabat Gronovius. — *Qui ad id missi erant*, tribuni militum, eo consilio missi, ut explorarent, utrum Volsci in Hernicorum agros prædatum exissent. Cf. cap. 36. —*De imperio certetur; certatur* Fragm. Hav. a manu pr. male. Mox etiam *credendum*, pro *cedendum*. Ed.

4. *Haud vana attulere*, vera, ut XXIV, 24, n. 3. Conf. ad I, 8, n. 3. — *Sed nec perinde Patres moti sunt*, non tantopere, non ita, ut plebs; vel magnopere, valde, ut XXXVII, 40, n. 2, et germ. *so* pro *sonderlich*; vel pro rei gravitate. Conf. Suet. Tib. 52 pr. et Galb. 13 pr.

5. *Cui ea provincia* (vid. ad II, 40, n. 9) *sorti*, in sortem, quasi portionem et munus, vel *sorti* pro *sorte*, *evenit*; al. *sorte*, ut XXIX, 20 et al. Conf. ad IV, 12, n. 8; XXVIII, 45, n. 5, et ad Sil. VII, 368.

6. *Tanquam constantissimæ rei, fortunæ fretus* cum Strothio, qui hoc ad Livii patavinitatem referebat, restitui ex MSS et edd. antt. (in plerisque tamen est *fortuna*) pro vulgata lectione, *constantissima res, fortuna*, quam Drak. non nisi in MS Portug. reperit. Sic in omnibus libris VI, 13 pr. legitur *nulli rei freta*, et in plerisque optimisque VI, 31; *discordiæ fretus*, et VIII, 32. *Samnitium infidæ ... societati freta*, ubi Gronov. τὸ *freta* delendum putat, ut omnia a *fidens* pendeant.

7. *Clamor indicium primum fuit*...

ab hoste sublatus; ab Romanis dissonus, impar, segnius sæpe iteratus, incerto clamore prodidit pavorem animorum : eo ferocior illatus hostis, urgere scutis, micare gladiis : altera ex parte nutant circumspectantibus galeæ, et incerti trepidant, applicantque se turbæ : signa nunc resistentia deseruntur ab antesignanis, nunc inter suos manipulos recipiuntur : nondum fuga certa; nondum victoria erat : tegi magis Romanus, quam pugnare : Volscus inferre signa; urgere aciem; plus cædis hostium videre, quam fugæ.

XXXVIII. Jam omnibus locis ceditur : nequidquam Sempronio consule objurgante atque hortante, nihil nec imperium, nec majestas valebat; dataque mox terga hostibus forent, ni Sex. Tempanius, decurio [1] equitum, labente [2] jam re, præsenti animo subvenisset : qui quum magna voce exclamasset, ut *equites, qui salvam rempublicam vellent, ex equis desilirent;* omnium turmarum equitibus, velut ad consulis imperium motis, *Nisi hæc*, inquit, *armata cohors sistat impetum hostium, actum de imperio est : sequimini pro vexillo cuspidem meam : ostendite Romanis Volscisque, neque equitibus vobis ullos equites, nec peditibus esse pedites pares.* Quum clamore comprobata adhortatio esset, vadit alte cuspidem gerens : quacumque incedunt, vi viam faciunt : eo se inferunt objectis parmis, ubi suo-

animorum, cf. XXX, 34 pr. Polyb. XV, 12 extr. et Homer. Il. IV, 437 sq. — *Incerto clamore* verba importuna et forte delenda; saltem legend. *incertus clamor* (conf. ad I, 3, n. 8): sed præstat. simpl. *incertus*. Conf. X, 36, n. 3. Alii pro *clamore* conjic. *tenore, clangore, sonore, canore, etiam ore*, et *languore*.

CAP. XXXVIII. 1. *Decurio equitum*, qui præest uni *turmæ*, quæ XXXII equites habet. Sic Vegetius, II, 14.

2. *Labente jam re*, conf. ad Præfat. n. 12, nisi leg. *labante* cum Gronov. qui et mox cum Schelio scribendum putabat : *Nisi hæc, inquit, parmata cohors*, etc. Confer c. 39 pr. Equitum fuisse *parmas*, docet Lips. de mil. rom. III, 7. Turmæ autem equitum in hac pedestri pugna formaverant *cohortem*, sibique tanquam peditibus centuriones præfecerant; vide cap. 42 pr.

rum plurimum[3] laborem vident : restituitur omnibus locis pugna, in quæ eos impetus tulit; nec dubium erat, quin, si tam pauci simul obire omnia possent, terga daturi hostes fuerint.

XXXIX. Et quum jam parte nulla sustinerentur, dat[1] signum volscus imperator, ut parmatis, novæ cohorti hostium, locus detur, donec impetu illati ab suis excludantur : quod ubi est factum, interclusi equites : nec perrumpere[2] eadem, qua transierant, posse, ibi maxime confertis hostibus, qua viam fecerant : et consul legionesque romanæ, quum, quod tegumen modo omnis exercitus fuerat, nusquam viderent, ne tot fortissimos viros interclusos opprimeret hostis, tendunt in quemcumque casum. Diversi Volsci hinc consulem ac legiones sustinere, altera fronte instare Tempanio atque equitibus : qui quum sæpe conati nequissent perrumpere ad suos, tumulo occupato, in[3] orbem se tutabantur, nequaquam inulti : nec pugnæ finis ante noctem fuit. Consul quoque, nusquam remisso certamine, dum quidquam superfuit lucis, hostem tenuit : nox incertos diremit; tantusque ab[4] imprudentia eventus utraque castra tenuit pavor, ut, re-

3. *Plurimum laborem*, acerrimum certamen, ut πόνος et μόχθος, vel plurimum periculi aut cladis. *Labores* et *pericula* junguntur IV, 35; XXV, 6; XXXIII, 39.—Sic *labores Hesperiæ*, Silius, I, 3; nostr. edit. p. 3. Ed.

Cap. XXXIX. 1. *Dat signum volscus imperator*, imperavit voce, ut II, 29, et XXI, 14, n. 3; vel vulgavit, prodidit, dixit, ut V, 36, n. 1; XXI, 14, 2 al. *impetu illati* in medios hostes, utrimque cedentes; nisi cum Dukero legere malis *impetu elati*, longius progressi, quam ut ad suos recipere se possent, ut supra III, 5. *Furium legatum longius extulit cursus ita exclusus*, etc.

2. *Perrumpere eadem* via, seu parte. Confer ad III, 70, n. 2.

3. *In orbem se tutabantur*, vid. II, 50, n. 6.—*Nequaquam inulti; multi* habent Lovel. 3, et quædam ex priscis excusis, solito errore. Ed.—*Hostem tenuit* pugnando, cum eo pugnavit.

4. *Ab imprudentia eventus*, ob ignorantiam eventus prælii. Sic *imprudens* dicitur ignarus, qui ignorat, quod scire nequit, v. c. *religionis* XXXI, 14; et *maris* XXXIV, 9, h. e. ignarus et expers rei navalis.

lictis sauciis et magna parte impedimentorum, ambo pro victis exercitus se in montes proximos reciperent. Tumulus tamen circumsessus ultra mediam noctem est : quo quum circumsedentibus nuntiatum esset, castra deserta esse, victos rati suos, et ipsi, qua quemque in tenebris pavor tulit, fugerunt. Tempanius metu insidiarum suos[5] ad lucem tenuit : degressus deinde ipse cum paucis speculatum, quum ab sauciis hostibus sciscitando comperisset, castra Volscorum deserta esse, lætus ab tumulo suos devocat, et in castra romana penetrat. Ubi quum vasta desertaque omnia, atque eamdem, quam apud hostes, fœditatem[6] invenisset, priusquam Volscos cognitus error reduceret, quibus poterat sauciis ductis secum, ignarus quam regionem consul petisset, ad urbem proximis itineribus pergit.

XL. Jam eo fama pugnæ adversæ castrorumque desertorum perlata erat; et ante omnia deplorati erant equites, non privato magis quam publico luctu; Fabiusque consul, terrore urbi quoque injecto, stationem ante portas agebat : quum equites, procul visi non sine terrore ab dubiis, quinam essent, mox cogniti, tantam ex metu lætitiam fecere, ut clamor urbem pervaderet gratulantium, salvos victoresque redisse equites : et ex mœstis paulo ante domibus, quæ[1] conclamaverant suos, procurreretur in vias; pavidæque matres ac conjuges, oblitæ præ gaudio decoris, obviam agmini occurrerent, in[2] suos quæque simul corpore

5. *Suos ad lucem tenuit*, retinuit in tumulo. *Degressus* (scilic. de tumulo) pro vulg. *Digressus* recepi ex editt. quibusdam.

6. *Fœditatem invenisset*, fœda desertorum castrorum vestigia; Doer.— *Quibus poterat sauciis ductis secum*, vide ad I, 29, n. 4.

Cap. XL. 1. *Quæ conclamaverant suos* tanquam mortuos; de quo veterum more vide ad III, 38, n. 3, et ad Sil. II, 647.— Apud antiquos solenne erat mortuos, antequam sepulcro reliquiæ mandarentur, *magna ter voce vocari* : vide Virg. Æn. VI, 506. Ed.

2. *In suos quæque simul corpore*

atque animo, vix præ gaudio compotes, effusæ. Tribunis plebi, qui M. Postumio et T. Quintio diem dixerant, quod ad[3] Veios eorum opera male pugnatum esset, occasio visa est per recens odium Sempronii consulis renovandæ in eos invidiæ. Itaque advocata concione, quum proditam Veiis rempublicam esse ab ducibus, proditum deinde, quia illis impune fuerit, Volscis ab consule exercitum, traditos ad cædem fortissimos equites, deserta fœde castra, vociferati essent; C. Julius, unus ex tribunis, Tempanium[4] equitem vocari jussit: coramque eis, *Sexte Tempani,* inquit, *quæro de te, arbitrerisne, C. Sempronium consulem, aut in tempore pugnam inisse, aut firmasse subsidiis aciem, aut ullo boni consulis functum officio? et, tune ipse, victis legionibus romanis, tuo consilio equitem ad pedes deduxeris restitueris que pugnam? excluso deinde ab acie nostra tibi atque equitibus, num aut consul ipse subvenerit, aut miserit præsidium? postero denique die ecquid præsidii usquam habueris? an tu cohorsque in castra vestra virtute perruperitis? ecquem in castris consulem, ecquem exercitum inveneritis? an deserta castra, relictos saucios milites? Hæc pro virtute tua fideque*[5], *qua una hoc bello respublica stetit, dicenda tibi sunt hodie: denique, ubi C. Sempronius, ubi legiones nostræ sint? desertus sis, an deserueris consulem exercitumque? victi denique simus, an vicerimus?*

atque animo effusæ, proruentes, *vix præ gaudio compotes* sui.

3. *Quod ad Veios eorum opera*, culpa, *male pugnatum esset*, quinto ante anno, vide supra cap. 31. Cur vero rei nunc demum facti? et cur hi soli, neque etiam C. Furius? vide cap. 31 pr. Ratio, cur Furii mentio non fiat, illa esse posset, quod forte paulo post gestum tribunatum consularem obierit, ante quam collegæ ejus accusarentur; Drak.

4. *Tempanium equitem:* nam eques sane dici potest, qui decurio equitum erat (vide cap. 38): sed *equitem* hic friget; et del. forte; Duk.

5. *Fide respublica stetit*, vide ad I, 3, n. 2.

XLI. Adversus hæc Tempanii oratio[1] incompta fuisse dicitur; cæterum militariter gravis, non suis vana laudibus, non crimine alieno læta: *Quanta prudentia rei bellicæ in C. Sempronio esset, non militis de imperatore existimationem*[2] *esse, sed populi romani fuisse, quum eum comitiis consulem legeret. Itaque ne ab se imperatoria consilia, neu consulares artes exquirerent, quæ pensitanda quoque magnis animis atque ingeniis essent; sed, quod viderit, referre posse: vidisse autem se prius, quam ab acie intercluderetur, consulem in prima acie pugnantem, adhortantem, inter signa romana telaque hostium versantem: postea se, ab conspectu suorum ablatum, ex strepitu tamen et clamore sensisse, usque ad noctem extractum certamen: nec ad tumulum, quem ipse tenuerat, præ multitudine hostium credere perrumpi potuisse. Exercitus ubi esset, se nescire: arbitrari, velut ipse in re trepida loci præsidio se suosque sit tutatus, sic consulem servandi exercitus causa loca tutiora castris cepisse: nec Volscorum meliores res esse credere, quam populi romani: fortunam noctemque omnia erroris mutui implesse.* Precantemque[3] deinde, ne se fessum labore ac vulne-

Cap. XLI. 1. *Oratio incompta, cæterum militariter gravis,* conf. ad Tac. Annal. XV, 67, 4. — *Non suis vana laudibus,* vaniloqua, vanæ laudis et jactationis plena.—*Crimine,* criminatione.

2. *Existimationem* (al. æstimationem) *esse,* vide ad IV, 20, n. 7. Mox forte legendum *consulem legisset;* et deinde *ad tumulum, quem ipse tenuerit.* — *Quæ pensitanda.* Quæ vel magni animi magnaque ingenia mature etiam expendere opus haberent. Ed.—*Credere perrumpi potuisse;* bene ita ferunt priscæ editiones. Attamen tres MSS *prorumpi* habent, ut supra cap. 39, *qui quum sæpe conati nequissent prorumpere ad suos;* cap. 60, *an tu cohorsque in castra vestra virtute proruperitis.* Inde *prorumpi* quidam admiserunt: eam vero lectionem ex librariorum errore natam esse haud immerito censet Drakenborch. Vox autem *credere* abest ab omnibus editis, quos vidimus, Aldo antiquioribus. Is quidem primus addidit, et omnes scriptos concinentes habet. Ed.

3. *Precantemque deinde dimissum,* scil. *accipio* (quod in uno MS Neapol. et quibusdam edd. antt. addi-

ribus tenerent, cum ingenti laude non virtutis magis, quam moderationis, dimissum. Quum hæc agerentur, jam consul via[4] Lavicana ad fanum Quietis erat: eo missa plaustra jumentaque alia ab Urbe exercitum affectum prælio ac via nocturna excepere. Paulo post in Urbem est ingressus consul, non ab se magis enixe amovens culpam, quam Tempanium meritis laudibus ferens. Mœstæ civitati ab re male gesta, et iratæ ducibus, M. Postumius[5] reus objectus, qui tribunus militum pro consule ad Veios fuerat, decem millibus æris gravis damnatur. T. Quintium collegam ejus, quia et in Volscis consul auspicio dictatoris Postumii Tuberti, et ad Fidenas legatus dictatoris alterius Mam. Æmilii, res prope gesserat, totam culpam ejus temporis in prædamnatum collegam transferentem, omnes tribus absolverunt. Profuisse ei Cincinnati patris memoria dicitur, venerabilis viri, et exactæ jam ætatis Capitolinus Quintius, suppliciter orans, ne se, brevi reliquo vitæ spatio, tam[6] tristem nuntium ferre ad Cincinnatum paterentur.

XLII. Plebs[1] tribunos plebi absentes, Sex. Tempanium, A. Sellium, Sex. Antistium, et Sp. Icilium, fecit;

tur), vel *ferunt, tradunt*, etc. Tale verbum culpa librariorum excidisse videtur; saltem supplendum est. Si hæc verba ad initium capitis referas, sequi nunc debebat *precansque deinde.... dimissus;* nisi quis Livium post intervallum satis longum orationis anteced. immemorem fuisse dicere malit; Doer. Conf. ad II, 32, n. 3.

4. *Via Lavicana,* vide ad II, 39, n. 5; *ad fanum Quietis,* extra et prope portam Collinam.

5. *M. Postumius* et *T. Quintius* rei, vide ad cap. 40, n. 3.—*Tribunus militum pro consule*, al. consulari potestate; nisi cum Dukero legendum *trib. mil. p. c.* h. e. potestate consulari.

6. *Tam tristem nuntium ferre ad Cincinnatum*, in inferis, ad ejus umbras. Confer Virg. Æn. II, 547 seq. et ad Juvenal. II, 153 seq.

Cap. XLII. 1. *Plebs tribunos plebi* (vide ad II, 33, n. 2) *fecit absentes* h. l. non ab Urbe, sed a campo Martio et comitiis, non petentes tribunatum. Cf. VIII, 22, n. 2; X, 5 extr. 22 extr.; XXVI, 22, n. 6; forte et XXII, 35, n. 6. Magistratus tamen etiam absentes ab Urbe nonnunquam creabantur, ut XXIII, 24; XXIV, 9, 43. —*L. An-*

quos[2] et pro centurionibus sibi præfecerant, Tempanio auctore, equites. Senatus, quum odio Sempronii consulare nomen offenderet, tribunos militum consulari potestate creari jussit: creati[3] sunt L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papirius Mugillanus. Principio statim anni L. Hortensius tribunus plebis C. Sempronio consuli anni prioris diem dixit: quem quum quatuor collegæ, inspectante populo romano, orarent, ne imperatorem suum innoxium, in quo nihil præter fortunam reprehendi posset, vexaret; ægre Hortensius pati, tentationem eam credens esse perseverantiæ suæ; nec precibus tribunorum, quæ in speciem modo jactentur, sed auxilio confidere reum. Itaque modo ad eum conversus; *Ubi illi patricii spiritus, ubi subnisus et fidens*[4] *innocentiæ animus esset?* quærebat: *sub tribunitia umbra consularem virum delituisse.* Modo ad collegas; *Vos autem, si reum perago, quid acturi estis? an erepturi jus populo, et eversuri tribunitiam potestatem?* Quum illi, *et de Sempronio, et de omnibus summam populi romani potestatem esse*, dicerent, *nec se*

tistium et Sex. Pompilium alii, forte rectius. Confer cap. 44 pr.

2. *Quos et pro centurionibus sibi præfecerant*, confer ad cap. 38, n. 2. —*Pro centurionibus* dicit Livius, non *centuriones*, quia nulli erant centuriones apud equites, sed proprii erant illi pedestrium copiarum. Sed hi equites, quum sine equis tum essent, pro pedestribus copiis haberi potuerant et voluerant, atque ideo sibi quosdam quasi centuriones præfecerant. Ed. — *Offenderet* scilicet cives, populum; vel invisum esset, propter odium Sempronii consulis.

3. *Creati sunt*, cur tres tantum, quum jam quatuor quotannis creari cœperint? Sigonius bene suspicabatur, excidisse nomen quarti, L. Servilii Structi, quem *iterum* fuisse trib. mil. cons. pot. anno Urbis conditæ 337 Livius tradit infra cap. 47 extr. Idem cap. 44 extr. *C. Servilium* e tabb. Capitol. addidit, legens: *Sp. Nautium, C. Servilium.* Confer et ad c. 47, n. 2.

4. *Subnisus et fidens innocentiæ*, vide ad XXV, 41, n. 1. — *Si reum perago* pro simpl. *ago* (XXIV, 25 pr. et XLV, 37), vel facio, ut apud Plin. Ep. III, 9, § 4, 30, 36; Ovid. Trist. I, 1, 24 (ubi sequitur *neu, cave, defendas*) et al. Posterior demum ætas alio sensu *peragere reum*, vel *accusationem* (Plin. VI, Ep. 31, 6) dixisse videtur, scilicet si ea efficitur, ut reus damnetur, et qua non prius absistitur,

judicium populi tollere aut velle, aut posse; sed si preces suæ pro imperatore, qui sibi parentis esset loco, non valuissent, se[5] *vestem cum eo mutaturos*: tum Hortensius, *Non videbit*, inquit, *plebs romana sordidatos tribunos suos: C. Sempronium*[6] *nihil moror, quando hoc est in imperio consecutus, ut tam carus esset militibus*. Nec pietas quatuor tribunorum, quam Hortensii tam placabile ad justas preces ingenium, pariter plebi Patribusque gratior fuit. Non diutius fortuna Æquis indulsit, qui ambiguam victoriam Volscorum pro sua amplexi fuerant.

XLIII. Proximo anno, N. Fabio Vibulano, T. Quintio, Capitolini filio, Capitolino[1] consulibus, ductu Fabii, cui[2] sorte ea provincia evenerat, nihil dignum memoratu actum. Quum trepidam tantum ostendissent aciem Æqui, turpi fuga funduntur, haud magno consulis decore: itaque triumphus negatur: cæterum ob Sempronianæ cladis levatam ignominiam, ut ovans Urbem intraret, concessum est. Quemadmodum bellum minore, quam timuerant, dimicatione erat perfectum, sic in Urbe ex[3] tranquillo nec opinata moles discordiarum inter plebem ac Patres exorta est, cœpta ab duplicando quæstorum numero. Quam rem, ut, præter duos urbanos quæstores, duo consulibus ad ministeria belli præsto essent, a consulibus relatam, quum et Patres summa ope approbassent, consulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quæstorum, nam

quam donec id fiat; vide ad Tac. Ann. IV, 21, n. 5 (nostr. ed. T. I, p. 426).

5. *Se vestem cum eo mutaturos*; unde mox *sordidatos tribunos*, vide ad II, 54, n. 5.

6. *C. Sempronium nihil moror*, vide ad II, 24, n. 5.

Cap. XLIII. 1. *Capitolino* glossa haud dubie, quæ abest a multis MSS et edd. antt.

2. *Cui sorte ea provincia evenerat*, vide ad II, 40, n. 8.

3. *Ex tranquillo*, vide ad III, 40, n. 9. De *Quæstorum numero* vide ad II, 8, n. 10; et II, 41, n. 12. — *Ut pars quæstorum* dimidia (bini) *ex plebe*

ad id tempus patricii creati erant, ex plebe fieret. Adversus quam actionem primo et consules, et Patres summa ope adnisi sunt: concedendo deinde, ut, quemadmodum in tribunis consulari potestate creandis usi sunt, adæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi, quum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt. Excipiunt[4] omissam tribuni, aliæque subinde, inter quas et agrariæ legis, seditiosæ actiones exsistunt: propter quos motus, quum senatus consules[5], quam tribunos, creari mallet, neque posset per intercessiones tribunitias senatusconsultum fieri, respublica a consulibus ad interregnum, neque id ipsum, nam coire[6] patricios tribuni prohibebant, sine certamine ingenti, redit. Quum pars major insequentis anni per novos tribunos plebi et aliquot interreges certaminibus extracta esset, modo prohibentibus tribunis patricios coire ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne senatusconsultum de comitiis consularibus faceret; postremo L. Papirius Mugillanus, proditus interrex, casti-

fieret. — Mox verba *usi sunt* supervacanea, et Livianam elegantiam non redolentia videntur Creverio. Ed.

4. *Excipiunt* (suscipiunt, *auffassen*) rem *omissam*, ut *causam* XXXVIII, 43; *orationem alicujus* XXXII, 33, n. 10; *prælium*, seu *pugnam* XXX, 18; XXXVIII, 22 (integris militibus subsidiisve in locum repulsorum succedentibus) et mox: *desertam omissamque ab hominibus rempublicam, deorum cura exceptam*, tutelam ejus susceptam. Sic et *pugnam acceperunt* XXXVIII, 25, n. 7; nisi et ibi leg. *exceperunt*.

5. *Consules, quam tribunos* mil. consulari potestate.

6. *Coire patricios* scilicet ad prodendum interregem; ut mox plenius dicitur. — *Certaminibus extracta pars major anni*, consumpta, ut XXII, 15, 18; XXVII, 26 inpr. segniter et sine effectu, ut X, 29, n. 8; XXIII, 47, n. 1; XXXII, 9; XXXVI, 1. Conf. ad II, 61, n. 6. Hinc annum interserit Sigonius, in quo interreges fuerint sine consulibus, vel hi designati tantum sint in proximum annum, nec magistratum extemplo occeperint. Quod etsi parum probabile videtur (confer Dodwell. de cyclis diss. 10, seu 84; et Drak. ad h. l. ubi ex IV, 37; et V, 9, docet, magistratum his temporibus initum fuisse Id. Dec.) eum tamen et h. l., et VI, 1, ubi alium interponit annum, in quo Ca-

gando nunc Patres, nunc tribunos plebis, *desertam omissamque ab hominibus rempublicam*[7], *deorum providentia curaque exceptam*, memorabat *veientibus induciis et cunctatione Æquorum stare. Unde*[8] *si quid increpet terroris, sine patricio magistratu placere rempublicam opprimi? non exercitum, non*[9] *ducem scribendo exercitui esse? an bello intestino bellum externum propulsaturos? quæ si in unum conveniant, vix deorum opibus, quin obruatur romana res, resisti posse. Quin illi, remittendo de summa quisque juris, mediis*[10] *copularent concordiam: Patres, patiendo tribunos militum pro consulibus fieri: tribuni plebis, non intercedendo, quo minus quatuor quæstores promiscue de plebe ac Patribus libero suffragio populi fierent.*

XLIV. Tribunitia[1] primum comitia sunt habita: creati tribuni consulari potestate omnes patricii, L. Quintius Cincinnatus tertium, L. Furius[2] Medullinus iterum, M. Manlius, A. Sempronius Atratinus. Hoc tribuno comitia quæstorum habente, petentibusque inter aliquot plebeios filio Antistii tribuni plebis et fratre alterius tribuni plebis Sex. Pompilii, nec potestas, nec suffragatio horum valuit, quin, quorum pa-

millus dictaturam continuaverit, secuti sumus, ut numeri saltem, quos Livius V, 54 et VII, 18, memorat, quadrent; quod alii non magis probabili ratione, annis scilicet aliis contra Livii auctoritatem infra VI, 35 et 41, insertis, perfecere.

7. *Rempublicam ... veientibus induciis* (vide cap. 35 pr.) *stare*, vide ad I, 3, n. 2.

8. *Unde*, ab iis, *si quid terroris increpet*, moveatur, propr. cum strepitu.

9. *Non ducem scribendo exercitui esse*, v. ad II, 9, n. 5. — *Vix deorum opibus ... resisti posse*, cf. c. 12, n. 4.

10. *Mediis* (al. *remediis*) *copularent concordiam* sc. consiliis, utrimque aliquid concedendo; vide ad I, 32, n. 5.

Cap. XLIV. 1. *Tribunitia primum comitia sunt habita*, deinde quæstoria.

2. *L. Furius Medullinus iterum*, vide Ind. — *A. Sempronius Atratinus* iterum; vide cap. 35 et 47. Filius fuit L. Sempronii Cos. (vide IV, 7, n. 8) et nepos A. Sempronii bis Cos. (vide II, 21, n. 34) cujus alter filius fuit A. Sempronius (vide IV, 7) ut hujus C. Sempronius, de quo vide mox plura, et supra cap. 37 et 42. Mox *suffragatio* est commendatio, ut X, 13,

tres avosque consules viderant, eos nobilitate præferrent. Furere omnes tribuni plebis, ante omnes Pompilius Antistiusque, repulsa suorum accensi, *Quidnam id*[3] *rei esset? non suis beneficiis, non Patrum injuriis, non denique usurpandi libidine, quum liceat, quod ante non licuerit, si non tribunum militarem, ne quæstorem quidem quemquam ex plebe factum. Non valuisse patris pro filio, fratris pro fratre preces, tribunorum plebis, potestatis sacrosanctæ ad auxilium libertatis creatæ. Fraudem profecto in re esse, et A. Sempronium comitiis plus artis adhibuisse, quam fidei: ejus injuria queri suos*[4] *honore dejectos.* Itaque quum in ipsum, et innocentia tutum et magistratu, in quo tunc erat, impetus fieri non posset, flexere iras in C. Sempronium, patruelem Atratini; eique[5] ob ignominiam volsci belli, adjutore collega M. Canuleio, diem dixere. Subinde ab iisdem tribunis mentio in senatu de agris dividendis illata est (cui actioni semper acerrime C. Sempronius restiterat), ratis, id quod erat, aut[6] deposita causa leviorem futurum apud Patres reum, aut perseverantem sub judicii tempus plebem offensurum. Adversæ invidiæ objici maluit, et suæ no-

n. 11. — *Furere omnes tribuni plebis, ante omnes,* quædam editiones habent: *fuere omnes tribuni...... accensi.* Pari errore sæpissime *fuit* et *furit* in libris MSS commutantur. Prius *omnes* delendum putabat Creverius. Ed.

3. *Quidnam id rei esset*, forte *esse*. — *non suis beneficiis*, etc. hoc est non respectu, vel reputatione sive beneficiorum suorum et studiorum bene de plebe merendi, pro quibus gratia sit referenda, sive *injuriarum*, a Patribus acceptarum et ulciscendarum, sive juris, nunc sibi concessi, quod cupide tandem usurpare liceat, impulsam esse plebem, ut, *si non tribunum militarem*, certe *quæstorem quemquam ex plebe facerent*, seu crearent.

4. *Suos honore dejectos*, vide ad III, 35, n. 10.

5. *Eique ob ignominiam volsci belli* (vide cap. 37 sq.) *diem dixere*, ut jam ante Hortensius, qui tamen accusationem non peregerat; vide cap. 42.

6. *Aut deposita causa*, relicta, deserta (ut apud Cic. ad Div. I, 15), h. e. si desisteret impedire legem agrariam, *leviorem futurum apud Patres reum*, h. e. minus gratum fore minus-

cere causæ, quam publicæ deesse; stetitque in eadem sententia, *Ne qua largitio, cessura in trium gratiam tribunorum, fieret: nec tum agrum plebi, sed sibi invidiam, quæri: se quoque subiturum eam tempestatem forti animo; nec senatui tanti se civem, aut quemquam alium debere esse, ut in parcendo uni malum publicum* [7] *fiat.* Nihilo demissiore animo, quum dies venit, causa ipse pro se dicta, nequidquam omnia expertis Patribus, ut mitigarent plebem, quindecim millibus æris damnatur. Eodem anno Postumia, virgo Vestalis, de incestu causam dixit, crimine [8] innoxia, ab suspicione propter [9] cultum amœniorem ingeniumque liberius, quam virginem decet, parum abhorrens: eam ampliatam, deinde absolutam, pro collegii sententia pontifex maximus abstinere jocis, colique sancte

que dignum ipsis visurum patrocinio suo, propter levitatem et inconstantiam mentis, *aut perseverantem*, persistentem in illa causa tuenda, *plebem* iratam habiturum judicem. — Mox forte leg. *nec jam* vel *enim agrum plebi*, etc.

7. *Malum publicum fiat*, vide ad II, 1, n. 3. — *Quindecim millibus æris :* Marcis argenti Paris. 23, unciis tribus cum dimidia. Ed.

8. *Crimine innoxia* (vide ad IV, 15, n. 1), *ab suspicione . . . parum abhorrens : eam* (ut legitur in codice Florent.) *ampliatam*, etc. Ita recte, opinor, emend. Gron. et edidit Stroth. quos secutus sum. Vulgo perperam legitur : *ob suspicionem, propter cultum . . . parum abhorrens famam. Ampliatam*, etc. Cf. ad Tac. Ann. XIII, 47, n. 7. Vocem *famam* librarii confluxere ex lect. MS Flor. *eam am*, et *abhorrere*, si quarto jungitur casui, est aversari, si sexto, discrepare, differre.

9. *Propter cultum*, habitum, ornatum, vestitum, *amœniorem*, elegantiorem et venustiorem, quam decebat Vestalem; ut *Minucia Vestalis suspecta propter mundiorem justo cultum* inf. VIII, 15. Hinc et mox jubetur *coli*, se colere, vestire, ornare, *sancte potius*, caste ac pudice, *quam scite*, venuste et eleganter : nam hæc ad *cultum* spectant, ut *abstinere jocis* ad *ingenium liberius*. — *Eam ampliatam :* nam *ampliari* non modo res, sive causa dicitur, sed etiam reus (ut 43, 2), cujus causa et damnatio vel absolutio in aliud tempus rejicitur, seu differtur, ut *amplius* cognoscatur et deliberetur; unde *pronuntiare amplius* apud Cic. Verr. I, 29, et Brut. 22. Ampliationis, sive ampliandi formula erat : *non liquet.* Cf. Marc. Donat. ad XLIII, 2. Ποστουμίαν τὸ γελᾷν προχειρότερον, καὶ λαλιᾷ χρῆσθαι θρασυτέρᾳ πρὸς ἄνδρας, διέβαλεν, ὥστε κριθῆναι φθορᾶς· εὑρέθη μὲν οὖν καθαρὰ τῆς αἰτίας· ἀπολύσας δὲ αὐτὴν ὁ ἀρχιερεὺς Σπόριος Μινούκιος ὑπέμνησε, μὴ χρῆ-

potius, quam scite, jussit. Eodem[10] anno a Campanis Cumæ, quam Græci tum urbem tenebant, capiuntur. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit, Agrippam Menenium Lanatum, P. Lucretium Tricipitinum, Sp. Nautium Rutilum.

XLV. Annus[1], felicitate populi romani, periculo potius ingenti, quam clade, insignis. Servitia, Urbem ut incenderent distantibus locis, conjurarunt; populoque ad opem passim ferendam tectis intento, ut arcem Capitoliumque armati occuparent. Avertit nefanda consilia Jupiter: indicioque duorum comprehensi sontes pœnas dederunt. Indicibus dena millia gravis æris, quæ tum divitiæ habebantur, ex ærario numerata, et libertas præmium fuit. Bellum inde ab Æquis reparari cœptum: et, novos hostes Lavicanos[2] consilia cum veteribus jungere, haud incertis auctoribus Romam est allatum. Æquorum jam velut anniversariis[3] armis assuerat civitas. Lavicos legati missi quum responsa inde retulissent dubia, quibus, nec tum bellum parari, nec diuturnam pacem fore, appareret, Tusculanis negotium datum, *adverterent animos, ne quid novi tumultus Lavicis oriretur.* Ad insequentis anni tribunos

σθαι λόγοις ἀσεμνοτέροις τοῦ βίου. Plut. Opp. T. II, p. 89. Ed.

10. *Eodem anno a Campanis Cumæ capiuntur*, vide ad c. 37, n. 1, et cf. Diodor. XII, 76. — *Quam Græci tum urbem tenebant*, conditam A. Ch. n. 1053, ab Hippocle et Megasthene, oriundis et profectis ab Eubœæ oppidis, Cuma et Chalcide, quæ jam ante Trojana tempora ab Atheniensibus condita dicitur. Cf. ad VIII, 22, n. 4; Strab. V, p. 168; al. 243; al. 372; Vellei. I, 4; Heyne ad Virg. Æn. VI, 2; et Opusc. Acad. T. V, p. 400. Mox cum Gron. legendum videtur: *Insequens annus tribunos ... Sp. Nautium, C. Servilium* (vide ad cap. XLII, n. 3), *felicitate populi rom. ... insignis*, et ab his novum caput ordiendum.

Cap. XLV. 1. *Annus, felicitate*, per seu propter felicitatem, quæ fuit felicitas *populi rom.*, etc. — *Servitia armati occuparent*, vide ad III, 15, n. 8; et XXVII, 16, n. 2. Mox post *intento* repetendum *conjurarunt*.

2. *Lavicanos*, vide ad II, 39, n. 5.

3. *Anniversariis armis*, bellis. Cf. ad I, 30, n. 7. Mox forte leg. *necdum bellum parari.* — *Adverterent animos*, vide ad XXIV, 48, n. 2.

militum consulari potestate, inito magistratu, legati ab Tusculo venerunt, L. Sergium Fidenatem[4], M. Papirium Mugillanum, C. Servilium, Prisci filium, quo dictatore Fidenæ captæ fuerant : nuntiabant legati, Lavicanos arma cepisse, et cum Æquorum exercitu depopulatos agrum tusculanum castra in Algido posuisse. Tum Lavicanis bellum indictum : factoque senatusconsulto, ut duo ex tribunis ad bellum proficiscerentur, unus res Romæ curaret, certamen subito inter tribunos exortum. Se[5] quisque belli ducem potiorem ferre, curam Urbis, ut ingratam ignobilemque, aspernari. Quum parum decorum inter collegas certamen mirabundi Patres conspicerent, Q. Servilius, *Quando*[6] *nec ordinis hujus ulla*, inquit, *nec reipublicæ est verecundia, patria majestas altercationem istam dirimet : filius meus extra sortem Urbi præerit : bellum utinam, qui appetunt, consideratius concordiusque, quam cupiunt, gerant!*

XLVI. Delectum haberi non ex toto passim populo placuit : decem[1] tribus sorte ductæ sunt; ex his scriptos juniores duo tribuni ad bellum duxere. Cœpta inter eos in Urbe certamina, cupiditate eadem imperii multo impensius in castris accendi : nihil sentire idem, pro sententia pugnare : sua consilia velle, sua imperia sola rata esse : contemnere in vicem et contemni; donec, castigantibus legatis, tandem ita[2] comparatum est, ut

4. *L. Sergium Fidenatem* tertium trib. mil. (vide cap. 25, et 35.) — *C. Servilium*, Q. Servilii *Prisci filium, quo dictatore Fidenæ captæ fuerant*, vide IV, 22.

5. *Se quisque belli ducem potiorem ferre*, habere, judicare, vel dicere. Cf. ad II, 54, n. 17. *Ferre* etiam passim est præ se ferre, et jactare, ut XXI, 41; XXII, 14 extr. et 29; XXVIII, 17 pr. et 40; XXXI, 47; XLII, 52, n. 9.

6. *Quando nec ordinis hujus* amplissimi, senatorii, *ulla est verecundia*, non eam habetis reverentiam, quæ ejus auctoritati majestatique debetur.

Cap. XLVI. 1. *Decem tribus sorte ductæ*, vide ad I, 43, n. 22.

2. *Ita comparatum est*, pacto inter eos constitutum, compositum auctoribus legatis; vide ad III, 2, n. 1.

alternis diebus summam imperii haberent. Quæ quum allata Romam essent, dicitur Q. Servilius, ætate et usu doctus, precatus ab diis immortalibus, ne discordia tribunorum damnosior reipublicæ esset, quam [3] ad Veios fuisset: et, velut haud dubia clade imminente, institisse filio, ut milites scriberet et arma pararet. Nec falsus vates fuit: nam ductu L. Sergii, cujus dies imperii erat, loco iniquo sub hostium castris, quum, quia simulato metu receperat se hostis ad vallum, spes vana expugnandi castra eo traxisset, repentino impetu Æquorum per [4] supinam vallem fusi sunt, multique in ruina [5] majore quam fuga oppressi obtruncatique: castraque, eo die ægre retenta, postero die, circumfusis jam magna ex parte hostibus, per aversam portam fuga turpi deseruntur: duces legatique, et quod circa signa roboris de exercitu fuit, Tusculum petiere: palati alii per agros passim multis itineribus, majoris, quam accepta erat, cladis nuntii Romam contenderunt. Minus trepidationis fuit, quod eventus timori hominum congruens fuerat; et quod subsidia [6], quæ respicerent in re trepida, præparata erant ab tribuno militum; jussuque ejusdem, per minores magistratus sedato in Urbe tumultu, speculatores propere missi nuntiavere, Tusculi duces exercitumque esse, hostem castra loco non movisse. Et, quod plurimum animorum fecit, dictator ex senatusconsulto dictus Q. Servilius Priscus; vir, cujus providentiam in [7] republica quum multis aliis tempestatibus ante experta civitas

3. *Quam......fuisset*, v. sup. c. 31.

4. *Per supinam vallem*, humilem, devexam, declivem (vide Gesner. ad Plin. Pan. c. 30; et Ern. ad Suet. Ner. 13); vel quæ a tergo erat. Cf. VI, 24; et VII, 24.

5. *In ruina majore quam fuga*, quum ruina major esset q. f., pluribus ruentibus quam fugientibus. De voc. *ruina* vide ad IV, 33, n. 5.

6. *Subsidia, quæ respicerent*, vide ad c. 17, n. 3.

7. *In republica..... civitas erat*, vide ad Præf. n. 15, t. I, p. 7.

erat, tum eventu ejus belli, quod uni certamen tribunorum suspectum ante rem male gestam fuerat; magistro equitum creato, a quo ipse tribuno militum dictator erat dictus, filio suo, ut tradidere quidam (nam alii Ahalam Servilium magistrum equitum eo anno fuisse scribunt), novo exercitu profectus ad bellum, accitis qui Tusculi erant, duo millia passuum ab hoste locum castris cepit.

XLVII. Transierat ex re bene gesta superbia negligentiaque ad Æquos, quæ in romanis ducibus fuerat. Itaque primo statim prælio quum dictator equitatu immisso antesignanos hostium turbasset, legionum inde signa inferri propere jussit, signiferumque ex suis unum cunctantem occidit. Tantus ardor ad dimicandum fuit, ut impetum Æqui non tulerint; victique acie quum fuga effusa petissent castra, brevior tempore et certamine minor castrorum oppugnatio fuit, quam prælium fuerat. Captis direptisque castris, quum prædam dictator militi concessisset, sequutique fugientem ex castris hostem equites renuntiassent, omnes Lavicanos victos [1], magnam partem Æquorum Lavicos confugisse; postero die ad Lavicos ductus exercitus: oppidumque, corona circumdatum, scalis captum ac direptum est. Dictator, exercitu victore Romam reducto, die octavo, quam creatus erat, magistratu se abdicavit; et opportune senatus, priusquam ab tribunis plebi agrariæ seditiones, mentione illata de agro lavicano dividendo, fierent, censuit frequens, coloniam Lavicos deducendam. Coloni ab Urbe mille et quingenti missi bina jugera acceperunt. Captis Lavicis, ac deinde tribunis [2] militum consulari potestate, Agrippa

Cap. XLVII. 1. *Victos.* Suspecta vox ista Creverio, qua suppressa liberius fluere oratio videtur. Ed. — *Oppidum corona circumdatum*, v. ad II, 17, n. 3.

2. *Tribunis militum cons. pot.* di-

Menenio Lanato, et L. Servilio Structo, et P. Lucretio Tricipitino, iterum omnibus his, et Sp. Rutilio Crasso, et insequente anno A. Sempronio Atratino tertium, et duobus iterum M. Papirio Mugillano, et Sp. Nautio Rutilo, biennium tranquillæ externæ res, discordia domi ex agrariis[3] legibus fuit.

XLVIII. Turbatores vulgi erant Spurii Mæcilius quartum et Metilius tertium tribuni plebis, ambo absentes[1] creati: et quum rogationem promulgassent, ut ager ex hostibus captus viritim divideretur, magnæque partis nobilium eo plebiscito publicarentur fortunæ, (nec enim ferme quidquam agri, ut in Urbe alieno solo posita, non armis partum erat; nec, quod venisset assignatumve publice esset, præterquam plebs habebat); atrox plebi Patribusque propositum videbatur certamen: nec tribuni militum, nunc in senatu, nunc in conciliis privatis principum cogendis[2], viam consilii inveniebant; quum Ap. Claudius, nepos ejus, qui decemvir legibus scribendis fuerat, minimus natu ex Patrum concilio, dicitur dixisse, *Vetus se ac familiare*

ctum ut : *eo consule*, vel *his consulibus*. — Mox *iterum omnibus his* pro : qui omnes iterum facti, seu creati sunt tribuni mil. Hinc vero legendum *C. Servilio Structo :* nam is jam ante tribunus militum fuerat (vide cap. 45): non L. Servilius. Præterea pro *Sp. Rutilio* (quæ gens plebeia fuit) *Crasso*, ex Diodoro reponendum *Sp. Veturio Crasso*, et deinde ex eodem Diodoro XIII, p. 335; et fastis Capitol. adjiciendum nomen quarti tribuni mil. *Sp. Nautio Rutilo et Q. Fabio Vibulano*. Hujus alter tribunatus memoratur infra c. 49 med. nusquam vero primus. Cf. ad c. 42, n. 3; et Pigh. Ann. ad a. 337.

3. *Ex agrariis legibus*, cf. II, 41, n. 2.

Cap. XLVIII. 1. *Ambo absentes creati*, vide ad IV, 42, n. 1. — Mox *nec plebs habebat* quidquam rapti agri, *præterquam quod venisset*, nisi quod venditum esset auctione, aut *publice*, publica auctoritate, *adsignatum*, datum sive militibus, bene de patria meritis, sive colonis Lavicos deductis.

2. *Nunc in conciliis cogendis.* Creverio videbatur delenda præpositio. Ed. — *Viam consilii* (ut V, 5 extr.) *inveniebant*, h. e. rationem et modum, vel occasionem et facultatem consilii exsequendi : ut *viam fraudis inire*, XXXV, 7. Similiter *via mortis*, *leti* et *insidiarum*, genus vel ratio XXVII, 49, n. 1; XXXI, 18; XL, 13; *via belli* XXXVIII, 18 (ubi quidam *vim*

consilium domo afferre: proavum[3] *enim suum Ap. Claudium ostendisse Patribus viam unam dissolvendæ tribunitiæ potestatis per collegarum intercessionem. Facile homines*[4] *novos auctoritate principum de sententia deduci, si temporum interdum potius, quam majestatis, memor adhibeatur oratio: pro fortuna*[5] *illis animos esse. Ubi videant, collegas principes agendæ rei gratiam omnem ad plebem præoccupasse, nec locum in ea relictum sibi, haud gravate acclinaturos se ad causam senatus, per quam universo ordini cum primoribus se Patrum concilient.* Approbantibus cunctis, et ante omnes Q. Servilio Prisco, quod non degenerasset ab stirpe Claudia, collaudante juvenem, negotium datur, ut, quos quisque posset ex collegio tribunorum, ad intercessionem perlicerent. Misso senatu, prensantur ab principibus tribuni: suadendo, monendo, pollicendoque gratum[6] id singulis privatim, gratum universo senatui fore, sex ad intercessionem comparavere: posteroque die quum ex composito re-

malunt) ὁδοὶ τοῦ πολέμου ap. Thucyd. I, 122; h. e. ratio belli gerendi; vide ad Tac. Ann. I, 54, n. 5; et II, 5, n. 2; Drak. inf. ad XXXI, 18, n. 7; Burm. ad Val. Flac. I, 32, 502; VI, 279; Brouckhus. ad Tibull. I, 3, 50.

3. *Proavum suum Ap. Claudium* (qui primus ex Sabinis Romam venit) *ostendisse Patribus*, etc. de quo vide supra II, 44. *Proavus* autem h. l. pro abavo (ut XXXIV, 58, n. 1; et apud Cic. Fin. III, 12; et ad Div. III, 11, ubi v. Manut.) ut al. pro tritavo et majoribus. Contra *proavum* proprie dictum, sed paulo ante *Ap. Claudius, filius ejus*, etc. legendum putabat Glar. non improb. Drak.

4. *Homines novos*, et *collegas principes*, vide ad I, 34, n. 8.

5. *Pro fortuna illis animos esse*, h. e. secundum temporis rerumque conditionem. — *Agendæ rei gratiam præoccupasse*, sibi præripuisse gratiam, tribunitia actione sibi comparandam. — *Ad causam senatus, per quam*, etc. ut ita sibi concilient *primores Patrum*, et simul *universum ordinem* eorum.

6. *Gratum id singulis* (vide ad XXXII, 8, n. 4) *privatim*, ut nos: *für ihre Person*, et contra *publice*, ratione reip. Cf. V, 30 pr. et XXXVII, 36. — *Sex ad intercessionem comparavere*, ut VI, 35, simul paravere, vel præparavere, vel simplex paravere, persuadendo adduxere, in partes suas traxere, *perlicuere*, ut paulo ante dictum est, scilicet *principes* senatorum.

latum ad senatum esset de seditione, quam Mæcilius Metiliusque largitione pessimi exempli concirent; eæ orationes [7] a primoribus Patrum habitæ sunt, ut pro se quisque jam nec consilium sibi suppetere diceret, nec se ullam opem cernere aliam usquam, præterquam in tribunitio auxilio: in ejus potestatis fidem circumventam rempublicam, tanquam privatum inopem, confugere: præclarum ipsis potestatique esse, non ad vexandum senatum discordiamque ordinum movendam plus in tribunatu virium esse, quam ad resistendum improbis collegis. Fremitus deinde universi senatus ortus, quum ex omnibus partibus curiæ tribuni appellarentur: tum, silentio facto, ii, qui præparati erant gratia principum, quam rogationem [8] a collegis promulgatam senatus censeat dissolvendæ reipublicæ esse, ei se intercessuros ostendunt. Gratiæ intercessoribus ab senatu actæ: latores rogationis, concione advocata, proditores plebis commodorum ac servos consularium appellantes, aliaque truci oratione in collegas invecti, actionem deposuere.

XLIX. Duo [1] assidua bella insequens annus habuisset, quo P. Cornelius Cossus, C. Valerius Potitus, Q. Quintius Cincinnatus, N. Fabius Vibulanus, tribuni militum consulari potestate fuerunt; ni veiens bellum religio principum [2] distulisset, quorum agros Tiberis, super ripas effusus, maxime ruinis villarum vastavit. Simul Æquos triennio [3] ante accepta clades prohibuit Bolanis, suæ gentis populo, præsidium ferre. Excur-

7. *Eæ orationes*, vide ad II, 29, n. 6. Erant autem callidæ et scitæ.

8. *Rogationem dissolvendæ reipublicæ esse*, vide ad III, 24, n. 1.

Cap. XLIX. 1. *Duo assidua* (vide ad II, 48, n. 6) *bella* cum Æquis et Veientibus.

2. *Religio principum*, vide ad II, 5, n. 4.

3. *Triennio ante accepta clades*, vide cap. 47. — *Bolanis*, al. *Volanis* et mox *Volas* pro *Bolas*, ut *Lavici* et *Labici*. Sed *Bola* dicitur Virg. Æn. VI, 776, Βῶλα Steph. *Bolæ* infra VI, 2;

siones inde in confinem agrum lavicanum factæ erant, novisque colonis bellum illatum : quam [4] noxam quum se consensu omnium Æquorum defensuros sperassent deserti ab suis, ne memorabili quidem bello, per obsidionem levemque unam pugnam et oppidum et fines amisere. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Bolas quoque, sicut Lavicos, coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est. Bolis [5] insequente anno receptis, Æqui coloniaque eo deducta novis viribus oppidum firmarunt, tribunis militum [6] Romæ consulari potestate Cn. Cornelio Cosso, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Postumio Regillensi. Huic bellum adversus Æquos permissum est, pravæ mentis homini; quam tamen victoria magis quam bellum ostendit : nam exercitu impigre scripto ductoque ad Bolas, quum levibus præliis Æquorum animos fregisset, postremo in oppidum irrupit. Deinde ab hostibus in cives certamen vertit; et, quum inter oppugnationem prædam militis fore edixisset, capto oppido, fidem mutavit. Eam magis adducor ut credam iræ causam exercitui fuisse, quam quod in urbe nuper direpta coloniaque nova minus prædicatione [7] tribuni prædæ fuerit. Auxit eam iram, postquam, ab collegis arcessitus, propter seditiones tribunitias in Urbem revertit, audita vox ejus in con-

Βῶλαι Diodor. XIV extr.; *Bolani* Plin. III, 5, Βωλανῶν πόλις Dionys. V, 61, 8, pag. 493; et Plut. in Coriol. — *Excursiones inde*, a Bolis *factæ*. — *Novis colonis*, Lavicanis; vide c. 47.

4. *Quam noxam*, injuriam a se Lavicanis factam. — *Consensu* et auxilio, vel junctis viribus.

5. *Bolis receptis* ab Æquis.

6. *Tribunis militum ... Q. Fabio Vibulano iterum*, vide ad cap. 47, n. 2. *P. Postumio* forte leg. fide fast. Capitol.

7. *Minus prædicatione tribuni prædæ fuerit*, minus prædæ repertum, quam Postumius vane et jactanter militibus promiserit.

cione stolida ac prope vecors: qua Sextio, tribuno plebis, legem agrariam ferenti, simul, Bolas quoque ut mitterentur coloni, laturum se dicenti, dignos enim esse[8] qui armis cepissent, eorum urbem agrumque Bolanum esse; *Malum*[9] *quidem militibus meis*, inquit, *nisi quieverint.* Quod auditum non concionem magis, quam mox Patres, offendit: et tribunus plebis, vir acer, nec infacundus, nactus[10] inter adversarios superbum ingenium immodicamque linguam, quam irritando agitandoque in eas impelleret voces, quæ invidiæ, non ipsi tantum, sed causæ atque universo ordini, essent, neminem ex collegio tribunorum militum sæpius, quam Postumium, in disceptationem trahebat. Tum vero secundum tam sævum atque inhumanum dictum, *Auditis*, inquit, *Quirites, sicut servis, malum minantem militibus? tamen hæc bellua dignior vobis tanto honore videbitur, quam qui vos, urbe agrisque donatos, in colonias mittunt? qui sedem senectuti vestræ prospiciunt? qui pro vestris commodis adversus tam crudeles superbosque adversarios depugnant? Incipite deinde*[11] *mirari, cur pauci jam vestram suscipiant causam: quid ut a vobis sperent? an honores, quos adversariis vestris potius, quam populi romani propugnatoribus, datis? Ingemuistis modo, voce hujus audita: quid*[12] *id refert? jam, si*[13] *suffragium*

8. *Dignos enim esse* illos, *qui a. c.*, *eorum urbem a. B. esse*, docte forsan ac græce dictum; nisi e III MSS leg. *dignum*, h. e. fas et æquum; vide ad I, 14, n. 2.

9. *Malum* (pœna, verbera, cruciatus) *quidem militibus meis* erit, quale servis minari solent domini; quod mox dicit Sextius.

10. *Nactus inter adversarios superbum ingenium immodicamque linguam*, h. e. hominem superbi ingenii, etc. — *Quam impelleret*, facile impellere posset, seu poterat.

11. *Incipite deinde mirari*, h. e. post talia, his factis. Mox *ut* in affectu et interrogat; nisi leg. *quid enim a vobis sperent?*

12. *Quid id refert*, prodest? Conf. ad III, 39, n. 3.

13. *Si suffragium*, suffragandi facultas, *detur* vobis (conf. XXXVIII,

detur, hunc, qui malum vobis minatur, iis, qui agros sedesque ac fortunas stabilire volunt, præferetis.

L. Perlata hæc vox Postumii ad milites multo in castris majorem indignationem movit: *prædæne*[1] *interceptorem fraudatoremque etiam malum minari militibus?* Itaque quum fremitus aperte esset, et quæstor P. Sestius eadem violentia coerceri putaret seditionem posse, qua mota erat; misso ad vociferantem quemdam militem lictore, quum inde clamor et jurgium oriretur, saxo ictus turba excedit; insuper increpante, qui vulneraverat, *habere quæstorem, quod imperator esset militibus minatus.* Ad hunc tumultum accitus Postumius asperiora omnia fecit acerbis quæstionibus, crudelibus suppliciis: postremo quum modum iræ nullum faceret, ad vociferationem eorum, quos necari sub[2] crate jusserat, concursu facto, ipse ad interpellantes pœnam vecors de tribunali decurrit. Ibi quum submoventes passim lictores centurionesque vexarent turbam, eo indignatio erupit, ut tribunus militum ab exercitu suo lapidibus cooperiretur. Quod tam atrox facinus postquam est Romam nuntiatum, tribunis militum[3] de morte collegæ per senatum quæstiones decernentibus, tribuni plebis intercedebant: sed ea contentio ex certamine alio pendebat; quod cura incesserat Patres, ne[4] metu quæstionum plebs iraque

36), vel si in suffragium mittamini.

Cap. L. 1. *Prædæ interceptorem,* vide ad III, 72, n. 2. — *Insuper increpante, habere,* etc.; vide ad III, 3, n. 1.

2. *Necari sub crate,* v. I, 51, n. 7.

3. *Tribunis militum ... quæstiones decernentibus,* decernendas consentibus, decerni volentibus, seu cupientibus: ut XXVII, 20; *ad purganda ea, quæ inimici decernerent,* h. e. pro certis ipsi affirmarent, et tum credi ab aliis, tum decerni vellent. Conf. ad III, 21, n. 3.

4. *Ne metu quæstionum iraque,* scilicet quæstionum, h. e. ob quæstiones; vide ad I, 5, n. 5; et II, 29, n. 3. *Metus* est illorum, qui peccaverant ipsi; *ira* eorum, qui aut communem causam plebis tuebantur, aut propinquos vel amicos affines culpæ habebant. Gron.

Bayerische Staatsbibliothek München

tribunos militum ex plebe crearet : tendebantque summa ope, ut consules crearentur. Quum senatusconsultum fieri tribuni plebis non paterentur, iidem intercederent consularibus comitiis, res ad interregnum rediit : victoria deinde penes Patres fuit.

LI. Q. Fabio Vibulano interrege comitia habente, consules creati sunt A. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus. His consulibus principio anni senatusconsultum factum est, ut de quæstione Postumianæ cædis tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent; plebesque præficeret quæstioni, quem vellet : a plebe consensu populi consulibus negotium mandatur; qui, summa moderatione ac lenitate per paucorum supplicium, quos sibimet ipsos conscisse mortem satis creditum est, transacta re, nequivere tamen consequi, ut non ægerrime id plebs ferret. *Jacere*[1] *tamdiu irritas sanctiones, quæ de suis commodis ferrentur : quum interim de sanguine et supplicio suo latam legem confestim exerceri, et tantam vim habere.* Aptissimum tempus erat, vindicatis seditionibus, delenimentum[2] animis Bolani agri divisionem objici : quo facto minuissent desiderium agrariæ legis, quæ possesso per injuriam agro publico Patres pellebat. Tunc

CAP. LI. 1. *Jacere* (sperni, vel sine vi esse) *irritas sanctiones*, leges. Mox *quum interim ... exerceri*, vide ad I, 35, n. 1.

2. *Delenimentum* (non *delinimentum*, quæ vox nihili est, ut *delinire*, quidquid contra disputet Drak. ad h. l. et V, 31; VII, 38; XXXIX, 11, putans, *delenimentum* habere vim placandi et mitigandi, *delinimentum* vero oblinendi et imbuendi, a *delinere* aut *linire*) vel, ut h. l., est θέλγητρον seu θέλγμα, res et remedium, quo animi leniuntur, permulcentur et mitigantur; vel philtrum (vide Broukh. ad Tibull. I, 6, n. 7), aut potius illecebræ et blanditiæ, res, qua hominum animi blande paulatim capiuntur, vel ad amorem alliciuntur; vide Duker. ad XXXIX, 11. Simili sensu V, 24, n. 3, dicitur *spei majoris avertendæ solatium objectum censebant*, et *delenimenta* eadem res XXX, 13, quæ *blanditiæ* XXIX, 23. Confer Ern. ad Tac. Agric. XXI. — Mox pro *minuissent*, Lovel. 2 et Haverk. dant *imminuissent* : Lovel. 4 autem *meminissent*; male. ED.

hæc ipsa indignitas augebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos vi teneret, pertinacem nobilitatem esse; sed ne vacuum quidem agrum, nuper ex hostibus captum, plebi dividere; mox paucis, ut cætera, futurum prædæ. Eodem anno adversus Volscos, populantes Hernicorum fines, legiones ductæ a Furio consule, quum hostem ibi non invenissent, Ferentinum, quo magna multitudo Volscorum se contulerat, cepere. Minus prædæ, quam speraverant, fuit: quod Volsci, postquam spes tuendi exigua erat, sublatis rebus, nocte oppidum reliquerunt: postero die prope desertum capitur. Hernicis ipse ager dono datus.

LII. Annum modestia tribunorum quietum excepit tribunus plebis L. Icilius, Q. Fabio Ambusto, C. Furio Pacilo consulibus. Is quum principio statim anni, velut pensum [1] nominis familiæque, seditiones agrariis legibus promulgandis cieret; pestilentia coorta, minacior tamen quam perniciosior, cogitationes hominum a foro certaminibusque publicis ad domum curamque [2] corporum nutriendorum avertit: minusque eam damnosam fuisse, quam seditio futura fuerit, credunt. Defuncta [3] civitate plurimorum morbis, perpaucis funeribus, pestilentem annum inopia frugum,

Cap. LII. 1. *Velut pensum*, propr. diurni labores servorum servarumve, deinde quodlibet munus, alicui proprium et assignatum, *nominis familiæque*, confer II, 58, 61; III, 31 (ubi vide not. 2) 35, 44 sq.

2. *Ad domum curamque* (nisi cum Gron. malis *domum ad curam*) *corporum nutriendorum*, fovendorum, remediis et fomentis adhibitis curandorum, ut ἀνατρέφειν; unde VII, 4 (ubi vide Gron.) *naturæ damnum utrum nutriendum patri, an castigandum*, h. e. utrum fovendum et indulgentia leniendum medicandumque, vel leni curatione adhibita emendandum, an puniendum et castigatione acerba irritandum. Conf. Ernesti clav. Cic. in Ind. Græco ad verba ἐξ ἀφαιρέσεως, etc. in Cic. ad Att. VI, 1.

3. *Defuncta civitate morbis*, vide ad II, 35, n. 2. Quidam interpretati sunt: *quum civitas a morbis liberata esset*. Illos autem refellit Draken., qui sensum vocis *defuncta* sic exponit: *plurimorum morbis, perpaucis funeribus liberata civitate a turbis, quæ ex seditione a L. Icilio mota imminebat*.

neglecto cultu agrorum, ut plerumque fit, excepit, M. Papirio Atratino, C. Nautio Rutilo consulibus. Jam fames [4], quam pestilentia, tristior erat; ni, dimissis circa omnes populos legatis, qui Etruscum mare, quique Tiberim accolunt, ad frumentum mercandum, annonæ [5] foret subventum. Superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque, legati prohibiti commercio sunt; contra ea benigne ab Siculorum tyrannis adjuti: maximos commeatus summo Etruriæ studio Tiberis devexit: solitudinem in civitate ægra experti consules sunt; quum, in legationes non [6] plus singulis senatoribus invenientes, coacti sunt binos equites adjicere: præterquam ab morbo annonaque, nihil eo biennio intestini externive incommodi fuit. At ubi hæ sollicitudines discessere, omnia, quibus turbari solita erat civitas, domi discordia, foris bellum exortum.

LIII. M. Æmilio, C. Valerio Potito consulibus, bellum Æqui parabant, Volscis, quanquam non publico consilio, capessentibus arma, voluntariis mercede sequutis militiam. Ad quorum famam hostium (jam enim in Latinum Hernicumque transcenderant agrum) delectum habentem Valerium consulem M. Mænius tri-

Ed. — Mox forte del. *Atratino*, quod Semproniorum cognomen est, ut *Mugillanus* Papiriorum.

4. *Jam fames, quam pestilentia, tristior erat;* unde Trebio ædili pl., qui assibus populo frumentum præstiterat, statuæ in Capitolio ac palatio dicatæ sunt, et ipse supremo die populi humeris portatus in rogum est; vide Plin. XVIII, 3, seu 4, *tristior erat, ni ... foret subventum*, vide ad II, 50, n. 10.

5. *Annonæ foret subventum*, vide ad II, 34, n. 10. — *Ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque*, vide ad cap. 37, n. 1, et c. 44, n. 10.

6. *Non plus singulis senatoribus*, non plus, seu plures quam singulos senatores, ut XXIV, 41; XXIX, 25, XXXI, 34; XL, 2; XLII, 23. Conf. ad III, 64, n. 5; XXIV, 17, n. 2; et Drak. ad XXII, 23, n. 6; *inventis* al. Mox leg. *sollicitudines decessere;* Gron. Confer Burm. ad Quintil. declam. VI, 6, ubi hanc lectionem multis tum Horatii, tum ipsius Livii locis firmavit. Dissentiunt *Corte* et *Wasse* ad Sallust. Jug. XLI.

bunus plebis, legis agrariæ lator, quum impediret, auxilioque tribuni nemo invitus sacramento[1] diceret; repente nuntiatur, arcem Carventanam ab hostibus occupatam esse. Ea ignominia accepta quum apud Patres invidiæ Mænio fuit, tum cæteris tribunis, jam ante præparatis intercessoribus legis agrariæ, præbuit justiorem causam resistendi collegæ. Itaque quum res diu ducta per altercationem esset, consulibus deos hominesque testantibus, *quidquid ab hostibus cladis ignominiæque aut jam acceptum esset, aut immineret, culpam penes Mænium fore, qui delectum impediret;* Mænio contra vociferante, *si injusti domini possessione agri publici cederent, se moram delectui non facere;* decreto interposito, novem tribuni sustulerunt certamen; pronuntiaveruntque ex collegii sententia, *C. Valerio consuli se, damnum aliamque coercitionem, adversus*[2] *intercessionem collegæ, delectus causa detrectantibus militiam inhibenti, auxilio futuros esse.* Hoc decreto consul armatus quum paucis, appellantibus tribunum, collum[3] torsisset, metu cæteri sacramento dixere. Ductus exercitus ad Carventanam arcem, quanquam invisus infestusque consuli erat, impigre primo statim adventu, dejectis qui in præsidio erant, arcem recipit: prædatores, ex præsidio per negligentiam dilapsi, occasionem aperuere ad invadendum:

Cap. LIII. 1. *Sacramento diceret,* vide ad II, 24, n. 7. — *Carventus* Latii opp. apud Steph.

2. *Adversus intercessionem collegæ,* vide ad IV, 35, n. 1. — *Damnum,* jacturam rei familiaris, exacta mulcta, vel pigneribus captis (vide VII, 4 pr. et Cic. Phil. I, 5), *aliamque coercitionem,* vim, jus animadvertendi (vide XXVI, 36 extr. et Suet. Aug. XLV, coll. Tac. Annal. I, 77; ubi *jus virgarum* dicitur), *inhibenti,* adhibenti vide ad III, 38, n. 2; quidam *ferenti,* non male, judice Sigonio. Ed.

3. *Collum torsisset,* modo coercitionis, quo vel detrectantibus militiam et imperium a lictoribus, vel in jus ire recusantibus ab adversariis manus violenter injiciebantur collo, et hoc torquebatur; illi vero *obtorto collo ducebantur,* vel trahebantur. Cf. Lips. mil. Rom. I, 4. — *Invisus* h. l. et V,

prædæ ex assiduis populationibus, quod omnia in locum tutum congesta erant, fuit aliquantum. Venditum sub[4] hasta consul in ærarium redigere quæstores jussit; tum prædicans participem prædæ fore exercitum, quum militiam non abnuisset: auctæ inde plebis ac militum in consulem iræ. Itaque, quum ex senatusconsulto Urbem ovans introiret, alternis[5] inconditi versus militari licentia jactati: quibus consul increpitus, Mænii celebre nomen laudibus fuit, quum ad omnem mentionem tribuni favor circumstantis populi plausuque et assensu cum vocibus militum certaret: plusque ea res, quam prope solennis militum lascivia in consulem, curæ Patribus injecit. Et tanquam haud dubius[6] inter tribunos militum honos Mænii, si peteret, consularibus comitiis est exclusus.

LIV. Creati consules sunt Cn. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus iterum. Non alias ægrius plebs tulit, tribunitia sibi comitia non commissa[1]: eum dolorem

8, n. 4, active dicitur qui invidet, qui odit; Drak.

4. *Venditum sub hasta* (nam *hasta* palam, inprimis in foro posita, erat signum auctionis publicæ, forsan et privatæ; unde *sub hasta vendere* ac *venire, ad hastam locare, subhastare*, et inf. XXXIX, 44, n. 8; *submovere ab hasta*, h. e. excludere a locatione, non admittere ad redempturam, et contra XLIII, 16 pr. *ad hastam* censorum *accedere* scilicet conducendorum vectigalium causa) *consul in ærarium*, ut al. *in publicum*, *redigere* (vide ad II, 9, n. 4) *quæstores jussit*, confer ad V, 19, n. 8.

5. *Alternis* scilicet vicibus (ut cap. 57 pr. XXII, 13 al.) ἀμοιβαίως, choris militum per vices canentibus, altero increpante consulem, altero Mænium laudibus efferente, *inconditi versus militari licentia jactati*, vide ad IV, 20, n. 1. Hæc *militum lascivia prope solennis* erat, vulgaris et usitata. —Pro *increpitus*, multi *increpatus*: non erat cur vulgatum mutaretur. Ed.

6. *Tanquam haud dubius*, etc. h. e. quasi et quum non dubium esset, quin Mænius, si proximis comitiis tribuni militum cons. pot. crearentur, et ille hunc honorem peteret, eum quoque consequeretur, consularia indicta sunt comitia, et ita Mænius ab illo honore exclusus est. Nam tribuni mil. cons. pot. promiscue ex Patribus ac plebe creari poterant (vide supra cap. 6, 7), non vero consules. Conf. IV, 1, n. 6; V, 12; VI, 35, 42; VII, 1.

Cap. LIV. 1. *Ægrius plebs tulit, tribunitia sibi comitia non commissa*. τὸ *plebs* in quibusdam codicibus desideratur; cujus loco *pertulit* præbent.

quæstoriis comitiis simul ostendit, et ulta est, tunc primum plebeiis quæstoribus creatis : ita ut, in quatuor creandis, uni patricio K. Fabio Ambusto relinqueretur locus; tres plebeii, Q. Silius, P. Ælius, P. Pupius clarissimarum familiarum juvenibus præferrentur. Auctores fuisse tam liberi populo suffragii Icilios accipio, ex familia infestissima Patribus tres in eum annum tribunos plebis creatos, multarum magnarumque [2] rerum molem avidissimo adeo populo ostentantes : quum affirmassent, nihil [3] se moturos, si ne quæstoriis quidem comitiis, quæ sola promiscua plebi Patribusque reliquisset senatus, satis animi populo esset ad id, quod tamdiu vellent, et per leges liceret. Pro ingenti itaque victoria id fuit plebi : quæsturamque eam [4] non honoris ipsius fine æstimabant; sed patefactus ad consulatum ac triumphos locus novis hominibus videbatur. Patres contra non pro [5] communicatis, sed pro amissis honoribus, fremere; negare, *Si ea ita sint, liberos* [6] *tollendos esse : qui pulsi majorum loco, cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, Salii* [7] *Flaminesque nusquam alio, quam ad sacrifican-*

Tulit plebs, ferunt vetustiores excusi ante Aldum. Deinde *tribunitia comitia sibi non commissa* omnes scripti; nisi quod vox *comitia* desit in Lipsiens. Ordinem forte editores immutasse dicit Drakenborch., quod vitare voluerint vocum *tribunitia comitia* similiter desinentium conjunctionem; a quo tamen non semper religiose Livium abstinuisse, infra videbimus ad librum XXVI, cap. 46. Ed. — *Tunc primum plebeiis quæstoribus creatis*, vide ad II, 8, n. 10; et II, 41, n. 12. — *De Iciliis* vide ad c. 52, n. 1.

2. *Multarum rerum molem*, res multas et graves (vide ad I, 38, n. 4), *avidissimo adeo* (forte leg. cum Grævio *ad ea*) *populo ostentantes*, vide ad IV, 30, n. 1.

3. *Nihil,* non, neutiquam, vel nullam actionem in gratiam plebis, *se moturos.*

4. *Quæsturam non honoris ipsius fine,* modo, mensura quasi et ambitu, *æstimabant.*— *Novis hominibus,* vide ad I, 34, n. 8.

5. *Pro... honoribus,* tamquam hi cum plebe tantum communicati essent.

6. *Liberos tollendos esse,* h. e. procreandos, vel educandos, seu alendos; vide ad Juvenal. VI, 38.

7. *Salii Flaminesque :* « cur hos

dum pro populo, sine imperiis ac potestatibus relinquantur. Irritatis utriusque partis animis, quum et spiritus plebes sumpsisset, et tres ad popularem causam celeberrimi nominis haberet duces; Patres omnia quæstoriis comitiis, ubi [8] utrumque plebi liceret, similia fore cernentes, tendere ad consulum comitia, quæ nondum promiscua essent. Icilii contra tribunos militum creandos dicere, et tandem aliquando impartiendos plebi honores.

LV. Sed [1] nulla erat consularis actio, quam impediendo id, quod petebant, exprimerent: quum mira opportunitate, Volscos et Æquos prædatum extra fines exisse in agrum latinum hernicumque, affertur. Ad quod bellum ubi ex senatusconsulto consules delectum habere occipiunt; obstare tunc enixe tribuni, sibi plebique eam fortunam oblatam memorantes. Tres erant, et omnes acerrimi viri, generosique jam, ut inter plebeios: duo, singuli singulos, sibi consules asservandos assidua opera desumunt: uni concionibus data nunc detinenda, nunc concienda plebs: nec [2] delectum

potius nominant patricii, quam Pontifices et Augures, quum horum quoque sacerdotia tum nondum cum plebe communicata essent? Hæc non tam e ratione præsentis temporis scripsit Livius, quo hæc dicta fuisse narrat, quam posterioris, quo, quum plebs ad alia sacerdotia admissa fuisset, Rex sacrorum, Salii Flaminesque semper e solis patriciis creabantur, ut auctor est Cic. p. domo cap. 14. Sic cap. 58; et III, 68; per prolepsin memorat *stipendia*, tum nondum instituta (sed illis locis *stipendia* sunt militia et anni ejus), et XXXIV, 5, n. 3. *Origines Catonis*, » Duk. Confer ad I, 34, n. 14. — *Sine imperiis* militaribus, *ac potestatibus*, imperio civili, vel juribus magistratuum, sive urbanorum, sive provincialium. — *Tres duces*, Icilios; vide princ. hujus cap.

8. *Ubi*, in quibus, *utrumque plebi liceret*, scilicet creare vel patricios vel plebeios.

Cap. LV. 1. *Sed nulla erat consularis actio*, h. e. ea, qua delectus, bellum aliave a consulibus decernuntur (vide ad II, 56, n. 4), *quam impediendo*, qua impedienda, *id, quod petebant, exprimerent*, extorquere potuissent tribuni a Patribus. — *Generosi jam*, quorum majores, quique ipsi jam honoribus actionibusque tribunitiis inclaruerant; ut *duobus nobilibus jam* XXII, 35 pr.

2. *Nec delectum ... expediebant*,

consules, nec comitia, quæ petebant, tribuni expediebant. Inclinante deinde se fortuna ad causam plebis, nuntii veniunt, arcem Carventanam, dilapsis ad prædam militibus, qui in præsidio erant, Æquos, interfectis paucis custodibus arcis, invasisse: alios recurrentes in arcem, alios palantes in agris cæsos. Ea adversa civitati res vires tribunitiæ actioni adjecit: nequidquam enim tentati, ut tum denique desisterent impediendo bello, postquam non cessere nec publicæ tempestati[3], nec suæ invidiæ, pervincunt, ut senatusconsultum fiat de tribunis militum creandis: certo tamen pacto, ne cujus ratio haberetur, qui eo anno tribunus plebis esset, neve quis reficeretur in annum tribunus plebis; haud dubie Icilios denotante senatu, quos mercedem seditiosi tribunatus petere consulatum insimulabant. Tum delectus haberi, bellumque omnium ordinum consensu apparari cœptum. Consules ambo profecti sint ad arcem Carventanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diversi auctores faciunt: illa pro certo habenda, in quibus non dissentiunt, ab arce Carventana, quum diu nequidquam oppugnata esset, recessum: Verruginem[4] in Volscis eodem exercitu receptam, populationesque et prædas et in Æquis et in volsco agro ingentes factas.

LVI. Romæ sicut plebis victoria fuit in eo, ut, quæ mallent, comitia haberent: ita eventu comitiorum Patres vicere: namque tribuni militum consulari pote-

vide ad III, 13, n. 6. *Tribunitiæ actioni*, vide ad II, 56, n. 4.

3. *Publicæ tempestati*, periculo publico, seu patriæ. — *Petere consulatum;* consulatus nondum patebat plebeiis, proindeque Icilii, quum fieri consules omnino non possent, insimulari quoque non poterant affectati consulatus. Unde existimat Creverius mendum esse in voce *consulatum*, et ejus loco legi posse *consularem*. *Quos mercedem*, id est, pro mercede *seditiosi tribunatus petere consularem* nempe tribunatum *insimulabant*. Ed.

4. *Verruginem* (vide ad IV, 1, n. 5) *in Volscis*, in Volsco agro sitam.

state contra spem omnium tres patricii creati sunt, C. Julius Julus, P. Cornelius Cossus, C. Servilius Ahala. Artem adhibitam ferunt a patriciis, cujus eos Icilii tum quoque insimulabant, quod turbam indignorum candidatorum intermiscendo dignis, tædio sordium [1] in quibusdam insignium, populum a plebeiis avertissent. Volscos deinde [2] et Æquos, seu Carventana arx retenta in spem, seu Verrugine amissum præsidium ad iram compulisset, fama affertur summa vi ad bellum coortos : caput rerum Antiates esse : eorum legatos utriusque gentis populos circumisse, castigantes ignaviam, quod, abditi intra muros, populabundos in agris vagari Romanos priore anno, et opprimi Verruginis præsidium, passi essent. Jam non exercitus modo armatos, sed colonias etiam, in suos fines mitti : nec ipsos modo Romanos sua divisa habere, sed Ferentinum etiam de se captum Hernicis donasse. Ad hæc quum inflammarentur animi, ut ad quosque ventum erat, numerus juniorum conscribebatur : ita omnium populorum juventus Antium contracta, ibi castris positis hostem opperiebantur. Quæ ubi tumultu majore etiam, quam res erat, nuntiantur Romam, senatus extemplo, quod in rebus trepidis ultimum consilium erat, dictatorem dici jussit. Quam rem ægre passos Julium Corneliumque ferunt; magnoque certamine animorum rem actam : quum primores Patrum, nequidquam conquesti, non esse [3] in auctoritate senatus tribunos militum, postremo etiam

Cap. LVI. 1. *Tædio sordium*, infimi generis turpisque vitæ, *indignorum candidatorum* ex plebeiis. Confer cap. 57 extr.

2. *Volscos deinde et Æquos*, scilicet quod *seu Carventana arx retenta*, propugnata et defensa a Romanis, eam oppugnantibus, *in spem* felicioris successus belli, *seu*, etc. Confer V, 9 pr. — Vox *fama* vel primo, vel sexto casu accipi potest. — Mox *Romanos sua divisui habere* malebat Gron. Conf. ad I, 54, n. 6.

3. *Non esse in auctoritate senatus*,

tribunos plebei appellarent, et consulibus quoque ab ea potestate vim super tali re inhibitam referrent: tribuni plebei, læti discordia Patrum, nihil esse in his auxilii dicerent, qui non civium, non denique hominum numero essent; si quando promiscui honores, communicata [4] respublica esset, tum se animadversuros, ne qua, superbia magistratuum, irrita senatusconsulta essent; interim patricii, soluti legum magistratuumque verecundia, per se quoque tribunitiam potestatem agerent.

LVII. Hæc contentio minime idoneo tempore, quum tantum [1] belli in manibus esset, occupaverat cogitationes hominum: donec, ubi diu alternis Julius Corneliusque, *quum ad id bellum ipsi satis idonei duces essent, non esse æquum, mandatum sibi a populo eripi honorem*, disseruere; tum Ahala Servilius tribunus militum; *Tacuisse se tamdiu*, ait, *non quia incertus sententiæ fuerit (quem enim bonum civem secernere sua a publicis consilia?); sed quia maluerit, collegas sua sponte cedere auctoritati senatus, quam tribunitiam potestatem adversus se implorari paterentur. Tum quoque, si res sineret, libenter se daturum tempus iis fuisse ad receptum [2] nimis pertinacis sententiæ: sed, quum*

vide ad II, 56, n. 16. — *Vim inhibitam*, vide ad III, 38, n. 2. — *Nihil esse auxilii* Patribus *in his* tribunis, qui eorum studio ac fastidio non civium, immo ne hominum quidem numero essent vel haberentur; Gron.

4. *Communicata* cum plebe *respublica*, ejus administratio. Confer ad cap. 54, n. 5.

Cap. LVII. 1. *Quum tantum belli in manibus esset*, adesset, instaret; ut ἐν χερσὶν εἶναι. — *Alternis*, vide ad cap. 53, n. 4. — *Tacuisse se*: hoc *se* a multis MSS abest prob. Gron. ad h. l. et XL, 42, ubi plura laudat exempla, XXIII, 13; XXV, 26; XXVII, 21; XXX, 22; XL, 44; al. Confer ad XXIV, 13, n. 2.

2. *Ad receptum*, mutationem, ut nos dicimus, *zur Zurücknahme;* nisi leg. *ad receptum a nimis pertinaci sententia*, ut XXVIII, 25 extr. *tutissimum a malis consiliis receptum;* quæ vox propr. de exercitu adhibetur. Confer XXVII, 27; XXVIII, 23; XXIX, 7; ad III, 2, n. 2; XXII, 12, n. 9; XLIV, 39, 2. Sic *et regressus* XXIV, 26, n. 10; et XXXVIII,

belli necessitates non exspectent humana consilia, potiorem sibi collegarum gratia rempublicam fore : et, si maneat in sententia senatus, dictatorem[3] *nocte proxima dicturum: ac, si quis*[4] *intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum.* Quo facto quum haud immeritam laudem gratiamque apud omnes tulisset, dictatore P. Cornelio dicto, ipse ab eo magister equitum creatus exemplo[5] fuit collegas eumque intuentibus, quam gratia atque honos opportuniora interdum non cupientibus essent. Bellum haud memorabile fuit; uno atque eo facili prælio cæsi ad Antium hostes; victor exercitus depopulatus volscum agrum; castellum ad[6] lacum Fucinum vi expugnatum : atque in eo tria millia hominum capta, cæteris Volscis inter mœnia compulsis, nec defendentibus agros. Dictator, bello ita gesto, ut tantum[7] non defuisse fortunæ videretur, felicitate, quam gloria, major in Urbem rediit, magistratuque se abdicavit. Tribuni militum, mentione nulla comitiorum consularium habita (credo ob iram

4. — *Nimis pertinacis sententiæ*, in qua collegæ nimis pertinaciter perseverarent.

3. *Dictatorem nocte proxima* se *dicturum*, vide ad II, 18, n. 3.

4. *Ac* (forte *at*) *si quis* tribunus plebis *intercedat senatusconsulto, auctoritate se fore contentum :* nam *senatus auctoritas* dicebatur senatus consultum, cui intercesserat tribunus, et *senatus consultum*, senatus voluntas et decretum scriptum, ratum et æri incisum, cui non intercessum erat a tribuno pl. Confer ad Tac. Ann. III, 51, n. 5.

5. *Exemplo*, documento, *fuit collegas eumque intuentibus*, utrosque comparantibus et ex utrorumque agendi ratione documentum (*Lehre, Warnung*, ut passim *documentum*, sed et *exemplum*, vide ad Præf. n. 14, et ad Tac. Ann. I, 38, n. 3) capientibus, *quam*, quantum, *gratia atque honos opportuniora interdum non cupientibus essent*, opportunius contingerent, facilius compararentur.

6. *Castellum ad lacum Fucinum* (hodie *Lago di Celano*) in *Volscis*, sed apud Plin. III, 12, in Marsis; inter Apenninorum montium juga. Volsci Marsique erant confines populi. De ipso lacu v. ad Tac. Ann. XII, 56, n. 1.

7. *Tantum* modo, solum, *non defuisse fortunæ* (vide III, 46, n. 3), adeoque felicius, quam fortius, bellum gessisse, nulla fortitudinis ac prudentiæ ostendendæ occasione oblata propter ignaviam hostium, qui uno eoque facili prælio victi sunt; Drak.

dictatoris[8] creati), tribunorum militum comitia edixerunt. Tum vero gravior cura Patribus incessit; quippe quum prodi causam ab suis cernerent. Itaque sicut priore anno per indignissimos ex plebeiis candidatos omnium, etiam dignorum, tædium fecerant; sic tum, primoribus Patrum splendore gratiaque ad petendum præparatis, omnia[9] loca obtinuere, ne cui plebeio aditus esset. Quatuor creati sunt, omnes jam functi eo honore, L. Furius Medullinus, C. Valerius Potitus, N. Fabius Vibulanus, C. Servilius Ahala; hic refectus continuato honore, quum ob alias virtutes, tum ob recentem favorem unica moderatione partum.

LVIII. Eo anno, quia[1] tempus induciarum cum veienti populo exierat, per legatos fetialesque res repeti cœptæ: quibus venientibus[2] ad finem legatio Veientium obviam fuit. Petiere, ne prius, quam ipsi senatum romanum adissent, Veios iretur. Ab senatu impetratum, quia discordia intestina laborarent Veientes, ne res ab iis repeterentur; tantum afuit, ut[3] ex incommodo alieno sua occasio peteretur! Et in Volscis

8. *Ob iram... creati*, v. I, 5, n. 5.

9. *Omnia loca* (vide ad IV, 16, n. 5) *obtinuere*, obtinere conabantur; actus pro conatu; vide ad III, 21, n. 3. — *Omnes jam functi eo honore:* at *L. Furius Medullinus* non antea tribunus mil. fuerat, quod monstrat fragm. Capitol., sed bis antea consul, et filius L. Furii Med., qui ter tribunus mil. fuit; Pigh. in Ann. ad a. 346. « Itaque forte del. τὸ *eo*, quod abest a X MSS et edd. antt. ante Ald. Potius tamen est, ut agnoscamus, in hoc L. Furio Medullino, quo nomine varii his annis tribunatu militari functi sunt, non convenire inter Livium et fastos Capitol., ut Sigon. supra ad cap. 44 pr. docuit; » Drak. Conf. Ind.

Cap. LVIII. 1. *Quia tempus induciarum*, in XX annos datarum, *cum Veienti populo exierat;* confer supra cap. 35 pr. unde intelligitur, unum certe deesse annum, si *res repetitæ sunt* (vide ad I, 22, n. 5) exeunte anno XIX. Ille annus inserendus forte supra cap. 43 ubi Livius dicit, *partem majorem insequentis anni per novos tribunos pl. et aliquot interreges certaminibus extractam esse:* nam probabile est, novos tribunos mil. non in aliquot menses, sed in annum integrum creatos esse.

2. *Venientibus ad finem*, ad fines Veientium; vide ad II, 49, n. 10; et ad rem confer I, 32.

3. *Ut ex incommodo alieno sua oc-*

accepta clades, amisso Verrugine præsidio: ubi tantum in tempore fuit momenti, ut, quum precantibus opem militibus, qui ibi a Volscis obsidebantur, succurri, si maturatum esset, potuisset, ad [4] id venerit exercitus subsidio missus, ut ab recenti cæde palati ad prædandum hostes opprimerentur. Tarditatis causa in senatu magis fuit, quam in tribunis: qui [5], quia summa vi restare nuntiabantur, parum cogitaverunt, nulla virtute superari humanarum virium modum. Fortissimi milites non tamen, nec vivi, nec post mortem, inulti fuere. Insequenti anno, P. et Cn. Corneliis Cossis, N. Fabio Ambusto, L. Valerio Potito, tribunis militum consulari potestate, veiens bellum motum ob superbum responsum veientis senatus; qui legatis repetentibus res, ni facesserent propere urbe finibusque, daturos [6], quod Lars Tolumnius dedisset, responderi jussit. Id Patres ægre passi decrevere, ut tribuni militum de bello indicendo Veientibus primo quoque die ad populum ferrent. Quod ubi primo promulgatum est, fremere juventus, *Nondum debellatum cum Volscis esse: modo duo præsidia* [7] *occidione occisa, et cum periculo*

casio peteretur, vide ad I, 11, n. 1; et I, 56, n. 10.

4. *Ad id*, ob id tantum (vide ad I, 34, n. 5) *venerit exercitus*, etc. venerit tantum ad opprimendos hostes.

5. *Qui*, scilicet senatus (vide ad III, 72, n. 3), *quia summa vi restare*, resistere, *nuntiabantur*, scilicet milites, qui Verrugine in præsidio erant (nisi leg. *restari nuntiabatur*), *parum cogitaverunt* (propr. *cogitavit*; sed *senatus* est nom. collect.) reputarunt secum, *nullam virtutem* progredi posse ultra *humanarum virium modum*. Illud *qui* deleri malebat Gron. et *nimiarum* pro *humanarum* conjic. Faber. *Restare* est idem quod *resistere*, adeoque vel subsistere, pedem figere, manere, ut IX, 15, n. 1; et XXXII, 29, n. 4; vel hostibus resistere, obsistere, ut h. l. et VI, 32; X, 14; XXIII, 45; XXIX, 2; XXXIV, 14, et 15. — *Nec vivi* scilicet multis ante mortem suam cæsis hostibus.

6. *Daturos*, *quod Lars* vel potius *Lar* (vide ad II, 9, n. 1) *Tolumnius dedisset*, scilicet mortem; vide cap. 17 pr.

7. *Duo præsidia*, milites, qui Verrugine et in arce Carventana fuissent, *occidione occisa* (vide ad II, 51, n. 1), *et cum periculo retineri*, defendi, scilicet *præsidia* h. e. arces, seu castella: nam vox *præsidium* duobus verbis,

retineri. Nullum annum esse, quo non acie dimicetur: et, tanquam[8] *pœniteat laboris, novum bellum cum finitimo populo et potentissimo parari, qui omnem Etruriam sit concitaturus.* Hæc sua sponte agitata: insuper tribuni plebis accendunt: *Maximum bellum Patribus cum plebe esse* dictitant: *eam de industria vexandam militia trucidandamque hostibus objici: eam procul Urbe haberi atque ablegari, ne domi per otium memor libertatis coloniarumque, aut agri publici, aut suffragii libere ferendi consilia agitet:* prensantesque veteranos, stipendia cujusque et vulnera ac cicatrices numerabant: *quid jam integri esse in corpore loci ad nova vulnera accipienda? quid super*[9] *sanguinis, qui dari pro republica posset?* rogitantes. Hæc quum in sermonibus concionibusque interdum agitantes avertissent plebem ab suscipiendo bello, profertur[10] tempus ferendæ legis; quam, si subjecta invidiæ esset, antiquari apparebat.

sed diverso sensu, jungitur. Confer c. 55, 56, 58 pr.

8. *Tanquam pœniteat* Patres *laboris*, vide ad II, 54, n. 16.

9. *Quid super* scil. esse *sanguinis*, quod verbum modo præcessit, unde h. l. *super* mollius est, quam vulgo *superesse*, sed poetis frequentius, quam prosaicis scriptoribus.

10. *Profertur tempus ferendæ legis*, scilicet de bello Veientibus indicendo, quam legem (*Vorschlag*: confer ad I, 26, n. 4) tribuni mil. ad populum ferre jussi erant. — *Antiquari legem*, rejici: nam in tabellis reprobantium scriptum erat *A. P.* h. e. antiqua probo, nil mutandum censeo (*ich stimme dahin es beym Alten zu lassen*); ut contra *V. R.* h. e. *uti rogas* (scilicet ita volumus, jubemus, sciscimus) erat vox vel tabella, qua tribus utebantur, legem latam probantes: nam *rogare* et *ferre* dicitur magistratus, qui comitiis præest et legem fert ad populum, vel tribus rogat, quem suffragiis suis creatum velit, etc. at populi est *jubere* aut *sciscere*, unde *plebiscita*. Confer VI, 38, n. 3; VIII, 13, n. 7; X, 8 extr. et ad III, 64, n. 5. Si cum populo agitur vel ad illum *fertur* (nam ita etiam, ut XXIII, 14, n. 3; XXXII, 29, n. 4; et al. absolute dicitur pro: *lex* seu *rogatio ad populum fertur*), ut lex jubeatur, ea *rogari* (al. *ferri*), ut, quod ante jusserit, vel lex olim lata perlataque tollatur, hæc *abrogari*, ut aliquid de priore lege detrahatur: seu dematur, ei vel de ea aliquid *derogari* et *exrogari*, ut aliquid priori legi contrarium statuatur et illa tota vel pars ejus tollatur, legi *arrogari* (vid. XI, 34, n. 5; et Duker. ad Flor.

LIX. Interim tribunos militum in volscum agrum ducere exercitum placuit. Cn. Cornelius unus Romæ relictus. Tres tribuni, postquam nullo loco castra Volscorum esse, nec commissuros se prælio apparuit, tripartito ad devastandos fines discessere: Valerius Antium petit, Cornelius Ecetras: quacumque incessere, late populati sunt tecta agrosque, ut [1] distinerent Volscos: Fabius, quod maxime petebatur, ad Anxur oppugnandum sine ulla populatione accessit. Anxur [2] fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt; urbs prona in paludes; ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. Circummissæ quatuor cohortes cum C. Servilio Ahala, quum imminentem urbi collem cepissent, ex loco altiore, qua nullum erat præsidium, ingenti clamore ac tumultu mœnia invasere: ad quem tumultum obstupefacti, qui adversus Fabium urbem infimam tuebantur, locum dedere scalas admovendi; plenaque hostium cuncta erant, et immitis diu [3] cædes pariter fugientium ac resistentium, armatorum atque inermium fuit. Cogebantur itaque victi, quia cedentibus spei nihil erat, pugnam inire: quum pronuntiatum repente, ne quis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis: quorum ad [4] duo millia et quingenti vivi capiuntur: a cætera præda Fabius militem abstinuit, donec collegæ

III, 15, n. 5), ut nova *lex* vel *rogatio* (quæ voces quomodo et utrum differant, vide ad Cic. de Leg. III, 15, n. 33) non recipiatur, ea *antiquari* dicitur.

Cap. LIX. 1. *Ut distinerent Volscos,* vide ad III, 23, n. 1.

2. *Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt*, vel *Tarracina*, ut XXIV, 44; hodie *Terracina*, prope Ufentem flumen, qui nunc *il Portatore* dicitur. Confer ad XXIV, 44, n. 6, ad Sil. IV, 532, et VIII, 382. — *Oppugnationem ostendit*, simulavit. Confer ad IV, 30, n. 1; VI, 18, n. 3; et XXVII, 44, n. 3.

3. *Immitis cædes*, nulli parcens, sine miseratione. — *Pronuntiatum repente*, vide ad I, 53, n. 1.

4. *Ad* (adverb. pro circiter) *duo millia et quingenti*, ut VIII, 18; XXII, 41; XXVIII, 34, 36; XXXV, 7;

venirent : ab illis quoque exercitibus captum Anxur dictitans esse, qui cæteros Volscos a præsidio ejus loci avertissent. Qui ubi venerunt, oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere : eaque primum benignitas imperatorum plebem Patribus conciliavit. Additum deinde omnium maxime tempestivo[5] principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium[6] miles de publico acciperet, quum ante id tempus de[7] suo quisque functus eo munere esset.

LX. Nihil acceptum unquam a plebe tanto gaudio traditur. Concursum itaque ad curiam esse, prensatasque[1] exeuntium manus, et Patres vere appellatos; effectum esse fatentibus, ut nemo pro tam munifica patria, donec quidquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret. Quum[2] commoditas juvaret, rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipublicæ esset, tum, quod ultro sibi oblatum esset, non a tribunis plebis unquam agitatum, non suis sermonibus efflagi-

XXXVIII, 36, al. Confer Gron. ad X, 17; Morus in Ind. Cæs., et Ern. ad Suet. Cæs. 20. — *A præda militem abstinuit*, vide ad II, 22, n. 3.

5. *Tempestivo principum in multitudinem munere*, instante gravissimo bello, plebe fremente et tribunis eam incendentibus : *principum*, qui id decreverunt sponte, et plurimum contulerunt. *Tempestivum munus* in aliquot MSS quod facilius est, sed emendationem redolet.

6. *Ut stipendium miles de publico acciperet*, quæ res ad onus militiæ levandum, ad augendam roman. potentiam, et ad reconciliandos patriciorum plebeiorumque animos plurimum valuit. De hoc stipendio vide Polyb. VI, 37; et Lips. Mil. Rom. V, 16. — Hic *militem* pro *pedite* sumi notat Crevezrius, et ita recte; nam equiti non assignatum est stipendium, nisi quarto post hunc anno. Vide lib. V, c. 7. Ed.

7. *De suo* censu (*privato sumptu* Fest.) *quisque functus eo munere esset*, id beneficii reipublicæ præstitisset.

Cap. LX. 1. *Prensatas exeuntium manus*, vide ad II, 61, n. 4.

2. *Quum*, tum, *commoditas*, commodum, utilitas opportunitasque hujus muneris, *juvaret* (prop. *juvabat*, de quo vide ad III, 34, n. 1), h. e. delectaret accipientes, iis grata esset, quod scilicet *res familiaris* cujusque poterat *acquiescere*, non minui, seu atteri, etc. — *Operatum*, vide ad I,

tatum, id efficiebat multiplex gaudium cumulatioremque gratiam rei. Tribuni plebis[3], communis ordinum lætitiæ concordiæque soli expertes, negare, *Tam id lætum Patribus universis, nec prosperum fore, quam ipsi crederent: consilium specie prima melius fuisse, quam usu appariturum. Unde enim eam pecuniam confici posse, nisi tributo populo indicto? ex alieno igitur aliis largitos: neque, id etiamsi cæteri ferant, passuros eos, quibus jam emerita stipendia essent, meliore conditione alios militare, quam ipsi militassent; et eosdem in sua stipendia impensas fecisse, et in aliorum facere.* His vocibus moverunt partem plebis: postremo, indicto[4] jam tributo, edixerunt etiam tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset. Patres bene cœptam rem perseveranter tueri: conferre ipsi primi: et, quia nondum argentum signatum[5] erat, æs grave plaustris quidem ad ærarium convehentes, speciosam[6] etiam collationem faciebant. Quum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici, ex composito conferre incipiunt: quos quum et a Patribus collaudari, et a militari ætate tanquam bonos cives conspici vulgus hominum vidit, repente, spreto tribunitio auxilio, cer-

31, n. 7. — *Multiplex gaudium*, vide ad XXII, 7, n. 2.

3. *Tribuni plebis ... negare*, dicere, non *tam id lætum Patribus universis nec prosperum fore*, vide ad III, 48, n. 1; et XXVII, 41, n. 1.

4. *Indicto tributo*, confer Plin. XXXIII, 31, seu 13; Zonar. VII, 20; et Grævii Thes. Ant. Rom. tom. X, p. 1195.

5. *Argentum signatum* est primum anno Urbis conditæ 585; vide Plin. XXIII, 3, seu 13. — *Æs grave*, asses librales, v. Gron. de pec. vet. III, 15; et Periz. Diss. de ære gravi. Minus probabilia sunt, quæ adversus hos disputavit Kuster. in diatr. Antigron. p. 61, ubi monet *æs grave* dici omnes numos æreos, cum argento auroque signato comparatos: ea enim metalla, si pretii et æstimationis ratio habeatur, pondere æri longe cedere.

6. *Speciosam collationem*, conspicuam, splendidam, magnificam. — Efficiebant ut collatio tributi etiam speciem, id est, pompam, dignitatem aliquam haberet, quæ vulgi oculos converteret. Ed. — *Conspici*, vide ad

tamen conferendi est ortum: et, lege perlata de indicendo Veientibus bello, exercitum magna ex parte voluntarium novi tribuni militum consulari potestate Veios duxere.

LXI. Fuere autem tribuni T. Quintius Capitolinus, Q. Quintius Cincinnatus, C. Julius Julus iterum, A. Manlius, L. Furius Medullinus tertium [1], M'. Æmilius Mamercinus. Ab his primum circumsessi Veii sunt; sub cujus initium obsidionis quum Etruscorum [2] concilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum esset, parum constitit, bellone publico gentis universæ tuendi Veientes essent. Ea oppugnatio segnior insequenti anno fuit, parte tribunorum exercitusque ad volscum avocata bellum. Tribunos militum consulari potestate is annus habuit C. Valerium Potitum tertium, M'. Sergium Fidenatem, P. Cornelium Maluginensem, Cn. Cornelium Cossum, K. Fabium Ambustum, Sp. Nautium Rutilum iterum. Cum Volscis inter Ferentinum atque Ecetram signis collatis dimicatum. Romanis secunda fortuna pugnæ fuit. Artena inde, Volscorum oppidum, ab tribunis obsideri cœpta; inde inter eruptionem tentatam, compulso in urbem hoste, occasio data est Romanis irrumpendi: præterque arcem cætera capta: in arcem munitam [3] natura globus armatorum concessit. Infra arcem cæsi captique multi mortales: arx deinde obsidebatur: nec aut vi capi poterat, quia pro spatio loci satis præsidii habebat; aut spem dabat deditionis, omni publico frumento, priusquam urbs caperetur, in arcem

II, 5, n. 8. Pro *videt* Bauer. conj. *vidisset*, aut *ubi* pro *quum*. Neutrum necesse.

CAP. LXI. 1. *L. Furius Medullinus iterum* al. Confer Ind.

2. *Etruscorum concilium ad fanum Voltumnæ*, vide ad IV, 23, n. 5.

3. *In arcem munitam*, etc. Gron. emend. *In eam munitam ... Ipsa deinde obsidebatur... ni servus prodidisset*, ne sexies *arx* nominetur, quod utique molestum est.—Vide supra hoc libro, cap. 55; «Nuncii veniunt, *arcem* Carventanam, dilapsis ad prædam militi-

convecto; tædioque recessum inde foret, ni servus arcem Romanis prodidisset; ab eo milites per locum arduum accepti cepere; a quibus quum custodes trucidarentur, cætera multitudo, repentino pavore oppressa, in deditionem venit. Diruta et arce et urbe Artena, reductæ legiones ex Volscis omnisque vis romana Veios conversa est. Proditori, præter libertatem, duarum familiarum bona in præmium data. Servius Romanus vocitatus. Sunt, qui Artenam Veientium, non Volscorum, fuisse credant[4]. Præbet errorem, quod ejusdem nominis urbs inter Cære atque Veios fuit : sed eam reges romani delevere, Cæretumque, non Veientium, fuerat. Altera hæc nomine eodem in volsco agro fuit, cujus excidium est dictum.

bus, qui in præsidio erant, Æquos, interfectis paucis custodibus *arcis*, invasisse; alios recurrentes in *arcem*, alios palantes in agris cæsos. » Ed.

4. *Sunt, qui Artenam Veientium, non Volscorum, fuisse credant.* « Vellem, inquit Glareanus, Livium et in aliis tam sollicitum fuisse oppidorum nominibus, nec barbarorum tantum, sed ipsius Italiæ. » Quod quidem desiderium sæpius, nec sine jure, romanarum historiarum studiosis renovatur. Ed. — *Sed eam reges romani delevere;* vet. lib. *diruere*, ut lib. VII, cap. 27, *restitutaque urbs, quam Latini diruerant;* et paulo ante hoc cap. *diruta et arce et urbe Artena;* lib. I, c. 29, *legiones inde ductæ ad diruendam urbem;* et alibi sæpe. Hic tamen reliquis MSS adhæremus, qui constanter *delevere* præferunt: infra lib. V, c. 21, *pergo ad delendam urbem Veios;* cap. 42, *non omnibus delendæ urbis libido erat.* Justin. lib. II, cap. 12, *an ideo mœnia vestra condidimus, ut essent, qui nostra delerent.* Florus, lib. II, cap. 15, *quanta urbs deleta sit, vel ignium mora probari potest.* Ov. lib. XIII, Met. vers. 219, *Non sinat hoc Ajax : delendaque Pergama poscat.* Silius, lib. XV, vers. 558, *Serus deletæ post auxiliabere Romæ.* Ed.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM.

Cap. I; Octo creantur tribuni mil. cons. pot., et rex a Veientibus: his auxilium negatur ab Etruriæ populis, ob odium non modo regni, et regis ipsius, hominis superbi et crudelis. — II; Hibernacula ad Veios: hinc tribunitiæ seditiones. — III-VI; Eas comprimit Ap. Claudius Crassus trib. mil. cons. pot, scita oratione. — VII; Incendium haurit opera rom. ad Veios: omnes, quibus census equester est, equis se suis stipendia facturos promittunt: quo exemplo incitata plebs operam reip. extra ordinem pollicetur: publica lætitia. Fit senatusconsultum, ut omnibus his publice agantur gratiæ, et æra procedant voluntariam extra ordinem professis militiam: et equiti certus æris numerus assignatur. — VIII; Præsidium Anxuri oppressum: discordia ducum rom. in castris, ad Veios positis: bellum auctum adventu Capenatium Faliscorumque: castra minora oppugnantur, et neque L. Virginius, qui majoribus præest, auxilium sponte mittit M'. Sergio, ob privatum odium, neque hic opem ab inimico petit. Sergius cum multis Romam pertendit, quo et Virginius accitur. — IX; Tribuni milit. cons. pot. ante idus dec. abdicare se magistratu, et alii jam kal. oct. eum occipere jubentur. — X; Tributum, quod cum numero militum crescit, inviti conferunt, qui domi remanent, Urbemque tuentur: inde conciones seditiosæ tribunorum plebis: horum numerus comitiis expleri nequit, et cooptatione, patriciorum opibus adjuta, lex Trebonia labefactatur. — XI; Inde ira plebis et Cn. Trebonii trib. plebis: ea vertitur in Ser-

gium Virginiumque, qui accusantur, — XII; damnanturque. Bellum multiplex, ad Veios, ad Capenam, in Faliscis et in Volscis, ubi Anxur, nequidquam oppugnatum, obsidetur: tributum conferri vetant tribuni, et miles flagitat æra. Tandem concordia ordinum restituitur, uno ex plebe, usurpandi juris causa, P. Licinio Calvo tribuno militum consul. pot. creato. — XIII; Anxur receptum. Proximis comitiis tribunorum mil. cons. pot. unus ex patriciis candidatis locum tenet, et quinque plebeios centuriæ dicunt: tristem hiemem pestilens excipit æstas: lectisternium primum. Anceps ad Veios prælium, et ingens hostium cædes.—XIV; Ob religionem majestatemque petentium patricii creantur tribuni mil. cons. pot. L. Valerius Potitus a Faleriis, et M. Furius Camillus a Capena ingentes agunt prædas. — XV; Prodigia: lacus albanus in altitudinem insolitam crescit, et haruspex etruscus vaticinantis in modum canit, Romanum Veiis non potiturum, nisi aqua ex lacu emissa. — XVI; Tarquinienses novi hostes exorti: multiplex bellum et certamina Patrum plebisque. Sors oraculi delphici congruens responso etrusci vatis. — XVII; Prodigii albani procuratio. Magistratus vitio creati honore abeunt: interregnum: concilia Etruriæ ad Voltumnæ fanum. — XVIII; Tribunatus militum P. Licinio Calvo, exactæ ætatis viro, iterum offertur, eoque rogante, datur filio: Titinius Genuciusque, collegæ ejus, a Faliscis et Capenatibus in insidias trahuntur, et hic perit: multiplex rei fama, ingensque terror Romæ et in castris ad Veios. — XIX; Ludis Latinisque instauratis, et aqua ex lacu albano emissa in agros, M. Furius Camillus dictator dicitur: is Faliscos Capenatesque fundit, et cuniculum agit in arcem Veiorum. — XX; Quum jam in manibus videt victoriam esse, per literas ex senatu quærit, quid de præda faciendum censeant.— XXI; Excidium Veiorum, urbis opulentissimæ et decem annos obsessæ. — XXII; Libera corpora venduntur sub corona, eaque sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis: præter alios deos Juno Regina Romam deportatur. — XXIII; Supplicationes in quatriduum decretæ: splendidus dictatoris triumphus: templum Junonis Reginæ in Aventino locatum dedicatumque Matutæ matri: decuma prædæ pars, a Camillo Apollini vota, in publicum deferenda censetur: ea quoque collatio plebis animos a Camillo alienat.—XXIV; Capenatibus subactis in Faliscis bellum restat. Tribuni pl. suadent, ut Veios non tam colonia deducatur, quam pars populi, aut omnes adeo transmigrent: optimates ad-

versantur. — XXV; Camillo pontificibusque auctoribus urbs et ager Veientium æstimatur, et decimæ partis pretium ex ærario promendum censetur : ob inopiam ejus matronæ conferunt aurum et ornamenta sua : his inde honor habetur, ut pilento ad sacra ludosque, carpento festo profestoque die utantur. Cratera aurea donum Apollini portatur Delphos. Tribuni pl. incitant multitudinem in principes et ante alios in Camillum. — XXVI; Camillus Faliscorum castra capit, et obsidet urbem. — XXVII; Principum liberis, a magistro suo in castra romana perductis, proditorem tradit denudatum simulque virgas, quibus eum Falerios agant verberantes: talis fides et justitia Faliscorum deditionem efficit. — XXVIII; Legati, Delphos cum dono missi, a piratis Liparensium excipiuntur, sed a Timasitheo, eorum principe, cum præsidio navium Delphos indeque Romam deducuntur. In Æquis varie pugnatur ducibus C. Æmilio et Sp. Postumio: sed postremo ab hoc exercitus hostium deletur. — XXIX; L. Lucretius Flavus cos. vincit Æquos, qui Vitelliam expugnaverant: A. Virginius et Q. Pomponius, tribuni pl. biennii superioris, qui, gratificantes Patribus, rogationi collegarum intercesserant, rei condemnantur: inde Camillus et plebem increpat et consules. — XXX; Idem senatum incitat adversus rogationem, a tribunis pl. latam, ut Veios commigraretur: ea antiquatur, et agri veientani septena jugera dividuntur plebi. — XXXI; Ludi magni et dedicatio ædis Junonis Reginæ: bellum cum Æquis gestum, indictumque Volsiniensibus et Salpinatibus: fames et pestilentia: moritur C. Julius censor, eique sufficitur M. Cornelius: id postea religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta; nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur. — XXXII; Volsiniensium fuga et deditio : prædæ ex salpinati agro actæ : vox divinitus missa de adventu Gallorum, et a M. Cædicio, homine de plebe, noctu audita. Camillus ab L. Apuleio trib. pl. propter prædam veientanam accusatur, et in exsilium abit. — XXXIII; Legati clusini Romam veniunt, auxilium petentes adversus Gallos: antiquiora Gallorum bella cum Etruscis : horum opes late olim terra marique patentes. — XXXIV; Populi Galliæ variis temporibus Alpes transgressi, ducibus potissimum Belloveso, — XXXV; et Elitovio. Senones Clusium oppugnant, et legati ad eos romani mittuntur, tres M. Fabii Ambusti filii. — XXXVI; Præferoces juvenes minis accendunt Gallorum animos, et mox contra jus gentium ante signa Etruscorum pugnant: hinc Galli Romam mit-

tunt legatos postulatum, ut Fabii dedantur: ibi vero plus gratia atque opes valent, et, quorum de pœna agebatur, tribuni milit. cons. pot. creantur. — XXXVII; Romani negligenter parant bellum; et Galli, flagrantes ira, citato agmine Romam contendunt. — XXXVIII; Pugna ad Alliam flumen, in qua nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites est: vincuntur a Brenno, et plurimi Veios perfugiunt, quorum multi cæduntur circa ripam Tiberis, et gurgitibus ejus hauriuntur. — XXXIX; Senones, spoliis cæsorum lectis, inter Romam atque Anienem considunt. Romani in Urbe pavent, et militaris juventus in Capitolium concedit. — XL; Multi Janiculum, agros et urbes finitimas petunt: virgines Vestales aliique sacerdotes Romam deserunt, et a L. Albinio Cære pervehuntur. — XLI; Galli Urbem diripiunt, et seniores, in medio ædium sedentes, trucidant. — XLII; Juventus rom. attonita in arce audit hostium clamorem, mulierum puerorumque ploratum, ignis late vagantis sonitum et fragorem ruentium tectorum. — XLIII; Hostes, impetum in arcem facientes, strage ac ruina funduntur, et inde obsidionem parant: pars per finitimos prædantur populos, et quosdam fortuna ipsa ducit Ardeam, ubi Camillus exsulat. — XLIV; Is Ardeates incitat ad opprimendos populatores agri sui. — XLV; Strages Gallorum in ardeati antiatique, et Tuscorum in veienti agro. — XLVI; C. Fabius Dorso, de Capitolio per medias hostium stationes degressus, in Quirinali colle facit statum Fabiæ gentis sacrificium, et ad suos redit. Romani palantes conveniunt Veios, et arcessunt Camillum: is, consulto ante senatu rom. per Pontium Cominium, qui in Capitolium evaserat, dictator absens dicitur. — XLVII; Capitolium, quod Galli noctu ascendunt, clangore anserum et virtute M. Manlii servatur: is donatur farre vinoque; et vigiles puniuntur. — XLVIII; Fames et pestilentia: busta gallica: panes de Capitolio jactati in hostium stationes: extrema fames: pactio Romanorum cum Gallis. — XLIX; Dictatoris adventus, duplex in Urbe viaque Gabina victoria, et triumphus. — L; Fana restituta, terminata, expiata: hospitium cum Cæretibus publice factum: ludi Capitolini: templum Aii Locutii: aurum, quod Gallis ereptum erat, sub Jovis sella poni jussum: matronis auri collati causa gratiæ actæ et solennis post mortem laudatio decreta. — LI-LIV; Camillus dissuadet actionem tribunitiam Veios transmigrandi. — LV; Movetur plebs tum oratione Camilli, maxime ea, quæ ad religiones pertinebat, tum

omine vocis, emissæ a centurione, qui, cohortibus ex præsidiis forum transeuntibus, in comitio exclamaverat: « Signifer, statue signum! hic manebimus optime. » Urbs promiscue et festinanter ædificari cœpta.

I. Pace alibi parta[1], Romani Veiique in armis erant tanta ira odioque, ut victis finem adesse appareret. Comitia utriusque populi longe diversa ratione facta sunt. Romani auxere tribunorum militum consulari potestate numerum; octo, quot nunquam antea, creati, M'. Æmilius Mamercinus iterum, L. Valerius Potitus tertium, Ap. Claudius Crassus, M. Quintilius Varus, L. Julius Julus, M. Postumius, M. Furius Camillus, M. Postumius Albinus. Veientes contra tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum causa erat, regem creavere. Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non majore odio regni, quam ipsius regis; gravis jam is antea genti fuerat opibus superbiaque, quia solemnia ludorum, quos intermitti nefas est, violenter diremisset: quum ob iram repulsæ, quod suffragio duodecim populorum[2] alius sacerdos ei prælatus esset, artifices,

Cap. I. 1. *Parta;* habent nostri MSS *parata;* horum autem confusio vocabulorum in vetustis codicibus frequens est. Vide infra ad h. lib. cap. 6, et supra lib. I, cap. 19; lib. II, cap. 26; lib. III, cap. 19. Ed. — *Octo tribuni mil. cons. pot., quot nunquam antea, creati;* quod tamen solus Livius h. l. et VI, 37 (ubi maximus numerus invidiæ et rei augendæ causa memoratur), nescio quos auctores sequutus, tradit. Furius Camillus et Postumius Albinus hoc anno Censores potius fuere; vide Fast. Capit., Valer. Max. II, 9; et Plut. in Camillo p. 129. Nonnunquam tamen octo fuisse tribunos mil. etiam alii referunt, v. c. anno mundi 3601 Diodorus lib. XV, quin adeo *sæpe* Imp. Claudius in oratione, æreæ tabulæ incisa, quam typis exprimendam curavi in vol. IV, p. 474, coll. nost. Tac. Ann. XI, 24. Confer et Pompon. de orig. jure in lib. II, ff. § 25, ibique Bynkersh. Ceterum pro priore *M. Postumio* (nam duo hujus nominis memorantur) e fastis Capitol. substituendus *M. Furius Fusus:* nec vero, quia Livius non sexies, ut alii, sed septies Camillum fuisse tribunum mil. cons. pot., cum Sigon. deleverim cap. 10 pr. τὸ *iterum*, et aliis locis reposuerim *iterum* pro *tertium*, etc. Confer Drak. ad h. l. et Perizon. anim. hist. cap. 2, p. 43 seq.

2. *Suffragio XII populorum*, vide ad IV, 23, n. 4. — *Artifices* scenicos,

quorum magna pars ipsius servi erant, ex medio ludicro repente abduxit. Gens itaque, ante omnes alias eo magis dedita religionibus [3], quod excelleret arte colendi eas, auxilium Veientibus negandum, donec sub rege essent, decrevit; cujus decreti suppressa fama est Veiis propter metum regis; qui, a quo tale quid dictum referretur, pro seditionis eum principe, non vani [4] sermonis auctorem, habebat. Romanis etsi quietæ res ex Etruria nuntiabantur, tamen, quia omnibus conciliis eam rem [5] agitari afferebatur, ita muniebant [6], ut ancipitia munimenta essent: alia in urbem et contra oppidorum eruptiones versa: aliis frons in Etruriam spectans auxiliis, si qua forte inde venirent, obstruebatur.

II. Quum spes major imperatoribus romanis in obsidione, quam in oppugnatione, esset; hibernacula etiam, res nova militi romano, ædificari cœpta: consiliumque erat, hiemando continuare [1] bellum: quod

histriones. Cf. VII, 2, n. 11; XXXIX, 22 pr. XLI, 20, n. 10. Sic et medici quæstus cupidi *artifices improbi* dicuntur infra cap. 5; et Prop. II, 1, n. 58. *Ars* simpl. pro arte ludicra, seu scenica XXIV, 24, n. 3. τεχνῖται gladiatores in Chron. Alex. p. 660, ed. Mero., et histriones apud Polyb. VI, 47, n. 8; XVI, 21, n. 8; XXX, 13, n. 2; et ap. Diodor. IV, 5; ubi vide Wessel. p. 214 et 251; et T. II, p. 485; *artifices scenici* apud Cic. pro Arch. V; et Suet. Cæs. LXXXIV.

3. *Dedita religionibus*, ludis solennibus, qui etiam ad religionem pertinebant.

4. *Non vani*, falsi, vel potius irriti *sermonis*, rumoris, ad se nihil pertinentis nec quidquam nocentis sibi, *auctorem*, nuntium; vide ad II, 58, n. 1. Livius *auctorem* dixit per apposit. τοῦ *eum*, vel constructionem variavit; sed Gron. emend. *auctore*, et non improbat lectionem edd. vett. ante Curion. *novi sermonis*. — Nostri conspirant MSS in Gronov. lectionem, *auctore;* sed mox *vani sermonis* ferunt. Ed.

5. *Omnibus conciliis* Etruriæ *eam rem agitari*, scilicet de mittendis Veios auxiliis. Confer cap. 5 med.

6. *Ita muniebant* scilicet castra et circa Veios posita. — *Ancipitia munimenta* verbis sequentibus illustrantur. Confer ad I, 25, n. 4. — *Aliis* (forte *aliorum* scilicet munimentorum) *frons auxiliis* Etruscorum *obstruebatur*, opponebatur, qui eorum prohiberet aditum. (Confer cap. 5, et XXXVIII, 29 pr.)

Cap. II. 1. *Hiemando continuare bellum*, « non persequi, *fortsetzen*,

postquam tribunis plebis, jam diu nullam novandi res causam invenientibus, Romam est allatum, in concionem prosiliunt, sollicitant plebis animos, *Hoc illud esse* dictitantes, *quod æra militibus sint constituta: nec se fefellisse, id donum inimicorum veneno illitum*[2] *fore. Venisse libertatem plebis: remotam in perpetuum et ablegatam ab Urbe et ab republica juventutem, jam ne hiemi quidem aut tempori anni cedere, ac domos et res invisere suas. Quam putarent continuatæ militiæ causam esse? nullam profecto aliam inventuros, quam ne quid per frequentiam*[3] *juvenum eorum, in quibus vires omnes plebis essent, agi de commodis eorum posset. Vexari præterea et subigi*[4] *multo acrius, quam Veientes; quippe illos hiemem sub tectis suis agere, egregiis muris situque naturali urbem tutantes: militem romanum in opere ac labore, nivibus pruinisque obrutum, sub pellibus*[5] *durare, ne hiemis quidem spatio, quæ omnium bellorum terra marique sit*

sed continuum reddere, uno tenore gerere, non interrumpere, nil intervalli interponere bello æstatis prioris et secuturæ, expeditionem æstatis *statim jungere* expeditioni æstivæ sequentis anni per hibernam: ut paulo infra *continuata militia* est non interrupta, nullo intervallo dirempta, *perennis*, ut paulo post explicat ipse »; Bauer. Confer ad IV, 22, n. 4. — *Novandi res*, vide ad I, 52, n. 1. — *Hoc illud esse, quod*, etc.; ut apud Virg. A. IV, 675. Confer Drak.

2. *Id donum inimicorum veneno illitum fore*, præclare de re fraudulenta et perniciosa. Confer ad II, 44, n. 5. *Venisse*, venditam esse hoc dono, stipendio.

3. *Ne quid per frequentiam*, quum frequentes adessent, in frequentia *juvenum eorum*, etc. nisi leg. *per* (propter) *infrequentiam;* Ern. Confer ad II, 23, n. 9.

4. *Vexari et subigi* synon., posterius propr. de terra sæpius arata adhibetur, et de farina depsititia. — *Muris situque naturali urbem tutantes;* Jac. Gron. emend. *tutante*. Sed illud et rotundius et haud paulo elegantius videtur Bauero ob ipsam hypallagen, quam exemplis firmat. Cf. II, 30; III, 42.

5. *Militem rom. in opere ac labore sub pellibus* (nam *hibernacula* erant tabernacula fulcris tigillisque ligneis erecta et contecta *pellibus*, seu corio; confer ad XXIII, 18, n. 7; et Lips. Mil. Rom. V, 1) *durare* se, duriter vivere, vel etiam perseverare. — *Nivibus pruinisque obrutum:* τὸ *nivibus*, quod in principibus deficit editionibus, servant nostri MSS. Quidam, loco τοῦ *pruinisque*, *pluviisque* scripserunt;

quies, arma deponentem. Hoc neque reges, neque ante tribunitiam potestatem creatam superbos illos consules, neque triste[6] *dictatoris imperium, neque importunos decemviros injunxisse servitutis, ut perennem militiam facerent, quod tribuni militum in plebe romana regnum exercerent. Quidnam illi consules dictatoresve*[7] *facturi essent, qui proconsularem imaginem tam sævam ac trucem fecerint? Sed id accidere haud immerito: non fuisse ne in octo quidem*[8] *tribunis militum locum ulli plebeio. Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire; et ne in turba quidem*[9] *hærere plebeium quemquam, qui, si nihil aliud, admoneat collegas, liberos et cives eorum, non servos, militare, quos hieme saltem in domos ac tecta reduci oporteat, et aliquo tempore anni parentes liberosque ac conjuges*

male. Vide infra hoc lib. cap. 6. *Venandi studium ac voluptas homines per nives ac pruinas in montes silvasque rapit.* Cic. Orat. II, Catil. cap. 10. *Quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent?* Idem, lib. II, de Nat. Deor. cap. 10, *quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinaque concresceret.* Ed.

6. *Triste,* severum, durum (ut VII, 28, n. 5; VIII, 21, n. 2; XXXVIII, 22. Confer ad Sil. I, 147) et infinitum, *dictatoris imperium,* h. e. dictator, cujus imperium sit rigidum et sine provocatione. — *Importunos decemviros,* ut XXIX, 17 extr.; et XXXVIII, 14; de tyranno: nam *importunus* (proprie *inopportunus*) est difficilis, morosus, nimis severus, durus, crudelis, qui continuo vexat homines, neque eos patitur esse quietos; ut contra *opportunus* dicitur commodus, facilis. — *Quod regnum,* quale sævum imperium, *exercerent.*

7. *Illi consules dictatoresve,* h. e. illi tribuni mil., si consules dict. creati fuissent; Drak. Confer ad V, 36, n. 3; IX, 18, n. 3; IX, 43, n. 7; XXIII, 4, n. 1; XXIX, 14, n. 5; XXXI, 42, n. 3. — *Proconsularem imaginem,* vide ad III, 41, n. 2.

8. *Non fuisse ne in octo quidem,* etc. redundat *non* (vide ad II, 45, n. 7), aut minor distinctio post *fuisse* ponenda. — *Trina loca* (vide ad IV, 16, n. 5) *explere* (*ausfüllen*) consequi. Confer ad III, 64, n. 3. — *Octojuges* contemptim pro: octonos, octo simul, instar tot equorum, uni currui, seu jugo junctorum. *Ad imperia obtinenda,* octo ad unum honorem simul obtinendum; Bauer.

9. *Ne in turba quidem,* in tanto tribunorum numero, *hærere plebeium quemquam,* septem patriciis octavum, seu postremum adhærere, h. e. adjectum et velut extremo loco admissum esse, ut *extremum adhæsisse* quæsto-

invisere, et usurpare libertatem, et creare magistratus. Hæc taliaque vociferantes adversarium haud imparem nacti sunt Ap. Claudium, relictum a collegis[10] ad tribunitias seditiones comprimendas; virum imbutum jam ab juventa certaminibus plebeiis: quem auctorem aliquot annis ante fuisse memoratum est, per collegarum intercessionem, tribunitiæ potestatis dissolvendæ.

III. Is tum jam, non promptus ingenio tantum, sed usu etiam exercitatus, talem orationem habuit: « Si « unquam dubitatum est, Quirites, utrum tribuni ple- « bis vestra, an sua causa seditionum semper auctores « fuerint, id ego hoc anno desisse dubitari certum « habeo; et quum lætor, tandem longi erroris vobis « finem factum esse, tum, quod secundis potissimum « vestris rebus hic error est sublatus, et vobis, et « propter vos reipublicæ gratulor. An est quisquam, « qui dubitet[1], nullis injuriis vestris, si quæ forte ali- « quando fuerunt, unquam æque, quam munere Pa- « trum in plebem, quum æra militantibus constituta « sunt, tribunos plebis offensos ac concitatos esse?

ribus pro: ultimum quæstorem factum esse, apud Cic. in Vatin. cap. 5 pr. — *Usurpare libertatem*, exercere eam, seu jus suffragii.

10. *Relictum a collegis*, non tamen solum, ut ex cap. 7, § 12 (*ut tribuni militares concione*, etc.) apparet; sed cum aliis relictum, ut solum ex omnibus maxime idoneum comprimendis seditionibus tribunitiis; Duk. — *Quem auctorem*, etc.; vide supra lib. IV, cap. 48, pag. 92 nost. edit. Ed.

Cap. III. 1. *An est quisquam qui dubitet*, nonne omnibus persuasum est, *numquam æque ullis injuriis vestris*, h. e. vobis a senatu illatis (vide ad II, 61, n. 3), etc. — Censet Tann. Faber legendum esse *ullis*, « quod et vis τῆς διανοίας, et hæc verba ostendunt, *si quæ unquam.* » Contra Doujatius, adversatus Fabro, contendit, non posse hoc loco dempta negatione idoneum sensum ex mente auctoris confici; necessario itaque legendum esse, *an est quisquam, qui dubitet*, sive qui nesciat, *nullis unquam*, aut, quod eodem redit, nunquam ullis *injuriis æque offensos.* Miratur Drak. hic hæsisse viros doctos. *Æque offensos nullis injuriis* capiendum est, inquit, ac si dixisset, *non æque offensos ullis injuriis.* Vide Plaut. in Epid. act. II, sc. 3, vers. 1. Ed. — *Militantibus* pro *militibus*, ut et infra cap. 4; sic apud Græcos sæpissime, στρατευόμενοι. Cf. Drakenborch.

« quid illos aliud aut tum timuisse[2] creditis, aut hodie « turbare velle, nisi concordiam ordinum, quam dis- « solvendæ maxime tribunitiæ potestatis rentur esse? « Sic, hercule, tanquam artifices improbi[3], opus quæ- « runt; qui et semper ægri aliquid esse in republica « volunt, ut sit, ad cujus curationem a vobis adhi- « beantur. Utrum enim defenditis[4], an impugnatis « plebem? utrum militantium adversarii estis, an cau- « sam agitis? Nisi forte hoc dicitis; quidquid Patres « faciunt, displicet; sive illud pro plebe, sive contra « plebem est. Et quemadmodum servis suis vetant « domini quidquam rei cum alienis hominibus esse, « pariterque in iis beneficio ac maleficio abstineri « æquum censent : sic vos interdicitis Patribus com- « mercio plebis: ne nos comitate ac munificentia nostra « provocemus plebem, nec plebs nobis dicto audiens « atque obediens sit. Quanto tandem[5], si quidquam « in vobis, non dico civilis, sed humani esset, favere « vos magis, et, quantum in vobis esset, indulgere « potius comitati Patrum atque obsequio plebis opor-

2. *Quid illos* tribunos *aliud aut tum timuisse*, aut olim et semper, quoties seditionum auctores essent, metuisse, *creditis, aut hodie turbare velle* creditis, *nisi concordiam ordinum, quam dissolvendæ ... potestatis rentur esse*, vide ad III, 24, n. 1. Omnia sic plana videntur, nec satis apta Baueri nota : « Quid aliud ergo volebant (turbare) aut poterant, nisi concordiam ordinum? Clarius, opinor, et simplicius scripsisset: *Quid eos aut tum voluisse creditis, aut hodie velle, nisi concord. ord. turbare?* Aut sic : *quid eos aliud aut tum tim. cred. aut hodie velle, nisi conc. ord. turbare?* Illud melius foret. Nam et hoc asperitatis aliquid habet. Sed concinnitatis studio in sensum ipsum offendit paululum Noster; qui tamen satis apparet. »

3. *Tamquam artifices improbi*, homines fraudulenti et ad malas artes acuti (*architecti sceleris* Cic. Cluent. 22), vel artifices, vel medici (vide ad cap. 1, n. 2) quæstus cupidi, qui incommodis alienis gaudent, eaque in rem suam convertere cupiunt, *opus*, laborem, *quærunt; qui* artifices *et*, etiam, *semper ægri aliquid*, etc. nisi potius τὸ *qui*, aut *et* plane delendum est.

4. *Virum enim defenditis*, etc. oratio ad ipsos tribunos pl. conversa.

5. *Quanto tandem*, etc. imo *Quando tandem*, quo tandem tempore magis, quam hoc, sive nunc ; Doer. — *Favere comitati Patrum*, etc., iis læ-

« tuit? quæ si perpetua concordia sit, quis non spon« dere ausit, maximum hoc imperium inter finitimos « brevi futurum esse?

IV. « Atque ego, quam hoc consilium collegarum « meorum, quo abducere infecta re a Veiis exercitum « noluerunt, non utile solum, sed etiam necessarium « fuerit, postea disseram: nunc de ipsa[1] conditione « dicere militantium libet. Quam orationem, non apud « vos solum, sed etiam in castris, si habeatur, ipso « exercitu disceptante, æquam arbitror videri posse; « in qua si mihi ipsi nihil, quod dicerem, in mentem « venire posset, adversariorum certe orationibus con« tentus essem. Negabant nuper, danda esse æra mili« tibus, quia nunquam data essent: quonam modo « igitur nunc indignari possunt, quibus aliquid novi « adjectum commodi sit, eis laborem etiam novum « pro portione[2] injungi? Nusquam nec opera sine « emolumento, nec emolumentum ferme sine impensa « opera est: labor voluptasque, dissimillima[3] natura, « societate quadam inter se naturali sunt juncta. Mo« leste antea ferebat miles, se suo sumptu operam « reipublicæ præbere: gaudebat idem, partem anni se « agrum suum colere; quærere, unde domi militiæque

tari, cupere ea vigere, ea juvare, tueri; Bauer.

Cap. IV. 1. *De ipsa conditione militantium*, quæ mutata erat dato stipendio, ut mox dicitur. — *Adversariorum orationibus contentus essem*, objectionibus, quas reddere ac retorquere attineret; ipsæ horum objectiones satis multa mihi contra eosdem disputandi argumenta suppeditarent; Ern.

2. *Pro portione*, pro magnitudine commodi; ut nos dicimus: *nach Proportion, nach Verhältniss*. Confer VII, 1; XXXIV, 50.

3. *Labor*, molestia, *voluptasque*, *dissimillima natura*, etc. ut Plato in Phædone dicit cap. 3: τοῦτο ὃ καλοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἡδὺ, ἐναντίον εἶναι τῷ λυπηρῷ· ἐὰν δέ τις διώκῃ τὸ ἕτερον καὶ λαμβάνῃ, σχεδόν τι ἀναγκάζεσθαι ἀεὶ λαμβάνειν καὶ τὸ ἕτερον, ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἡμμένω δύ' ὄντε, etc. — *Quærere*, sibi parare. Ter. Adelph. V, 4, 15, *contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam*; idem Heaut. I, 1, 87, *laborans, quærens, parcens, illi serviens*. Horat. Epist. I, 7, 57, *quærere et uti*. Ed.

« se ac suos tueri posset. Gaudet nunc, fructui sibi « rempublicam esse, et lætus stipendium accipit; æquo « igitur animo patiatur, se ab domo, ab re familiari, « cui gravis impensa non est, paulo diutius abesse. « An, si ad calculos eum respublica vocet[4], non me- « rito dicat: annua æra habes, annuam operam ede? « An tu æquum censes, militia semestri solidum te sti- « pendium[5] accipere? Invitus in hac parte orationis, « Quirites, moror: sic enim agere debent, qui mer- « cenario milite utuntur: at nos tanquam cum civibus « agere volumus: agique tanquam cum patria nobis- « cum, æquum censemus. Aut non suscipi bellum opor- « tuit; aut geri pro dignitate populi romani, et per- « fici, quam primum oportet. Perficietur autem, si « urgemus obsessos: si non ante abscedimus, quam « spei nostræ finem captis Veiis imposuerimus. Si, « hercules, nulla alia causa, ipsa indignitas perseve- « rantiam imponere debuit. Decem quondam annos « urbs oppugnata est, ob unam mulierem, ab universa « Græcia: quam procul ab domo? quot terras, quot « maria distans? Nos intra vicesimum lapidem[6], in « conspectu prope urbis nostræ, annuam oppugnatio- « nem perferre piget. Scilicet, quia levis causa belli « est, quod nos ad perseverandum stimulet: septies « rebellarunt; in pace nunquam fidi fuerunt: agros

4. *Si ad calculos eum res publica vocet*, ad subducendas quasi rationes accepti et expensi, vel ad rationem reddendam, quantum et a republica acceperit, et ei inde præstare debeat: *calculi* enim lapilli erant, quibus utebantur Romani in rationibus, seu computatione. *Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum*, Cic. Læl. XVI. Confer et Juvenal. IX, 40 seq. — *Annuam operam ede*, confer III, 63, n. 1.

5. *Solidum stipendium*, totius anni, annuum; cui nihil detractum sit.

6. *Intra vicesimum lapidem*, vide ad III, 69, n. 9. *Duodecimum lap.* conj. Cluver. Ital. ant. II, 3; p. 530. — *Scilicet*, vide ad IV, 5, n. 2. — *Septies rebellarunt*, vide ad IV, 32, n. 1. — *In pace nunquam fidi fuerunt:* al. *fida*, prob. Drak. « Non inelegans

« nostros millies depopulati sunt : Fidenates deficere « a nobis coegerunt, colonos nostros ibi interfecerunt : « auctores fuere contra jus gentium cædis impiæ le- « gatorum nostrorum : Etruriam omnem adversus nos « concitare voluerunt, hodieque id moliuntur : res re- « petentes legatos nostros, haud procul abfuit, quin « violarent.

V. « Cum his molliter et per dilationes bellum geri « oportet? Si nos tam justum odium nihil movet, ne « illa quidem, oro vos, movent? Operibus ingentibus « septa urbs est, quibus intra muros coercetur hostis; « agrum non coluit, et culta evastata sunt bello. Si « reducimus exercitum, quis est, qui dubitet, illos, « non a cupiditate [1] solum ulciscendi, sed etiam ne- « cessitate imposita ex alieno prædandi, quum sua « amiserint, agrum nostrum invasuros? non differi- « mus igitur bellum isto consilio, sed intra fines no- « stros accipimus. Quid? illud, quod proprie ad mi- « lites pertinet, quibus boni tribuni plebis [2] quum « stipendium extorquere voluerint, nunc consultum « repente volunt, quale est? Vallum fossamque, in- « gentis utramque rem operis, per tantum spatii duxe-

lectio *fida : fidam pacem* non semel dixit Livius; sed ita, ut ipsa pax ita dicatur, non, ut *homines in pace fida esse* dicantur. Itaque *fidi servandum* »; Bauer.

Cap. V. 1. *A cupiditate*, vide ad I, 1, n. 5. — *Non differimus igitur bellum isto consilio, sed intra fines nostros accipimus :* in eumdem sensum vide Sulpicii consulis orationem infra lib. XXXI, c. 7 : *ignorare videmini mihi, non utrum*, etc. Ed.

2. *Boni tribuni plebis* εἰρωνικῶς, ut XXI, 10, n. 6; et al. vide ad Sil. II, 240. — *Castella* parva quædam castra, vel munimenta in circumvallatione (*Schanzen*, ut XXXVIII, 4; vide Cæs. B. G. VII, 69, ibique Intpp., et Guischardi *Mémoires milit.* tom. 4, p. 137); et deinde loca munita et edita, viculi montani, ut XXI, 33 pr. et *castella vicique* Samnitium IX, 38 pr. (unde *castellani*, qui in iis habitant, XXXIV, 27; XXXVIII, 45; et *hostes circa collem castellatim dissipati* VII, 36, n. 4, h. e. per castella, ut *vicatim* IX, 13; et X, 4 pr. κωμηδὸν, vel κατὰ κώμας). Confer ad II, 16, n. 3; XXV, 22, n. 6; et ad Tac. Ann. XII, 38, n. 4.

« runt: castella primo pauca, postea, exercitu aucto, « creberrima fecerunt: munitiones non in urbem mo- « do, sed in Etruriam etiam spectantes, si qua inde « auxilia veniant, opposuere. Quid turres[3], quid vineas « testudinesque et alium oppugnandarum urbium ap- « paratum loquar? Quum tantum laboris exhaustum « sit, et ad finem jam operis tandem perventum; re- « linquendane hæc censetis, ut ad æstatem rursus no- « vus de integro his instituendis exsudetur[4] labor? « Quanto est minus opera tueri facta, et instare, et « perseverare, defungique cura? Brevis enim profecto « res est, si uno tenore[5] peragitur; nec ipsi per inter- « missiones has intervallaque lentiorem spem nostram « facimus; loquor de opere et de temporis jactura. « Quid? periculi, quod differendo bello adimus, num « oblivisci nos hæc tam crebra Etruriæ concilia de mit- « tendis Veios auxiliis patiuntur? Ut nunc res se ha-

3. *Quid turres loquar* ligneas, plerumque rotis impositas et hinc *mobiles*, pluribusque *tabulatis* constructas. Confer Lips. Poliorc. II, 4; et infra XXI, 8, n. 11; XXIV, 34; XXXII, 17; XXXIII, 17; vide Veget. IV, 17; et Lips. Poliorc. II, 4. — *Vineæ*, vide Veget. IV, 15; et Lips. l. l. I, 7. — *Testudines* erant varii generis, vel aggestitiæ, ad congestionem fossarum et æquandi loci causa factæ, χελῶναι χώστριδες (vide Vitruv. X, 20; Lips. Poliorc. I, 8; et Schweigh. ad Polyb. IX, 41, n. 1), vel fossariæ, ὄρυγες, parum diversæ (vide Lips. l. l.), vel arietariæ, ut hoc loco et XXXVII, 26 al., machinæ ligneæ, tabulis contextæ et coriis, seu centonibus obductæ, in quibus suspendebatur aries, qua milites, iis tecti, murum subruere conabantur (vide Vitruv. X, 19; et Lips. l. l. III, 1); vel φάλαγγες, seu συνασπισμοὶ, junctis corporibus armisque, et scutis, sive lateribus applicatis, sive super capita elatis, ut contra telorum defenderentur ictum; quæ triplices erant, et adhibebantur in pugnando (ut X, 29; et XXVIII, 2; ubi vide not. 4), in repugnando, et oppugnando (vide Lips. loco laudato I, 5). Posteriores sæpe erant fastigatæ et imbricatæ, de quibus vide infra XXXIV, 39; inpr. XLIV, 9 (ubi confer not. 5 et 7); Lips. loco laudato, et Vales. ad Ammian. XVI, 12, p. 146.

4. *Exsudetur labor,* vide ad IV, 13, n. 2.

5. *Si uno tenore peragitur*, h. e. sine *intermissione et intervallis, spatio non interposito:* quæ omnia mox opponuntur. Confer VII, 40; XXII, 15, 37, 47; XXIII, 49; XXX, 18; XLI, 15 (ubi *tenor* et *continuatio* synon. junguntur); XLIV, 13.

« bet, irati sunt, oderunt, negant missuros: quantum « in illis est, capere Veios licet: quis est, qui spon- « deat, eumdem, si differtur bellum, animum postea « fore? quum, si laxamentum dederis[6], major frequen- « tiorque legatio itura sit: quum id, quod nunc of- « fendit Etruscos, rex creatus Veiis, spatio interposito « mutari possit, vel consensu civitatis, ut eo reconci- « lient Etruriæ animos, vel ipsius voluntate regis, qui « obstare regnum suum saluti civium nolit. Videte, « quot res, quam inutiles[7], sequantur illam viam con- « silii: jactura operum tanto labore factorum: vasta- « tio imminens finium nostrorum: etruscum bellum « pro veiente concitatum. Hæc sunt, tribuni, consilia « vestra, non, hercule, dissimilia, ac si quis ægro, « qui, curari se fortiter passus, extemplo convalescere « possit, cibi gratia præsentis aut potionis longinquum « et forsitan insanabilem morbum efficiat.

VI. « Si, me dius Fidius[1], ad hoc bellum nihil per- « tineret, ad disciplinam certe militiæ plurimum in- « tererat, insuescere militem nostrum, non solum pa- « rata victoria frui, sed, si res etiam lentior sit, pati « tædium, et quamvis seræ[2] spei exitum exspectare; « et, si non sit æstate perfectum bellum, hiemem op- « periri; nec, sicut æstivas aves, statim autumno tecta

6. *Si laxamentum dederis*, vide ad II, 24, n. 4.

7. *Videte, quot res, quam inutiles*, vide ad III, 33, n. 5. Baueri nota est: « *Res* ab epitheto suo divulsum, quasi per hendiadyn, pro *quot res inutiles*, vel *quam inutiles*. Græcismus est πολλὰ καὶ δεινὰ, πολλὰ καὶ οὐκ ἀνεκτὰ, etc. quæ illustrat Abresch dilucid. Thucyd. p. 358, 836, scilicet ne duo adjectiva in unum nomen concurrerent, *quam multæ inutiles res*. Nam et *multitudo* rerum inutilium separatim erat commemoranda. » *Viam consilii*, vide ad IV, 48, n. 2.

Cap. VI. 1. *Me dius Fidius*, vide ad II, 31, n. 5. — *Intererat* pro *interesset*: nam præcessit *si pertineret*; Bauer. — *Parata victoria*: male vulg. *parta*, solenni confusione. Conf. Drak. et nos ad Tacit. Ann. XVI, 2, n. 2. *Parata*, facili, quæ quasi in manibus ac præsto est; Drak.

2. *Quamvis seræ* (serum) *spei exitum*, v. I, 1, n. 6 et I, 4, n. 6. *Lenta spes* proprie dicitur; Bauer. — *Æstivæ aves*,

« ac recessum circumspicere. Obsecro vos, venandi « studium ac voluptas homines per nives ac pruinas « in montes silvasque rapit; belli necessitatibus eam « patientiam non adhibebimus, quam vel lusus ac vo- « luptas elicere solet? Adeone effeminata corpora mi- « litum nostrorum esse putamus, adeo molles animos, « ut hiemem unam durare in castris, abesse ab domo « non possint? ut, tanquam navale bellum, tempe- « statibus captandis [3] et observando tempore anni, « gerant, non æstus, non frigora pati possint? Erube- « scant profecto, si quis eis hæc objiciat; contendant- « que, et animis et corporibus suis virilem patientiam « inesse, et se juxta hieme atque æstate bella gerere « posse: nec se patrocinium mollitiæ inertiæque man- « dasse tribunis, et meminisse, hanc ipsam potestatem « non in umbra nec in tectis [4] majores suos creasse. « Hæc virtute militum vestrorum, hæc romano no- « mine sunt digna, non Veios tantum, nec hoc bellum « intueri, quod instat [5]; sed famam et ad alia bella et « ad cæteros populos in posterum quærere. An me-

quæ æstate tantum conspiciuntur et apud nos manent, *autumno* autem, vel se abscondunt, vel in alias avolant plagas. Venusta comparatio!

3. *Tempestatibus captandis*, etc.; vide ad III, 9, n. 4; et III, 39, n. 6. — *Juxta*, perinde, æque, pariter, *hieme*, *atque*, ac, seu quam, *æstate;* ut passim, v. c. *juxta atque ipsam cladem* XXV, 12, n. 6; *nocte dieque juxta*, nocte pariter ac die, tam nocte quam die, XXIV, 37, n. 4; *juxta insontes*, non minus, æque idem, XXIV, 5, n. 8; *juxta obsidentes obsessosque* IX, 13; *per dubios infestosque populos juxta* XXIII, 28 pr.; *rem parvam ac juxta* (similiter) *magnis difficilem* XXIV, 19; ut *illis juxta* apud Lucret. I, 846. *Juxta* et *prope* tam dativo quam accusat. jungi monet Priscian. XVIII, p. 1172.

4. *Hanc ipsam potestatem* tribunitiam *non in umbra, nec in tectis,* sed sub dio, in monte et castris, creatam; vide supra II, 32, n. 33.

5. *Nec hoc bellum intueri, quod instat,* quod geritur, nos occupat: nam quidquid initium cepit et adhuc durat, id *instare* dicitur, ut *bellum* et *hiems* præsens, seu urgens, XXVIII, 38; XXXI, 43; XXXVI, 10; nisi malis cum Dukero *obstare;* Ern. Sed vide ad III, 6, n. 5; et XXXVI, 10, n. 6. Sic et Gr. ἐνστῆναι. — *Sed famam et ad* (ob) *alia bella quærere;* confer verba Marcelli XXIV, 19.

« diocre discrimen opinionis[6] sequuturum ex hac re « putatis; utrum tandem finitimi populum romanum « eum esse putent, cujus si qua urbs primum illum bre- « vissimi temporis sustinuerit impetum, nihil deinde « timeat? an hic sit terror nominis nostri, ut exerci- « tum romanum non tædium longinquæ oppugnatio- « nis, non vis hiemis ab urbe circumsessa semel amo- « vere possit, nec finem ullum alium belli, quam « victoriam, noverit; nec impetu potius bella, quam « perseverantia, gerat? Quæ in omni quidem genere « militiæ, maxime tamen in obsidendis urbibus, ne- « cessaria est; quarum plerasque, munitionibus ac « naturali situ inexpugnabiles, fame sitique tempus « ipsum vincit atque expugnat: sicut Veios expugna- « bit; nisi auxilio hostibus tribuni plebis fuerint, et « Romæ invenerint præsidia Veientes, quæ nequid- « quam in Etruria quærunt. An est quidquam, quod « Veientibus optatum æque contingere possit, quam « ut seditionibus primum urbs romana, deinde velut « ex contagione castra impleantur? At, hercule, apud « hostes tanta modestia est[7], ut non obsidionis tædio, « non denique regni, quidquam apud eos novatum « sit; non negata auxilia ab Etruscis irritaverint ani-

6. *Mediocre discrimen opinionis*, diversitatem opinionis et exiguam et parum curandam, vel levioris momenti. — *Utrum tandem*, v. ad III, 68, n. 1.

7. *Apud hostes tanta modestia est*, εὐταξία et εὐκαιρία (vide omnino Cic. Off. I, 40, ibique Græv.) simulque quies et moderatio animi ac iræ; unde *modestum* opponit *seditioso* Cic. Agr. II, 31, ut fere Livius XLII, 23, *modestius dare* et *libidinis arbitrium*. — *Non denique quidquam apud eos novatum sit*, vide ad I, 51, n. 1. Vocem *denique* post tertium *non* ponendum putabat Ern. Scriptores latinos Creverius notat etiam in ea enumeratione quæ duo tantum habeat membra, præfigere sæpius alteri particulam *denique*. Sic initio statim celebris illius epistolæ Ciceronis ad Q. Fratrem: *multi nuntii, fama denique.... ipsa*: id est, fama etiam ipsa. Pariter in hoc Livii loco *non denique regni* erit, non ipsius quoque regni. Ed. — *Apud vos*, forte leg. *nos;* Bauer. — *Non negata auxilia ab Etruscis irritaverint animos*. Habent quidam codices, *non negata consilia*: nostrum melius. Ed.

« mos; morietur enim extemplo, quicumque erit se« ditionis auctor; nec cuiquam dicere ea licebit, quæ « apud vos impune dicuntur. Fustuarium meretur [8], « qui signa relinquit, aut præsidio decedit. Auctores « signa relinquendi et deserendi castra, non uni aut « alteri militi, sed universis exercitibus, palam in con« cione audiuntur; adeo, quidquid tribunus plebi lo« quitur, etsi prodendæ patriæ dissolvendæque rei« publicæ est, assuestis æqui [9] audire; et, dulcedine « potestatis ejus capti, quælibet sub ea scelera latere « sinitis. Reliquum est, ut, quæ hic vociferantur, ea« dem in castris et apud milites agant, et exercitus cor« rumpant, ducibusque parere non patiantur: quoniam « ea demum Romæ libertas est, non senatum, non « magistratus, non leges, non mores majorum, non « instituta patrum, non disciplinam vereri militiæ. »

VII. Par jam etiam in concionibus erat Appius tribunis plebis; quum subito, unde minime quis crederet [1], accepta calamitas apud Veios et superiorem Appium in causa, et concordiam ordinum majorem ardoremque ad obsidendos pertinacius Veios fecit. Nam quum agger promotus ad urbem vineæque tantum

8. *Fustuarium meretur*, scilicet supplicium (ξυλοκοπίαν) quod fuit gravissimum, et urbanum quoque, sed inprimis militare. Miles damnatus et a tribuno fuste tactus, fustibus et saxis a commilitonibus peti, et sic plerumque necari solebat. Ab hac pœna capitali diversa erat castigatio, quæ fustibus fiebat: hæc vero gravior, quam quæ vitibus; quibus milites ob leviora delicta cædi solebant a centurionibus, de quo vide ad Sil. VI, 43; et Tac. Ann. I, 23, n. 3. Confer supra ad I, 26, 6; ad Epit. Liv. LVII, n. 4; Polyb. VI, 37; Lips. Mil. Rom. V, 18; Inttpp. Velleii II, 78; Cort. ad Plin. Ep. II, 11, n. 8.

9. *Adeo... adsuestis æqui*, faventes, *audire, etsi prodendæ patriæ ... est*, vide ad III, 24, n. 1; et ad Præf. n. 15; ad Sil. III, 2.

Cap. VII. 1. *Unde minime quis crederet*, per quod fieri posse, futurum m. aliquis crederet; Bauer. — Legendum censet Creverius: *quod minime quis crederet:* sicut et infra, lib. XXII, cap. 24. *Ipse autem, quod minime quis crederet, quum hostis propius esset...* quæ lectio nullius confirmatur MS auctoritate. Ed. — *Agger promotus ad*

non jam injunctæ mœnibus essent, dum opera interdiu fiunt intentius, quam nocte custodiuntur; patefacta repente porta, ingens multitudo, facibus maxime armata, ignes conjecit; horæque momento simul aggerem ac vineas, tam longi temporis opus, incendium hausit; multique ibi mortales, nequidquam opem ferentes, ferro ignique absumpti sunt. Quod ubi Romam est nuntiatum, mœstitiam omnibus, senatui curam metumque injecit, ne tum vero sustineri nec in urbe seditio, nec in castris posset, et tribuni plebis velut ab se victæ reipublicæ insultarent: quum repente, quibus census equester erat [2], equi publici non erant assignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt. Quibus quum amplissimis verbis gratiæ ab senatu actæ essent, famaque ea forum atque urbem pervasisset, subito ad curiam concursus fit plebis. *Pedestris ordinis* [3] *se*, aiunt, *nunc esse*, *operamque reipublicæ extra ordinem polliceri*, *seu Veios*, *seu quo alio ducere velint: si Veios ducti sint*, negant, *se inde prius*, *quam capta urbe hostium*, *redituros esse*. Tum vero jam superfundenti se lætitiæ vix temperatum est; non enim, sicut equites, dato magistratibus negotio,

urbem : ex terra lignisque confectus, cui inponebatur turris rotata. De turribus et *vineis* vide ad cap. 5, n. 3. — *Tam longi temporis opus*, h. e. opera, quibus conficiendis tantum temporis erat insumptum.

2. *Quibus census equester erat*, at, vel sed *equi publici*, etc. Alterutrum excidisse videtur, vel *et*.

3. *Pedestris ordinis*, exercitus, militiæ, *se nunc esse;* h. e. sicut equites sese obtulerint ad militiam extraordinariam, ut equestrem in bello aciem ordinemque augeant; ita plebeios nunc, quum equitum alacritatem istam viderint, velle pedites esse, pedestrique extra ordinem militia fungi, quum adhuc Quirites, vacui, otiosi nulloque in acie ac bello fuerint loco; nunc velle pro peditibus haberi et scribi; Bauer. Ita non est, quod cum Doer. pro *esse* legas *adesse*, vel cum Cupero et Stroth. *pedestris ordinis* (suum, ipsorum, qui pedites essent) *nunc esse*, *operam reip.*, etc., sicut equites suo ordine polliciti essent. *Pedestris ordinis* homines insolenter ii, qui *pedestria* h. e. pedibus *stipendia faciunt*

laudari jussi; neque aut in curiam vocati, quibus responsum daretur, aut limine curiæ continebatur senatus: sed pro se quisque ex superiore loco ad multitudinem, in comitio stantem[4], voce manibusque significare publicam lætitiam. Beatam urbem romanam et invictam et æternam illa concordia dicere: laudare equites, laudare plebem, diem ipsum laudibus ferre: victam esse fateri comitatem benignitatemque senatus. Certatim Patribus plebique manare gaudio lacrymæ; donec, revocatis in curiam Patribus, senatusconsultum factum est, *Ut tribuni militares, concione advocata, peditibus equitibusque gratias agerent: memorem pietatis eorum erga patriam dicerent senatum fore; placere autem, omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere*[5]; et equiti certus numerus æris est assignatus. Tum primum equis[6] merere equites cœperunt. Voluntarius ductus exercitus Veios non amissa modo restituit opera, sed nova etiam

(VII, 13, n. 1) dicuntur respectu *equestris ordinis*, vel equitum, quibus opponuntur.

4. *In comitio stantem*, vide ad I, 36, n. 6. — *Laudibus ferre*, efferre. *Gaudio*, præ gaudio.

5. *Omnibus ... æra procedere*, ut XXV, 5; et XXVII, 11; id est, jam ex illo die, quo professi militiam essent, deberi, et inde computato tempore solvi: ut *usuræ* dicuntur *procedere*, Germ. *angehen*, ex die syngraphæ, vel elocatæ pecuniæ; Bauer. Confer ad V, 48, n. 5. — *Certus numerus æris* publici, quod mererent; seu stipendii. *Æs* ad annos militiæ referebat Drak.

6. *Tum primum equis*, scilicet tam publicis quam privatis, *merere*, accipere stipendium, *equites cœperunt*; Gron. Publice non equis modo alimenta, sed sibi quoque stipendia publice accipere; Bauer. Alii non male suspicantur, post *equis* excidisse *suis*. Confer Epit. hujus libri, et supra verba Livii: *equis se suis stipendia facturos promittunt*. Equites antea equum quidem habuerant publicum, sed eo gratis militaverant: nunc suis quidem equis merent stipendia, seu militant, sed stipendium quoque accipiunt, ut jam ante pedites. Si sensus h. l. est, equites tum primum stipendio accepto militasse, non opus erat voc. *equis* adjici. An hæc delenda est, quoniam certe non constat, equites etiam postea *equis suis* meruisse, quod *tum primum* factum dicitur? Confer Gron. de pec. vet. III, 2, p. 124; et Duk. ad h. l.; Lips. mil. Rom. I, 5; Schel. ad Polyb. diss. 4; Sigon. de ant. jur. civ. II, 2; et Græv. Proleg. ad T. I, Antt. Rom.

instituit; ab urbe commeatus intentiore, quam antea, subvehi cura; ne quid tam bene merito exercitui ad usum deesset.

VIII. Insequens annus tribunos militum consulari potestate habuit C. Servilium Ahalam tertium, Q. Servilium, L. Virginium, Q. Sulpicium, A. Manlium iterum, M'. Sergium iterum; his tribunis, dum cura omnium in veiens bellum intenta est, neglectum Anxuri præsidium vacationibus militum[1] et volscos mercatores vulgo receptando, proditis repente portarum custodibus, oppressum est: minus militum periit, quia præter ægros lixarum in modum omnes per agros vicinasque urbes negotiabantur. Nec Veiis melius gesta res[2], quod tum caput omnium curarum publicarum erat; nam et duces romani plus inter se irarum, quam adversus hostes animi, habuerunt: et auctum est bellum adventu repentino Capenatium atque Faliscorum. Hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, devictis Veiis, bello quoque romano se proximos fore credentes, Falisci propria etiam causa infesti, quod fidenati bello se jam antea immiscuerant, per legatos ultro citroque missos jurejurando inter se obligati, cum exercitibus nec opinato ad Veios accessere. Forte

Cap. VIII. 1. *Neglectum Anxuri* (vide supra IV, 59) *præsidium vacationibus militum*, commeatu multis dato, et his militia inde vacantibus (vide ad I, 57, n. 2; IV, 26, n. 6), *et Volscos mercatores vulgo*, passim et ubivis (ut XXVI, 27, n. 5), vel potius promiscue, sine discrimine, fidine essent ac probi homines, vel amici an proditores (ut VI, 41, n. 8; *vulgo* est communiter, promiscue tam ex Patribus quam ex plebe) *receptando, proditis*, in manus hostium, Volscorum, traditis, *repente*, præter opinionem, *portarum custodibus, oppressum est.* Confer tamen ad IV, 35, n. 1. Alii emend. *peremptis repente*, etc.; vel *oppressis repente ... proditum est.* — *Minus militum periit : perit* Florent. Voss. uterque, Leid. uterque, Lovel. 1, 2, 3, et Gaertn. Ita interdum peccatur in libris manu exaratis. Vide celeberr. Burm. ad Suet. Aug. c. 10. — *Lixarum in modum*, qui scilicet exercitus sequuntur, ut vendendis cibis prædaque emenda quæstum faciant.

2. *Nec Veiis melius gesta res*, vide ad III, 23, n. 2.

ea regione[3], qua M'. Sergius tribunus militum præerat, castra adorti sunt, ingentemque terrorem intulere; quia Etruriam omnem excitam sedibus magna mole adesse Romani crediderant : eadem opinio Veientes in urbe concitavit. Ita ancipiti prælio castra romana oppugnabantur; concursantesque, quum huc atque illuc signa transferrent, nec Veientem satis cohibere intra munitiones, nec suis munimentis arcere vim, ac tueri se ab exteriore poterant hoste : una spes erat, si ex majoribus castris subveniretur; ut diversæ legiones, aliæ adversus Capenatem ac Faliscum, aliæ contra eruptionem oppidanorum, pugnarent. Sed castris præerat Virginius, privatim Sergio invisus[4] infestusque : is, quum pleraque castella oppugnata, superatas munitiones, utrimque invehi hostem nuntiaretur, in armis milites tenuit : si opus foret auxilio, collegam dictitans ad se missurum. Hujus arrogantiam pertinacia alterius æquabat, qui, ne quam opem ab inimico videretur petisse[5], vinci ab hoste, quam vincere per civem, maluit. Diu in medio cæsi milites[6]; postremo, desertis munitionibus, perpauci in majora castra, pars maxima atque ipse Sergius Romam pertenderunt : ubi quum omnem culpam in collegam inclinaret, acciri Virginium ex castris, interea præesse legatos placuit. Acta deinde in senatu res est, certatumque inter collegas maledictis : pauci reipublicæ[7],

3. *Forte ea regione*, parte castrorum, *qua Sergius præerat*, scilicet exercitui, ut XXV, 16, n. 4; et XXXIV, 40 f. — *Ita ancipiti prælio*; vide ad I, 25, n. 4.

4. *Privatim Sergio invisus*, vide ad IV, 53, n. 3. — *Pleraque castella oppugnata*, vide supra ad cap. V, n. 2. — *Superatas munitiones*, transcensas, ut XXXVIII, 5, n. 3.

5. *Ne quam opem ab inimico videretur petisse*, etc.; confer similia de Pæto apud Tac. Ann. XV, 10 seq.

6. *Diu in medio cæsi milites*, pugnantes adversus hostem tam interiorem, Veientes, quam exteriorem, Capenates et Faliscos.

7. *Pauci reipublicæ*, ab utroque proditæ, *adsunt*, ejus causam agunt (vide ad III, 14, n. 6), et respectu

huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverunt, adsunt.

IX. Primores Patrum, sive culpa, sive infelicitate imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset, censuere [1], *Non exspectandum justum tempus comitiorum, sed extemplo novos tribunos militum creandos esse, qui Kalendis octobribus magistratum occiperent.* In quam sententiam quum pedibus iretur [2], ceteri tribuni militum nihil contradicere. At enimvero Sergius Virginiusque, propter quos pœnitere magistratuum ejus anni senatum apparebat, primo deprecari ignominiam, deinde intercedere senatusconsulto : negare, se ante Idus decembres, solennem ineundis magistratibus diem, honore abituros esse. Inter hæc tribuni plebis, quum in concordia hominum secundisque rebus civitatis inviti silentium tenuissent, feroces repente minari tribunis militum, nisi in auctoritate senatus essent [3], se in vincula eos duci jussuros esse. Tum C. Servilius Ahala tribunus militum : « Quod ad « vos attinet, tribuni plebis, minasque vestras, næ « ego libenter experirer, quum non plus in his juris,

salutis publicæ utrumque damnandum censent; sed plurimi, vel hunc, vel illum, vel Sergium, vel Virginium, defendunt, prouti *quosque studium aut gratia privata occupaverunt*, ceperunt, vel eorum animos præoccupaverunt. Similiter XLV, 19, n. 7, *ad occupatas jam aures sollicitatumque jam animum* Attali, h. e. ad Attalum, cujus aures animumque jam quidam Romanorum præoccupaverant.

Cap. IX. 1. *Sive culpa, sive infelicitate* (fortuna adversa), etc. quum alii hac, alii illa re cladem accidisse contenderent, Patres, non dijudicantes, utra causa verior esset, *censuere*; Drak. Confer ad IV, 56, n. 2.

2. *In quam sententiam quum pedibus iretur,* vide ad I, 32, n. 13. — *In concordia hominum*, senatorum et quorumdam trib. mil., aut tantum Sergii et Virginii, quibus aderant, ut quosque studium privatim, vel gratia occupaverunt; Drak.

3. *Nisi in auctoritate senatus essent*, v. ad II, 56, n. 16. — *Næ*, profecto, *ego libenter experirer*, periculum facerem (*ich mögte es wohl auf die Probe ankommen lassen*), *quam non plus in his* minis vestris *juris* talia minandi et æquitatis, *quam in vobis animi esset*, aut audaciæ faciendi quod minamini. Sed in quibusdam libris rectius, opinor, legitur : *quam non plus in his*

« quam in vobis animi, esset. Sed nefas est tendere « adversus auctoritatem senatus. Proinde et vos desi- « nite inter nostra certamina locum injuriæ quærere : « et collegæ aut facient, quod censet senatus, aut, si « pertinacius tendent, dictatorem extemplo dicam, qui « eos abire magistratu cogat. » Quum omnium assensu comprobata oratio esset, gauderentque Patres, sine tribunitiæ potestatis terriculis inventam esse aliam vim majorem [4] ad coercendos magistratus; victi consensu omnium comitia tribunorum militum habuere, qui Kalendis octobribus magistratum occiperent : seque ante eam diem magistratu abdicavere.

X. L. Valerio Potito quartum, M. Furio Camillo iterum [1], M'. Æmilio Mamercino tertium, Cn. Cornelio Cosso iterum, K. Fabio Ambusto, L. Julio Julo, tribunis militum consulari potestate, multa domi militiæque gesta; nam et bellum multiplex fuit eodem tempore, ad Veios, et ad Capenam, et ad Falerios, et in Volscis, ut Anxur ab hostibus recuperaretur : et Romæ simul delectu, simul tributo conferendo, laboratum est : et de tribunis plebei cooptandis contentio fuit : et haud parvum motum duo judicia [2] eorum, qui paulo ante consulari potestate fuerant, excivere. Omnium primum tribunis militum fuit, delectum haberi; nec juniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti

minis *juris*, potestatis et vis, *quam in nobis animi esset* ad eas spernendas et vi arcendas, vel ad tuenda jura nostra.

4. *Aliam vim majorem*, dictaturam. Mox post, vel ante *victi* excidisse *hi*, suspicatur Scheller.

Cap. X. 1. *M. Furio Camillo iterum* multi libri. Confer ad cap. 1, n. 1. Hanc vocem *iterum* Sigonius perperam expunxit. Quamvis enim non ex rei veritate, at certe ex Livii sententia, Camillus tribunatum militum gessit cum septem collegis anno ante hunc tertio. Vide Perizon. anim. hist. cap. 2. Ed. — *Tributo laboratum est*, vide ad III, 31, n. 1, ut in Præfat. *quæ ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua ;* et lib. XXXIV, c. 4. Ed. *De tribunis pl. cooptandis*, vide ad III, 64, n. 5.

2. *Duo judicia* de Sergio et Virginio habenda, vel causæ eorum. — *Ju-*

nomina dare, ut Urbis custodiam agerent. Quantum autem augebatur militum numerus, tanto majore pecunia in stipendium opus erat: eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus, qui domi remanebant, quia tuentibus Urbem opera quoque militari laborandum serviendumque reipublicæ erat. Hæc per se gravia, indigniora ut viderentur, tribuni plebis seditiosis concionibus faciebant, *ideo æra militibus constituta esse*, arguendo, *ut plebis partem militia, partem tributo conficerent: unum bellum annum jam tertium trahi*[3], *et consulto male geri, ut diutius gerant: in quatuor deinde bella uno delectu exercitus scriptos, et pueros quoque ac senes extractos*[4]. *Jam non æstatis nec hyemis discrimen esse, ne ulla quies umquam miseræ plebi sit: quæ nunc etiam vectigalis*[5] *ad ultimum facta sit; ut, quum confecta labore, vulneribus, postremo ætate corpora retulerint, incultaque omnia diutino dominorum desiderio*[6] *domi invenerint, tributum ex affecta*

niores, vide ad I, 43, n. 2. — *Nomina dare*, vide ad I, 11, n. 3.

3. *Unum bellum annum jam tertium trahi*, propr. *quintum* (et ita emend. Glareanus), sed *tertium*, quo primum hibernacula facta, quod plebs indignissime tulit; Sigon.

4. *Pueros quoque ac senes extractos* ex ædibus quasi, in quibus latuerint, et ex urbe in castra, vel invitos protractos et compulsos ad militiam, ut supra: *coacti nomina dare*.

5. *Vectigalis* homo, seu populus, qui pro ratione census annuaque frugum copia aut inopia decumas aliave vectigalia dat, vel tributum pendit: at *stipendiarius*, vel *tributarius*, qui, nulla illarum rerum ratione habita certam quotannis pecuniæ summam solvit loco tributi. Hinc et VIII, 8, n. 1, *postquam stipendiarii facti sunt* Romani, h. e. stipendium solverunt scilicet e publico, seu ærario, non, stipendia meruere, sed accepere, etsi sensus eodem redit. Cf. IV, 59 extr.; Duker. ad Flor. III, 20, n. 8 (ubi Spartacus dicitur *stipendiarius Thrax*, hoc est, oriundus e Thracia, provincia stipendiaria) et Inttpp. Veget. de re mil. I, 18; ubi non leg. *stipendiariis*, sed *stipendiosis militibus*, h. e. qui plura jam stipendia meruere; unde *tironibus* opponuntur. Confer ad Tac. Ann. I, 11, 8; et Ern. clav. Cic.

6. *Diutino dominorum desiderio* venuste pro longa absentia, in qua desiderantur a suis. — *Affectæ* vires, seu res dicuntur debilitatæ, imminutæ, afflictæ. Hinc *affectus* XXVIII, 26, æger, vel imbecillus e gravi morbo, et *affectum corpus* XXII, 8, n. 3; *valido* opponitur. Similiter *omnibus notis*

re familiari pendant, æraque militaria, velut fenere accepta, multiplicia reipublicæ reddant. Inter delectum tributumque, et occupatos animos majorum rerum curis, comitiis tribunorum plebis numerus expleri nequiit. Pugnatum inde, in loca vacua ut patricii cooptarentur; postquam obtineri non poterat, tamen labefactandæ legis Treboniæ[7] causa effectum est, ut cooptarentur tribuni plebis C. Lacerius et M. Acutius, haud dubie patriciorum opibus.

XI. Fors ita tulit, ut eo anno tribunus plebis Cn. Trebonius esset, qui nomini ac familiæ debitum præstare videretur Treboniæ legis patrocinium. Is, *quod petissent Patres quidam, primo incœpto repulsi, tamen tribunos militum expugnasse,* vociferans, *legem Treboniam sublatam, et cooptatos tribunos plebis non suffragiis populi, sed imperio patriciorum; et eo revolvi*[1] *rem, ut aut patricii, aut patriciorum asseclæ habendi tribuni plebis sint: eripi sacratas leges, extorqueri tribunitiam potestatem : id fraude patriciorum, scelere ac proditione collegarum factum* arguere. Quum arderent invidia[2], non Patres modo, sed etiam tribuni plebis, cooptati pariter, et qui cooptaverant; tum ex collegio tres, P. Curiatius, M. Metilius, et M. Minucius, trepidi rerum suarum[3], in Sergium Vir-

ignominiisque confecti XXII, 61, n. 7; et *vigiliæ conficiebant* Pænos XXII, 2. — *Velut fenere,* ut cum fenere, seu usura reddantur.

7. *Legis Treboniæ,* v. sup. III, 65.

Cap. XI. 1. *Eo revolvi,* redire, redigi *rem, ut,* etc. quemadmodum ante latam legem Treboniam factum sit. — *Sacratas leges,* vide ad II, 8, n. 3.

2. *Quum arderent invidia,* in magno essent odio, ut *invidiæ incendio conflagrare* apud Cic. Catil. II, 11; et *invidiæ flamma* infra XLIII, 16. Confer ad I, 42, n. 2. — Vel *ardet invidia,* inquit Drak., qui vehementer invidet : ita *ira ardere* dicitur, qui vehementer irascitur, lib. XXXVIII, cap. XXV; *ardere cupiditate,* qui vehementer cupit, apud Flor. lib. III, cap. XI; vel etiam *ardet invidia,* cui multum invidetur, quæ hujus loci sententia est. Ed. — *P. Curiatius,* al. *Curatius.*

3. *Trepidi* (anxii) *rerum suarum,* ut XXXVI, 31. Græce pro de rebus, seu propter res suas earumque statum;

giniumque, prioris anni tribunos militares, incurrunt: in eos ab se iram plebis invidiamque, die dicta, avertunt. *Quibus delectus, quibus tributum, quibus diutina militia longinquitasque belli sit gravis, qui clade accepta ad Veios doleant, qui amissis liberis, fratribus, propinquis, affinibus, lugubres domos habeant; iis publici privatique doloris exsequendi jus potestatemque ex duobus noxiis capitibus datam ab se*, memorant. *Omnium namque malorum in Sergio Virginioque causas esse: nec id accusatorem magis arguere, quam fateri reos; qui, noxii ambo, alter in alterum causam conferant, fugam Sergii Virginius, Sergius proditionem increpans Virginii. Quorum adeo incredibilem amentiam fuisse, ut multo verisimilius sit, compacto*[4] *eam rem et communi fraude patriciorum actam. Ab his et prius datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi causa; et nunc proditum exercitum, tradita Faliscis romana castra. Omnia fieri, ut consenescat ad Veios juventus: nec de agris, nec de aliis commodis plebis ferre ad populum tribuni, frequentiaque*[5] *urbana celebrare actiones et resistere conspirationi patriciorum possint. Præjudicium jam de reis*[6] *et ab senatu, et ab populo romano, et ab ipsorum collegis factum esse; nam et senatusconsulto eos ab republica remotos esse, et, recusantes*

metuentes iram plebis ejusque effectum. Confer ad Sil. II, 234. Dicuntur etiam *res trepidæ*, periculosæ et in summum discrimen adductæ, in quibus trepidamus, impr. quæ inopinantes opprimunt et percellunt, XXII, 5; XXXIV, 11, al. — *Qui clade accepta ad Veios doleant;* codex unus, *cladem acceptam deleant;* alii, *cladem acceptam doleant.* Ed. — De *Sergio Virginioque* vide supra cap. 8.

4. *Compacto*, vide supra I, 9, n. 7.

5. *Frequentia urbana*, in frequentia civium, abundante eorum copia (de qua vide ad V, 2, n. 3) *celebrare actiones*, tribunitias, vide ad I, 4, n. 12; et II, 56, n. 4.

6. *Præjudicium jam de reis factum esse*, ut mox *eos prædamnatos*; v. ad III, 40, n. 10. — *Ab republica remotos esse*, ab ejus administratione, a publicis negotiis, seu muneribus.

abdicare se magistratu, dictatoris metu ab collegis coercitos esse: et populum romanum tribunos creasse, qui non idibus decembribus die solenni, sed extemplo calendis octobribus magistratum occiperent, quia stare diutius respublica, his manentibus in magistratu, non posset. Et tamen eos, tot judiciis[7] *confossos prædamnatosque, venire ad populi judicium; et existimare, defunctos se esse, satisque pœnarum dedisse, quod duobus mensibus citius privati facti sint: neque intelligere, nocendi sibi diutius tum potestatem ereptam esse, non pœnam irrogatam; quippe et collegis abrogatum imperium, qui certe nihil deliquissent. Illos repeterent animos*[8] *Quirites, quos recenti clade accepta habuissent, quum fuga trepidum, plenum vulnerum ac pavore incidentem portis, exercitum viderint, non fortunam, aut quemquam deorum, sed hos duces accusantem. Pro certo se habere, neminem in concione stare, qui illo die non caput, domum, fortunasque L. Virginii ac M'. Sergii sit exsecratus detestatusque. Minime convenire, quibus iratos quisque deos precatus sit, in iis sua potestate, quum liceat et oporteat, non uti*[9]. *Nunquam deos ipsos admovere nocentibus manus; satis esse, si occasione ulciscendi læsos arment.*

XII. His orationibus incitata plebs denis millibus æris gravis reos condemnat, nequidquam Sergio Martem communem[1] belli fortunamque accusante, Virginio

7. *Tot judiciis*, senatus, populi et collegarum, *confossos*, oppressos quasi et prostratos (metaphora desumpta a telis gladiisve, ut in *jugulari* (*prædamnatosque* tacite præjudicio, *venire* nunc satis audacter *ad populi judicium*. — *Defunctos se esse*, vide ad II, 35, n. 2.

8. *Illos* itaque *repeterent animos*, reciperent. — *Accepta* delendum videbatur Ern. — Mox forte leg. *plenum vulnerum ac pavoris* : nisi orationem variare voluit Livius.

9. *In iis sua potestate non uti*, confer ad VI, 22, n. 1.

Cap. XII. 1. *Martem communem belli*, fortunam belli, cui omnes sint obnoxie pugnantes, vel quæ ad omnes pertineat, faveatque modo his, modo illis, ut VII, 8 pr.; VIII, 11 et 23;

deprecante, ne infelicior domi, quam militiæ, esset. In hos versa ira populi cooptationis tribunorum[2] fraudisque, contra legem Treboniam factæ, memoriam obscuram fecit. Victores tribuni, ut præsentem mercedem judicii[3] plebes haberet, legem agrariam promulgant, tributumque conferri prohibent: quum tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiæ ita prospere gererentur, ut nullo bello veniretur ad exitum spei; namque Veiis[4] castra, quæ amissa erant, recuperata castellis præsidiisque firmantur. Præerant tribuni militum M'. Æmilius et K. Fabius. M. Furio[5] in Faliscis, et Cn. Cornelio in capenate agro hostes nulli extra mœnia inventi: prædæ actæ, incendiisque villarum ac frugum vastati fines: oppida nec oppugnata, nec obsessa sunt. At in Volscis, depopulato agro, Anxur nequidquam oppugnatum, loco alto situm; et, postquam vis irrita erat, vallo fossaque obsideri cœptum.

X, 28 pr.; XXVIII, 19, n. 5; XXVIII, 41; XXX, 30; XLII, 49. *Communis Mars belli* et *incertus belli eventus* pæne synonym. junguntur XXXVII, 45, n. 5; XLII, 14, n. 2; XLII, 49, n. 4. — *Quam militiæ,* in bello, in quo ipsi nulla ab hoste clades illata esset.

2. *Cooptationis tribunorum,* etc.; vide supra cap. 10 extr.

3. *Præsentem mercedem judicii,* vide ad I, 12, n. 6. Mox non tribunorum, sed Livii, de injusto eorum facto judicium ferentis, verba esse videntur hæc: *quum* tamen *tot exercitibus stipendio opus esset, resque militiæ ita prospere gererentur,* h. e. prospere quidem, sed *ita,* in tantum (ut VIII, 38, n. 4, *nur in so ferne, in so weit glücklich*) *ut nullo* (forte leg. *multo* cum Schellero) *bello veniretur ad exitum spei.* Multiplex bellum erat ad Veios, Capenam, Valerios et Anxur in Volscis; et hinc injuste agebant tribuni pl. impedientes tributum, unde militibus pendi posset stipendium, quo opus esset ad felicem belli eventum.

4. *Namque* (forte *Jamque*) *Veiis,* ad Veios (vide ad III, 23, n. 2), *castra,* etc. — *Castellis,* v. c. 5, n. 2.

5. *M. Furio,* h. e. a M. Furio, *hostes nulli inventi;* ut *Gallis victoribus captum* VI, 14; *silva nulli adita* IX, 36 pr. et al. Sic passim tertius casus Græce ponitur pro sexto cum præpos. *a.* Confer ad XXXV, 17, n. 5; XLIV, 27, n. 6; ad Sil. IV, 391, 543; VI, 619, 644; VII, 431, 640; Drak. infra ad VI, 11, n. 4. — Mox *oppida oppugnata* edidit Drak. ut designentur oppida primo impetu frustra expugnari cœpta. Nos restituimus *nec* sensu et faciliore et aptiore, etsi abest ab omnibus fere MSS et edd. ante *Ald.* — *Loco alto situm,* confer IV, 59.

Valerio Potito Volsci provincia evenerat[6]. Hoc statu militarium rerum seditio intestina majore mole coorta, quam bella tractabantur; et, quum tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æraque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque urbanæ seditionis contagione turbarentur. Inter has iras plebis in Patres, quum tribuni plebis nunc illud tempus esse[7] dicerent stabiliendæ libertatis, et ab Sergiis Virginiisque ad plebeios viros fortes ac strenuos transferendi summi honoris; non tamen ultra processum est, quam ut unus ex plebe, usurpandi juris causa, P. Licinius Calvus tribunus militum consulari potestate crearetur: cæteri patricii creati P. Mænius[8], L. Titinius, P. Mælius, L. Furius Medullinus, P. Publilius Volscus. Ipsa plebes mirabatur, se tantam rem obtinuisse; non is modo, qui creatus erat, vir nullis ante honoribus usus, vetus tantum senator[9] et ætate jam gravis. Nec satis constat, cur primus ac potissimus ad novum delibandum honorem sit habitus. Alii Cn. Cornelii fratris[10], qui

6. *Valerio Volsci provincia evenerat*, vide ad II, 40, n. 8. — *Majore mole*, vide ad I, 38, n. 4; et IV, 35, n. 1. — *Per tribunos* plebis, propter eos, quia illi impediebant, seu obstabant; ut *per valetudinem* (propter morbum) VIII, 12 pr. *per Antiochum* XXXIII, 18; *per vinum*, per, vel propter ebrietatem, XL, 7, n. 4 (ad quæ loca vide Drak.); *per* (propter, vel in, vel quod attineret ad) *commodum reip.* XXII, 57, n. 2; XXXI, 11, n. 1. (Alio sensu *per commodum* dicitur XXX, 29, n. 3.) Cf. ad XXII, 21, n. 1; XXII, 33, n. 6; XXX, 19, n. 1; XXXII, 7, n. 6.

7. *Nunc illud tempus esse*, hoc est, commodissimum, et quod tam diu in votis habuerint.

8. *Cæteri patricii creati P. Mænius*, etc. immo omnes hi, præter Furium, plebeii fuere; quod et fasti Capitol. et ipsa quoque nomina, etsi in codd. valde corrupta, probabile faciunt. Cf. Perizon. Anim. hist. c. 8, p. 344 seqq.

9. *Vetus tantum senator:* itaque plebeii jam tum in senatum lecti, etsi ignoramus, quo anno id primum sit factum, idque non ex Dionys. l. VII, p. 469, colligi potest; v. Drak. *Patres* vero eos tantum dictos vulgo putant, quos Romulus et Tarquinius Priscus legerint, ut *patricios*, qui orti sint ex aliqua horum familia.

10. *Alii Cn. Cornelii fratris*, sive adoptivi, sive uterini, vel nati ex eadem matre, quæ, postquam connubia

tribunus militum priore anno fuerat, triplexque stipendium[11] equitibus dederat, gratia extractum ad tantum honorem credunt; alii orationem ipsum tempestivam de concordia ordinum, Patribus plebique gratam, habuisse. Hac victoria comitiorum exsultantes tribuni plebis, quod maxime rempublicam impediebat, de tributo remiserunt[12]; collatum obedienter, missumque ad exercitum est.

XIII. Anxur in Volscis brevi receptum est, neglectis die festo custodiis urbis. Insignis annus hyeme gelida ac nivosa fuit, adeo ut viæ clausæ, Tiberis innavigabilis fuerit. Annona ex ante convecta copia[1] nihil mutavit. Et quia P. Licinius, ut ceperat haud tumultuose magistratum, majore gaudio plebis, quam indignatione Patrum, ita etiam gessit, dulcedo invasit proximis comitiis tribunorum militum plebeios creandi. Unus M. Veturius ex patriciis candidatis locum tenuit: plebeios alios[2] tribunos militum consulari potestate omnes fere centuriæ dixere, M. Pomponium, C. Duilium, Voleronem Publilium, Cn. Genucium, L. Atilium. Tristem hyemem, sive ex intemperie cæli[3],

Patrum ac plebis promiscua erant facta, primum Licinio plebeio et deinde Cornelio patricio nupsit. *Cn. Cornelii* Cossi, etc.; vide supra cap. 10.

11. *Triplex stipendium*, triplo majus, *equitibus* quam peditibus (ut duplex centurionibus), vel horum triplex stipendium (confer VII, 41, n. 5; XLV, 40), *dederat*, ut daretur perfecerat. Conf. ad VII, 16, n. 6; et de illo stipendio triplici Schel. diss. ad Polyb. cap. 4; et infra ad XXXIX, 7, n. 2. Minus dilucide id expedivit Lips. mil. Rom. V, 16. — *Extractum* ex plebe quasi et tenebris, evectumque *ad tantum honorem;* cf. ad XXII, 34, n. 1.

12. *De tributo*, respectu tributi, *remiserunt*, cessere Patribus (ut al. *concedere alicui de aliqua re*), ab eo impediendo abstinuere.

Cap. XIII. 1. *Annona ex ante convecta copia*, ob eam, *nihil mutavit* se, pretium illius non mutatum est. Confer ad II, 3, n. 2; et II, 34, n. 10. — *Dulcedo*, dulcis cupido, *invasit* scil. homines, seu plebem: ut passim *invadere* intransitive, vel sine casu ponitur, vide cap. XXVIII, 20, n. 2 (ubi confer Gron.); et XXXIII, 36.

2. *Plebeios alios*, reliquos; vide ad IV, 10, n. 2. Horum nomina valde corruperunt editores antt.

3. *Ex intemperie cæli*, vide ad III, 31, n. 1. Mox *gravis ... æstas*, vide ad

raptim mutatione in contrarium facta, sive alia qua de causa, gravis pestilensque omnibus animalibus æstas excepit; cujus insanabili pernicie[4] quando nec causa nec finis inveniebatur, libri sibyllini[5] ex senatusconsulto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe romana facto, per dies octo Apollinem Latonamque et Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus, quam amplissime tum apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quoque id sacrum celebratum est; tota urbe patentibus januis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo[6] posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium ductos ferunt; et cum inimicis quoque

III, 6, n. 2. Confer cap. 14; et Drak. ad h. l.

4. *Cujus insanabili pernicie*, antique pro *perniciei*, ut al. *die*, *fide*, *segnitie* et al. vide ad Sil. III, 88; et supra ad IV, 12, n. 8.

5. *Libri Sibyllini...aditi a Duumviris sacris faciundis*, vide ad III, 10, n. 6. *Lectisternium* in supplicationibus et difficilioribus reipublicæ temporibus, prodigiorum maxime causa et pestilentiæ, postea solenne fuit. Sternebantur lecti, seu pulvinaria, et in his ponebantur statuæ deorum, vel dii tanquam præsentes et vere cœnaturi (plerumque bini in uno lecto, ut XXII, 10; unde et h. l. tres lecti et sex dii: nisi, quod alii monuere, quodque ex particulis copul. probabile fit, *Latona*, *Apollo* et *Diana*, mater et liberi, unum, *Hercules* alterum, *Mercurius* et *Neptunus* tertium occuparunt lectum) ad mensam carne victimarum exstructam, epulis paratis et consumptis primum a duumviris sacris faciundis, deinde a Septemviris Epulonum, et nonnunquam ab ipsis senatoribus, ut XXII, 1. Pax autem deorum expeti tum solebat præcipue a senatoribus patriciisque cum pueris ac virginibus. Sæpe autem *supplicatio indicta universo populo ad*, vel *circa omnia pulvinaria*, h. e. ad omnia templa, in quibus lectisternium erat, *pulvinaria* (vide XXI, 62; XXII, 1; XXXI, 8), vel *omnibus diis*, in honorem omnium deorum, *quorum pulvinaria*, lectisternia, *Romæ essent*, XXIV, 10 extr. ut eorum *pulvinaria susciperentur* (V, 52) h. e. convivia, seu lectisternia instituerentur, seu pararentur, hoc est, Deorum statuæ in pulvinaribus, seu lectis circa aras collocarentur, iisque lautissime apponerentur dapes. Confer Ind. Cæterum *sellisternia* deabus propria, et *lectisternia* diis (vide Valer. Max. II, 1, n. 2); sed deabus quoque lectisternia decreta factaque h. l. XXI, 62; XXII, 10 al. Nonnunquam et convivium publicum excipiebat lectisternium: ab utroque autem diversum Jovis epulum, ludorum causa datum, ap. Val. Max. II, 1, n. 2. Confer Duk. infra ad XXI, 10, n. 9. De *supplicationibus* vide ad III, 63, n. 2.

6. *In propatulo*, sub dio, in patenti

benigne ac comiter sermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum; vinctis quoque dempta in eos dies vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri. Interim ad Veios terror multiplex fuit, tribus in unum bellis collatis; namque eodem, quo antea, modo circa munimenta, quum repente Capenates Faliscique subsidio venissent, adversus tres exercitus ancipiti prælio pugnatum[7] est. Ante omnia adjuvit memoria damnationis Sergii ac Virginii; itaque majoribus castris, unde antea cessatum fuerat, brevi spatio circumductæ copiæ capenates, in vallum romanum versos, ab tergo aggrediuntur. Inde pugna cœpta et Faliscis intulit terrorem, trepidantesque eruptio ex castris opportune facta avertit; repulsos deinde insequuti victores ingentem ediderunt cædem. Nec ita multo post[8] jam palantes, veluti forte oblati, populatores capenatis agri reliquias pugnæ absumpsere: et Veientium refugientes in urbem multi ante portas cæsi,

et aperto loco, scilicet ædium (confer XXIV, 16, n. 9; XXV, 12 extr.; XXVI, 13), ut synon. *vestibulum ædium* V, 41; XXXIII, 48 et simpl. *vestibulum* II, 54; et XXIV, 21; ubi *ædium* ab optimis MSS abest. — *Vinctis quoque dempta in eos dies vincula*, forte non publice vinctis, sed nexis ob æs alienum, ut hoc pertineat ad religionem, qua hæc sacra *privatim* celebrata fuisse dicit Livius; Duk. — *Religioni fuisse*, vide ad II, 5, n. 4.

7. *Ancipiti prælio pugnatum*, vide ad I, 25, n. 4. — *Memoria damnationis Sergii ac Virginii. Itaque majoribus*, etc. Conf. supra cap. 8, 11, 12. Ante *majoribus* excidisse *e* videtur.

8. *Nec ita multo post* Romani victores *jam palantes et populantes capenatem agrum*, *reliquias pugnæ*, residuas copias hostium, qui e pugna evaserant (vide ad IV, 27, n. 1), *veluti forte oblati*, casu obviam facti (vide ad II, 60, n. 1; XL, 55, n. 2; XLII, 66, n. 3) et in eas incidentes, *absumpsere*, confecere. Vox *veluti* quam vim habeat, quum non *veluti*, sed *re vera* forte oblati fuerint, non liquere monent Duk. et Drak. Conf. ad XXIV, 22, n. 4. Creverio quoque suspectum τὸ *veluti*, cujus vocis nullum hic sensum esse dicit. Forsitan scriptum fuerat *Vti*: quod librarii interpretati fuerint *veluti*, quum legere debuissent *quingenti*. *Populatores* autem de quibus hic agitur, sunt Romani. Sensus ergo est: quingenti Romani, qui ad pabulandum in agrum capenatem excesserant, palantes jam Faliscos Capenatesque, reliquias pugnæ, forte oblati, delevere. Nostri *veluti* MSS habent. Ed.

dum præ metu, ne simul Romanus irrumperet, objectis foribus extremos suorum exclusere.

XIV. Hæc eo anno acta. Et jam comitia tribunorum militum aderant, quorum prope major Patribus, quam belli, cura erat; quippe non communicatum modo cum plebe, sed prope amissum cernentibus summum imperium. Itaque clarissimis viris ex composito præparatis ad petendum, quos prætereundi [1] verecundiam crederent fore, nihilominus ipsi, perinde ac si omnes candidati essent, cuncta experientes, non homines modo, sed Deos etiam, excipiebant [2]; in religionem vertentes comitia biennio [3] habita : priore anno intolerandam hiemem prodigiisque divinis similem [4] coortam : proximo non prodigia, sed jam eventus, pestilentiam agris urbique illatam haud dubia ira deum : quos pestis ejus arcendæ causa placandos esse, in libris fatalibus inventum sit. Comitiis, auspicato quæ fierent, indignum diis visum honores vulgari, discriminaque gentium confundi. Præterquam majestate petentium [5], religione etiam attoniti, homines patricios omnes, partem magnam honoratissimum quemque,

Cap. XIV. 1. *Quos prætereundi verecundiam*, etc.; vide ad III, 62, n. 8.

2. *Non homines modo, sed Deos etiam, excipiebant*, eorum gratiam captabant, ut al. *venari*, et θηρᾷν v. c. συνεργοὺς θηρατέον εἶναι καὶ λόγοις καὶ ἔργοις apud Xenoph. Cyrop. II; et Memor. I, 2, 24; ubi vide Ernesti. Confer Intpp. Phædr. IV, 4, 4; et supra ad II, 4, n. 3. Doujatius *excipere* interpretatur arripere, et ad suas partes trahere, coll. Cic. de or. II, 67. An legendum cum aliis *acciebant*, vel *exciebant*, vel *excitabant*, in rem suam, vel in auxilium vocabant?

3. *In religionem vertentes comitia biennio* contra auspicia, vel non auspicato *habita*. Confer ad cap. 23, n. 5; et ad II, 5, n. 4. — *Priore anno*, etc. Confer cap. 13.

4. *Hiemem prodigiis divinis similem*, tantam hiemis sævitiam tantamque nivis copiam immissam esse, ut res prodigio similis haberi posset; Drak. Cf. Flor. III, 4; ibique Duk. et Freinsh. In Ind. vide *similis*. — *Auspicato*, vide ad V, 21, n. 1. — *Honores vulgari*, vide ad II, 29, n. 5.

5. *Præterquam majestate petentium*, etc. pro : præterquam quod m. p. attoniti erant, *religione etiam attoniti*. Ita sæpe *quod* post *præterquam* omittitur. Confer ad IV, 17, n. 4; XXII, 3, n. 8; XXVI, 13, n. 8; Drak. ad XXII,

tribunos militum consulari potestate creavere, L. Valerium Potitum quintum, M. Valerium Maximum, M. Furium Camillum tertium, L. Furium Medullinum tertium, Q. Servilium Fidenatem iterum, Q. Sulpicium Camerinum iterum. His tribunis ad Veios nihil admodum memorabile actum est: tota vis in populationibus fuit. Duo summi imperatores, Potitus a Faleriis, Camillus a Capena, prædas ingentes egere, nulla incolumi relicta re, cui ferro aut igni noceri posset.

XV. Prodigia interim multa nuntiari; quorum pleraque, et quia singuli auctores erant, parum credita spretaque, et quia, hostibus Etruscis[1], per quos ea procurarent, haruspices non erant: in unum omnium curæ versæ sunt, quod lacus[2] in albano nemore, sine ullis cælestibus aquis, causave qua alia, quæ rem miraculo eximeret, in altitudinem insolitam crevit. Quidnam eo dii portenderent prodigio, missi sciscitatum oratores ad delphicum oraculum: sed propior interpres fatis oblatus senior quidam veiens, qui inter cavillantes in stationibus ac custodiis milites romanos etruscosque, vaticinantis in modum, cecinit, *Priusquam ex lacu albano aqua emissa*[3] *foret, nunquam*

53; XXV, 23 pr.; XXX, 6, al. *attoniti*, vehementer commoti et a stupore quasi oppressi, quo absterrebantur a consilio plebeios creandi. *Partem magnam honoratissimum quemque, tribunos militum*, etc. *creavere*, *parte magnam* Florent. prioris vocis ultima litera a prima sequentis intercepta. Vid. ad lib. XXIII, cap. 8; *partem magna* Fragm. Hav. a manu pri. *parte magna* a manu sec. Sed infra vide ad lib. XLI, cap. 6. — Nostri *partem magnam*; quod admisi libenter. Ed.

Cap. XV. 1. *Hostibus Etruscis*, quum hostes nunc essent Etrusci; qui maxime excolebant haruspicinam, et Romanos docebant.

2. *Lacus* albanus *in albano nemore*, prope Albam Longam. — *In altitudinem insolitam crevit;* haud dubie motu terræ, vel ignibus cæcis; unde etiam in albano monte lapidibus pluisse legimus I, 31; et XXV, 7. Idem, quod h. l. narratur, jam regnante Alladio, seu Aremulo, impio Albæ Longæ rege, factum esse tradunt Dionys. I, 71; et Aurel. Vict. de orig. G. Rom. 18. Confer supra ad I, 31, n. 1. — *Cecinit*, vide ad I, 7, n. 9.

3. *Ex lacu albano aqua emissa*;

potiturum Veiis Romanum. Quod primo, velut temere jactum, sperni, agitari deinde sermonibus cœptum est; donec unus ex statione romana percunctatus proximum oppidanorum (jam per longinquitatem belli commercio sermonum facto), quisnam is esset, qui per ambages de lacu albano jaceret[4]? postquam audivit haruspicem esse, vir haud intacti religione[5] animi, causatus de privati portenti procuratione, si operæ illi esset, consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Quumque progressi ambo a suis longius essent inermes, sine ullo metu; prævalens juvenis romanus senem infirmum, in conspectu omnium raptum, nequidquam tumultuantibus Etruscis, ad suos transtulit: qui quum perductus ad imperatorem, inde Romam ad senatum missus est, sciscitantibus, quidnam id esset, quod de lacu Albano docuisset, respondit: *Profecto iratos deos veienti populo illo fuisse die, quo sibi eam mentem objecissent*[6], *ut excidium patriæ fatale proderet. Itaque, quæ tum cecinerit divino spiritu instinctus*[7], *ea se nec, ut indicta sint, revocare posse; et*

vocab. propr. unde *emissarium* est foramen in lacu, per quod aqua emittitur et educitur, sublato ligno, quod ei oppositum est; vide Ernesti clav. Cic. — *Romanum*, Romanos.

4. *Qui per ambages de lacu albano jaceret* voces, ut paulo ante: *velut temere jactum;* vide ad II, 12, n. 7.

5. *Vir haud intacti religione animi*, vide ad II, 5, n. 4; et II, 36, n. 3. — *Causatus*, πρόφασιν ποιούμενος, causam fingens, prætexens, similans, se *consulere velle* vatem, *si operæ illi esset* (vide ad I, 24, n. 10), *de procuratione privati portenti*, quod sibi contigisset, et ad se solum, non ad rempublicam, pertineret. Ad seqq. cf. Cic. de Div. I, 44; et II, 32. — *Perductus ad imperatorem. Productus* vetustæ quædam exhibent editiones; verum longe melius *perductus*, quemadmodum est in omnibus scriptis. Proprium enim in hac re verbum est *perducere.* Confer ad h. lib. cap. 27; lib. VII, cap. 10; et Valer. Max. lib. III, cap. 7, ext. 1; Justin. lib. XXIX, cap. 4; Gell. lib. VI, Noct. cap. 8. Ed.

6. *Quo sibi eam mentem objecissent*, injecissent dii, de divino monitu, seu instinctu, ut VI, 14; XXIX, 8; XXXVIII, 25; XLI, 22; *objicere spem, furorem, religiones;* Ern. Sic et *terror utilis, Romanis oblatus* X, 14, n. 13; et *religio obfusa animis* II, 40, n. 1. Confer ad XXVI, 12, n. 1.

7. *Itaque quæ tum cecinerit* (vide

tacendo forsitan, quæ dii immortales vulgari velint, haud minus, quam celanda effando, nefas contrahi. Sic igitur libris fatalibus, sic disciplina etrusca traditum esse, ut quando aqua albana abundasset, tum, si eam Romanus rite emisisset, victoriam de Veientibus dari; antequam id fiat, deos mœnia Veientium deserturos non esse[8]. Exsequebatur inde, quæ solennis derivatio esset. Sed auctorem levem[9] nec satis fidum super tanta re Patres rati, decrevere, legatos sortesque oraculi pythici[10] exspectandas.

XVI. Priusquam a Delphis oratores redirent, albanive prodigii piacula invenirentur, novi tribuni militum consulari potestate, L. Julius Julus, L. Furius Medullinus quartum, L. Sergius Fidenas, A. Postumius Regillensis, P. Cornelius Maluginensis, A. Manlius, magistratum inierunt. Eo anno Tarquinienses novi hostes exorti; quia[1] simul multis bellis, Volscorum ad Anxur, ubi præsidium obsidebatur, Æquorum ad Lavicos, qui

ad I, 7, n. 9) *divino spiritu instinctus*, ut I, 17, incitatus (ut apud Quintil. XII, 10, de vatibus). Similiter *tactus*, hoc est, afflatus, dicitur cap. 21 pr. et 43 extr. — Mox *ut quando* pro, ubi (ἵνα) aliquando : sed τὸ *ut* delendum omnino et importatum a librario, ad partic. præt. *sic* illud referente; Doer. An anacoluthon est, aut negligentia orationis, quæ conjunct. *ut* junxit infinitivo *dari* (quemadmodum *quum* I, 35 pr.) uti indicativo *inquit* XXVII, 49 extr.? Vulgo contra usum loquendi exponunt *si quando*, nisi forte et XXXVIII, 14, n. 5, *ut se suosque spoliaret* dictum pro *si se*, etc.; et VI, 42 extr. *ut ædiles fierent*, pro *si ædiles f.* nec potius pro : ea lege, seu conditione, ut ædiles fierent.

8. *Deos mœnia Veientium deserturos non esse :* nam dii tutelares geniique locorum urbe expugnanda et expugnata excedere credebantur et ad hostes transire; unde ab his evocari solebant (confer infra cap. 21; Plin. XXVIII, 2, seu 4; et Macrob. Sat. III, 9), ab oppidanis autem in tutis arcanisque locis recondi, aut catenis adeo constringi. — *Exsequebatur*, narrabat, exponebat, vel persequebatur, seu pergebat, scilicet dicere, ut XXXV, 14, n. 3; XLI, 7, n. 1; et sæpius *exsequi* (al. *instare*) et *persequi quærendo* (pro *quærere*), vel *inquirendo, percunctando* et *sciscitando* III, 20, n. 3; VI, 14; IX, 3, 16; XXII, 3; XXV, 29; pro : porro et diligenter atque sedulo quærere, etc.

9. *Auctorem levem*, v. ad I, 16, n. 7.

10. *Sortes oraculi pythici*, vide ad I, 56, n. 5.

Cap. XVI. 1. *Tarquinienses novi*

romanam ibi coloniam oppugnabant, ad hoc veienti quoque et falisco et capenati bello occupatos videbant Romanos, nec intra muros quietiora negotia esse certaminibus Patrum ac plebis; inter hæc locum injuriæ rati esse [2], prædatum in agrum romanum cohortes expeditas mittunt: aut enim passuros inultam eam injuriam Romanos, ne novo bello se onerarent; aut exiguo, eoque parum valido, exercitu persequuturos. Romanis indignitas major, quam cura, populationis Tarquiniensium fuit; eo nec magno conatu suscepta, nec in longum dilata res est. A. Postumius et L. Julius non justo delectu (etenim ab tribunis plebis impediebantur), sed prope voluntariorum, quos adhortando incitaverant, coacta manu, per agrum cæretem obliquis tramitibus [3] egressi, redeuntes a populationibus gravesque præda Tarquinienses oppressere. Multos mortales obtruncant, omnes exuunt impedimentis; et, receptis agrorum suorum spoliis, Romam revertuntur. Biduum ad recognoscendas [4] res datur dominis: tertio incognita (erant autem ea pleraque hostium ipsorum) sub hasta veniere; quodque inde redactum, militibus est divisum. Cætera bella, maximeque veiens, incerti exitus erant: jamque Romani, desperata ope humana,

hostes exorti; quia, etc. forte leg. *qui, quia*, etc. judice Dukero. — *Ad hoc*, vide ad II, 23, n. 3.

2. *Locum injuriæ rati esse*, vide ad III, 46, n. 1. — *Cohortes expeditas*, sine impedimentis (*leichte Truppen*), unde *expediti* IX, 9, n. 9; XXIV, 41; XXVIII, 34; XXXIII, 6; XXXVIII, 4; velociter proficiscentes, *e. milites* XXX, 9; XXXIV, 26; *expedita classis*, velox sine onerariis XXVI, 24; XXXII, 16; *e. venatores*, nihil prædæ portantes XXV, 9, n. 15; *expediti equites* (*leichte Cavallerie*) XXII, 16, 55; ut contra *impeditum agmen*, cujus iter *impeditur*, hoc est, difficile et molestum redditur, multis gravibusve rebus, quas præter arma gestat, v. c. præda (supra III, 3, n. 3), inprim. sarcinis (*Bagage*) quæ hinc *impedimenta* dicuntur. — *Eo*, ideo.

3. *Obliquis tramitibus*, vide ad II, 39, n. 3.

4. *Ad recognoscendas*, vide ad III, 10, n. 1. — *Sub hasta*, hasta posita: quod in auctionibus apud Romanos fieri solebat. Unde sæpe hasta pro auctione ipsa sumitur. Ed.

fata et deos spectabant, quum legati ab Delphis venerunt, sortem oraculi afferentes, congruentem responso captivi vatis. « Romane, aquam albanam cave lacu con« tineri, cave in mare manare suo flumine [5] sinas; « emissam per agros rigabis [6], dissipatamque rivis ex« stingues. Tum tu insiste audax hostium muris; me« mor, quam per tot annos obsides urbem, ex ea tibi « his, quæ nunc panduntur, fatis victoriam datam. « Bello perfecto, donum amplum victor ad mea tem« pla portato : sacraque patria, quorum omissa cura « est, instaurata, ut assolet, facito. »

XVII. Ingens [1] inde haberi captivus vates cœptus, eumque adhibere tribuni militum Cornelius Postumiusque ad prodigii albani procurationem ac deos rite placandos cœpere. Inventumque tandem est, ubi [2] neglectas ceremonias intermissumve solenne dii arguerent; nihil profecto aliud esse, quam magistratus, vitio creatos, Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse [3]. Unam expiationem eorum esse [4], ut tribuni militum abdicarent se magistratu, auspicia de integro repeterentur, et interregnum iniretur. Ea ita

5. *Manare suo flumine*, non, proprio fluvio, in quem lacus effusus sit, sed cursu quem aqua superfusa sponte per declivia in mare persequitur, Doer.

6. *Emissam per agros rigabis*, deduces, seu diduces (per rivos) ut passim et forsan propr. *rigare* et *irrigare*, v. c. apud Plin. XI, 37, seu 69; Caton. R. R. 36 et 151; Virg. G. IV, 115. Quædam hæc dicta putant pro vulg. *emissa per agros rigabis*, scilicet agros (ut *sacra litare* pro *sacris l.*), vel ita legendum cum MS Voss. pr. Muretus emend. *derivabis*, aut *emissa agros rigabis*.

Cap. XVII. 1. *Ingens*, vir magnæ auctoritatis; confer ad IV, 6, n. 4.

2. *Ubi*, in quo, qua in re, *neglectas ceremonias intermissumve solenne* sacrum *Dii arguerent*, Delphicus Apollo ejusque vates (vide cap. 16 extr.), id *nihil*, etc. Confer ad IV, 30, n. 6.

3. *Latinas* (ferias) *sacrumque* (Jovi Latiari faciendum) *in albano monte non rite concepisse*, ad formulas conceptas instituisse, vel conceptis verbis edixisse. Nam Latinæ non erant feriæ statæ, sed *conceptivæ*, hoc est, quarum dies a consulibus definiebantur, edicebantur. Confer ad I, 45, n. 2.

4. *Unam expiationem eorum esse*, etc. Eodem spectare videntur verba, *ut renovarentur auspicia, res ad interregnum rediit*, infra VI, 5, n. 5. Ab

facta sunt ex senatusconsulto. Interreges tres deinceps fuere[5], L. Valerius, Q. Servilius Fidenas, M. Furius Camillus. Nunquam desitum interim turbari, comitia interpellantibus tribunis plebis, donec convenisset prius, *ut major pars tribunorum militum ex plebe crearetur*. Quæ dum aguntur, concilia Etruriæ ad fanum Voltumnæ habita[6], postulantibusque Capenatibus ac Faliscis, ut Veios communi animo consilioque omnes Etruriæ populi ex obsidione eriperent, responsum est : *antea se id Veientibus negasse, quia, unde consilium non petissent super tanta re, auxilium petere non deberent; nunc jam pro se*[7] *fortunam suam illis negare; maxime in ea parte Etruriæ*[8]. *Gentem*

interrege, magistratu extraordinario, novi magistratus creandi erant, quum veteres, auspiciis non rite captis, *vitio creati esse*, adeoque nec feliciter quid ipsi gerere, nec successores rite creare posse viderentur. Nam (ut verba Ernesti in clav. Cic. mea faciam) *vitium* in comitiis est malum auspicium, et quidquid comitia dissolvere et irrita reddere potest : quare si quid in comitiis, aut in bello actum nihilominus, aut in auspiciis capiendis contra mores et instituta veterum actum esset, id *vitio* (vel *contra auspicia*, *inauspicato* et *non auspicato*) factum dicebatur; v. c. *consules vitio creati*, vel *tabernaculum vitio*, et contra *recte* captum. Confer VI, 27, n. 2; VIII, 15, 30, 33 (ubi etiam *vitiosus dictator* dicitur, ut XXII, 34; *qui vitio creatus est*, ut contra *salvis auspiciis creatus consul* XXIII, 25, n. 6) et XLV, 12, n. 5; quin et *tribuni pl.* et *ædiles pl. vitio creati* dicuntur X, 47; ubi vide not. 1. Hinc *dies*, vel *comitia dirimi*, seu *diffindi*, et *auspiciis renovatis*, aut *repetitis* novi magistratus creari, vel lex iterum ferri solebat. Confer ad IV, 30, n. 6; VI, 28, n. 2; VIII, 23, n. 13; VIII, 30 pr.; IX, 38 extr.; IX, 39 pr.; X, 3; XXIII, 19 pr.; XXX, 39. At sæpe etiam Patres *ementiebantur auspicia*, de quo vide ad XXI, 63, n. 8.

5. *Interreges tres deinceps fuere*, vide ad I, 21, n. 8.

6. *Concilia Etruriæ ad fanum Voltumnæ habita*, vide ad IV, 23, n. 5. — *Ante se id Veientibus negasse*, etc. Confer supra cap. 1, et 5.

7. *Nunc jam pro se*, sua causa, propter suam salutem, *fortunam*, conditionem, *suam illis negare*, scilicet id, hoc est, illis id negari et negandum esse propter fortunam suam.

8. *Maxime in ea parte Etruriæ*, scilicet quam incolebant populi, hoc responsum dantes : nam Capenates, Falisci et Veientes, qui auxilium postulabant, omnes eam partem Etruriæ incolebant, quæ erat Romanis vicina, meridiem versus sita; qui vero hoc auxilium negabant, in parte septemtr. Etruriæ erant, iisque accolæ Galli; Stroth. Galli autem erant *gens invisitata* (vide ad IV, 33, n. 1), etc. — Li-

invisitatam, novos accolas Gallos esse, cum quibus nec pax satis fida, nec bellum pro certo sit: sanguini tamen nominique et præsentibus periculis consanguineorum id dari[9], *ut, si qui juventutis suæ voluntate ad id bellum eant, non impediant.* Eum magnum advenisse hostium numerum, fama Romæ erat; eoque mitescere discordiæ intestinæ metu communi, ut fit, cœptæ.

XVIII. Haud invitis Patribus P. Licinium[1] Calvum prærogativa tribunum militum non petentem creant, moderationis expertæ in priore magistratu virum, cæterum jam tum exactæ ætatis: omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni[2] refici apparebat, L. Titinium, P. Mænium, P. Mælium, Cn. Genucium, L. Atilium: qui priusquam renuntiarentur[3] jure vocatis tribubus, permissu interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit: « Omen concordiæ, Quirites, rei maxime in hoc tem-« pus utili, memoria nostri magistratus vos his comi-

benter Creverio assentirem existimanti, Gallos, *gentem invisitatam,* false ab Etruscis appellari, quum ante ducentos jam annos, ipso teste Livio, infra cap. 34, Galli et in Italiam transgressi sint, et cum Tuscis rem habuerint. Ed. Alii, vel τὸ *ea* delendum, putant, vel legendum, *quum maxime,* aut *negare maxime. In hac parte Etruriæ gentem*, etc.

9. *Sanguini tamen... id dari*, vide ad III, 58, n. 4. — *Voluntate*, vide ad III, 69, n. 8.

Cap. XVIII. 1. *P. Licinium Calvum* (vide cap. 12) *prærogativa* (vide ad III, 51, n. 3) *creant* pro *creat*, quoniam *prærogativa*, scilicet centuria est nomen collectivum.

2. *Omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni*, vide ad IV, 17, n. 6; et confer supra cap. 12, ubi tamen pro *Genucio* et *Atilio* memorantur *Furius* et *Publilius* : non enim Livius dicit, *omnes refectos esse* ejus collegio, sed *omnes refici apparebat.* Diodorus hæc edit nomina, lib. XIV, pag. 443, Λεύκιον Τιτίνιον, Πόπλιον Λικίνιον, Πόπλιον Μαίλιον, Κόϊντον Μαίνιον, Γναῖον Γενύκιον, Λεύκιον Ἀτίλιον. Ed.

3. *Qui priusquam renuntiarentur,* pronuntiarentur voce præconis, nominaque eorum indicarentur *jure vocatis tribubus*, v. III, 51, n. 3. Alii distinguunt post *renuntiarentur,* improbante Gronovio, qui sermo Licinii ad ipsam quoque prærogativam directus sit: quod verum quidem esse dicit Duk., sed Licinium præcipue jure vocatas deterrere voluisse, ne suffragium prærogativæ sequerentur; neque loca reperiri, ubi verbo *renuntiare* hac in re tertius addatur casus.

« tiis petere[4] in sequentem annum video. Si collegas « eosdem reficitis, etiam usu meliores factos, me jam « non eumdem, sed umbram[5] nomenque P. Licinii « relictum videtis; vires corporis affectæ, sensus ocu- « lorum atque aurium hebetes, memoria labat, vigor « animi obtusus. En vobis, *inquit*, juvenem, *filium* « *tenens*, effigiem atque imaginem ejus, quem vos an- « tea tribunum militum ex plebe primum fecistis. Hunc « ego, institutum disciplina mea, vicarium pro me rei- « publicæ do dicoque. Vosque quæso, Quirites, dela- « tum mihi ultro honorem huic petenti meisque pro « eo adjectis precibus[6] mandetis. » Datum id petenti patri; filiusque ejus P. Licinius tribunus militum consulari potestate cum iis, quos supra scripsimus, declaratus. Titinius Genuciusque tribuni militum, profecti adversus Faliscos Capenatesque, dum bellum majore animo gerunt, quam consilio, præcipitavere[7] in insidias. Genucius, morte honesta temeritatem luens, ante signa inter primores cecidit. Titinius, in editum tumulum ex multa trepidatione militibus collectis, aciem

4. *Omen concordiæ, rei maxime in hoc tempus utili* (al. *utilis*)... *vos his comitiis petere*, hoc est, me collegasque meos propterea a vobis refici, quod inde eamdem concordiam, qua olim hunc magistratum gessimus, in proximum annum ominari liceat.

5. *Umbram*, inanem obscuramque quasi imaginem et speciem, *nomenque P. Licinii relictum;* confer ad III, 65, n. 6. Particula *sed* abest a duobus codicibus, quam apud Livium sæpissime subintelligi merito notavit Drak. Ita, supra lib. I, cap. 25: *Nec his, nec illis periculum suum; publicum imperium servitiumque obversatur animo.* Quum tamen omnes reliquæ editiones vulgatum servent, uni aut alteri codici tantum tribuere non audemus, ut ejus fide receptam mutemus lectionem. Eleganter autem se non P. Licinium, sed ejus *umbram* vocat. Senec. in Herc. OEtæo, vers. 1345: *Herculem spectas quidem; sed umbram, et nescio quid vile mei.* Luc. lib. I, vers. 135: .. *Stat magni nominis umbra.* Ed. — *Vires corporis affectæ*, vide ad cap. 10, n. 6. — *Effigiem atque imaginem ejus*, scilicet patris.

6. *Meis pro eo adjectis precibus*, propter eas; ut fere mox: *Datum id petenti patri;* vide ad III, 57, n. 4.

7. *Præcipitavere*, scilicet se *in insidias*, ut mox *quæ prope in cladem ingentem vertit* se, seu vertitur; vide ad II, 3, n. 2.

restituit; nec se tamen æquo loco hosti commisit. Plus ignominiæ erat, quam cladis, acceptum; quæ prope in cladem ingentem vertit: tantum inde terroris non Romæ modo, quo multiplex fama pervenerat, sed in castris quoque fuit ad Veios. Ægre ibi miles retentus a fuga est, quum pervasisset castra rumor, ducibus exercituque cæso, victorem Capenatem ac Faliscum Etruriæque omnem juventutem haud procul inde abesse. His tumultuosiora Romæ, jam castra ad Veios oppugnari, jam partem hostium tendere ad Urbem agmine infesto[8], crediderant: concursumque in muros est, et matronarum, quas ex domo conciverat publicus pavor, obsecrationes in templis factæ: precibusque ab diis petitum, ut exitium ab Urbis tectis templisque ac mœnibus romanis arcerent, Veiosque eum averterent terrorem, si sacra renovata rite, si procurata prodigia essent.

XIX. Jam ludi Latinæque instauratæ[1] erant: jam ex lacu albano aqua emissa in agros, Veiosque fata appetebant[2]. Igitur fatalis[3] dux ad excidium illius urbis

8. *Tendere ad Urbem agmine infesto*, vide ad I, 13, n. 2. — *Obsecrationes in templis factæ*, vide ad IV, 21, n. 1.

Cap. XIX. 1. *Jam ludi Latinæque instauratæ*, vide ad cap. 17, n. 3.

2. *Veios fata appetebant*, fata invadebant (ut VII, 26 al.) Veios, hoc est, excidium a fatis constitutum, urbi imminebat; nisi hoc sensu cum aliis legere malis *Veiorum*, vel *Veiis fata appetebant*, hoc est instabant, ingruebant, ut *nox, lux, tempus appetit* V, 44; VIII, 38; X, 20, 21; XXIX, 10; XXXIV, 13; et *cui partitudo appetit* apud Plaut. Aulul. I, 1, 36.

3. *Igitur fatalis*, a fatis constitutus, et in excidium hujus urbis patriæque salutem natus, *dux* (confer IX, 33, n. 1; XXII, 53, n. 5; et XXX, 28 extr. de Scipione) *ad excidium illius urbis* (ut apud Cic. Catil. III, 4; et IV, 1) *servandæque patriæ*, propr. *servandamque patriam*, ut fere XXII, 51 pr. *diei quod reliquum esset noctisque insequentis* pro *noctemque insequentem;* Stroth. Sed in loco XXII, 51 junge *noctisque i. quietem;* in nostro autem constructio potius mutata est, et *servandæ patriæ* non videntur esse genitivi, sed sic dicti dat. comm. aut sunt genitivi omissa voce *causa* (vide ad III, 56, n. 4); et Livius non minus bene dicere potuisset *servandamque patriam:* sed orationem variare maluit, more suo, cujus permulta

servandæque patriæ, M. Furius Camillus, dictator dictus, magistrum equitum P. Cornelium Scipionem dixit. Omnia repente mutaverat imperator mutatus; alia spes, alius animus hominum, fortuna quoque alia urbis videri. Omnium primum in eos, qui a Veiis in illo pavore fugerant, more militari animadvertit[4], effecitque, ne hostis maxime timendus militi esset; deinde, indicto delectu in diem certam, ipse interim Veios ad confirmandos militum animos intercurrit[5]: inde Romam ad scribendum novum exercitum redit, nullo detrectante militiam. Peregrina etiam juventus, Latini Hernicique, operam suam pollicentes ad id bellum, venere: quibus quum gratias in senatu egisset dictator, satis jam omnibus ad id bellum paratis, ludos magnos ex senatusconsulto vovit Veiis captis se facturum; ædemque Matutæ matris[6] refectam dedicaturum, jam ante ab rege Ser. Tullio dedicatam. Profectus cum exercitu ab urbe, exspectatione[7] hominum majore, quam spe, in agro primum nepesino cum Faliscis et Capenatibus signa confert. Omnia ibi summa ratione consilioque[8] acta fortuna etiam, ut fit, sequuta est; non prælio tantum fudit hostes, sed castris quoque exuit, ingentique præda est potitus; cujus pars maxima

33, n. 8; XXXVIII, 39, n. 10; XXXIX, 14, n. 9; et Duk. ad XXVII, 23, n. 9.

4. *More militari animadvertit*, ut cap. 47, forte eos decimando. *Effecitque, ne hostis maxime timendus militi esset*, hoc est, non magis quam ipse, dux severus.

5. *Ipse interim Veios... intercurrit*, interjectis diebus, vel ab hoc die, quo Urbe profectus est, ad eum, in quem delectum indixerat, propere Veios contendit, et inde Romam rediit. — *Ludos magnos*, vide ad I, 35, n. 7.

6. *Ædemque Matutæ Matris*, etc. Confer Ind. et de dea illa, quæ Græcis Leucothea dicebatur, Ovid. Met. IV, 416-561; et Fast. VI, 479-560; Excurs. IV in Fastos, vol. VI, p. 503, nost. Coll. Ed. Heyne ad Apollod. I, 9, n. 2; et III, 4, n. 3. — *Dedicaturum*, vide ad I, 55, n. 3.

7. *Exspectatione* (anxia et trepida, vel desiderio) *hominum majore quam spe*. Confer cap. 23 pr. et ad XXVIII, 27, n. 6.

8. *Summa ratione consilioque*, non temere, ut a Titinio et Genucio.

ad quæstorem redacta est[9]: haud ita multum militi datum. Inde ad Veios exercitus ductus, densioraque castella facta; et a procursationibus, quæ multæ[10] temere inter murum ac vallum fiebant, edicto, ne quis injussu pugnaret, ad opus milites traducti. Operum fuit omnium longe maximum ac laboriosissimum, cuniculus in arcem hostium agi cœptus; quod ne intermitteretur opus, neu sub terra continuus labor eosdem conficeret, in partes sex munitorum numerum divisit: senæ horæ in orbem operi attributæ[11] sunt: nocte ac die nunquam ante omissum, quam in arcem viam facerent.

XX. Dictator quum jam in manibus videret victoriam esse, urbem opulentissimam capi[1], tantumque prædæ fore, quantum non omnibus in unum collatis ante bellis fuisset; ne quam inde aut militum iram ex malignitate prædæ partitæ, aut invidiam apud Pa-

9. *Prædæ pars maxima ad quæstorem redacta est*, propr. in publicum, seu ærarium a quæstore; confer ad II, 9, n. 4; et IV, 53, n. 4. Forte leg. *ad quæstores*, scilicet duos urbanos, qui ærarii curam habebant. Confer infra cap. 26 extr. — *Castella*, vide ad cap. 5, n. 2.

10. *A procursationibus, quæ multæ ...fiebant*, pro *quarum multæ*, vel *quæ sæpius*, ut apud Callim. Hym. in Dian. v. 27 (ubi vide Ernesti) πολλὰς δὲ μάτην ἐτανύσσατο χεῖρας pro πολλάκις, etc., Doer. Confer Gron. ad XXV, 18. — *Cuniculus*, etc. vide ad IV, 22, n. 3. Mox *munitores* dicuntur, qui *in arcem viam faciunt* sub terra, vel cuniculos agunt, et fossas aperiunt, *Minierer*. *Munire* est facere sive meabile (*gangbar*), v. c. *iter*, aut *viam* IX, 29 (hoc est, lapidibus sternere, eo modo, de quo vide XLI, 27, *pflastern*), sive pervium, v. c. *rupem* XXI, 37 pr. et extr. viam aperire per rupem perfodiendo eam et cædendo, ἐξοικοδομεῖν τὸν κρημνὸν Polyb. III, 55. Similiter ὁδοποιεῖν τὴν πέτραν, vel τὰ ὄρη, etc., dicunt Græci; vide Schweigh. ad Appian. B. Hannib. cap. 4. Sed infra VII, 23, *munitores* dicuntur triarii, qui castra *muniunt*, hoc est, firmant fossa et vallo circa ea ductis.

11. *In orbem operi attributæ*, vide ad I, 17, n. 4.

Cap. XX. 1. *Urbem opulentissimam capi*, pro *captum iri*, de re certa et quæ *jam in manibus erat* (ut al. *manibus teneri*, et contra *amittere e manibus* XXIX, 32; vel *omittere e manibus* et simpl. *omittere*, vide ad XXV, 38, n. 8), hoc est, manifesta et propinqua, seu proxima (al. præsens, vel pæne confecta). Similiter *in manu* h. e. potestate *alicujus esse* XXII, 35,

tres ex prodiga largitione caperet, literas ad senatum misit: *deum immortalium benignitate, suis consiliis, patientia militum, Veios jam fore in potestate populi romani: quid de præda faciendum censerent?* Duæ senatum distinebant sententiæ[2]: una senis P. Licinii, quem primum dixisse a filio interrogatum ferunt, *edici palam placere populo, ut, qui particeps esse prædæ vellet, in castra Veios iret:* altera Ap. Claudii, qui, largitionem novam, prodigam, inæqualem, inconsultam arguens, si semel nefas ducerent, captam ex hostibus in ærario exhausto bellis pecuniam esse, auctor erat stipendii ex ea pecunia militi numerandi, ut eo minus tributi plebes conferret: *ejus enim doni societatem*[3] *sensuras æqualiter omnium domos: non avidas in direptiones manus otiosorum urbanorum prærepturas fortium bellatorum præmia esse: quum ita ferme eveniat, ut segnior sit prædator*[4], *ut quisque laboris periculique præcipuam petere partem soleat.* Licinius contra, *suspectam et invisam semper eam pecuniam fore*, aiebat: *causasque criminum*[5] *ad plebem,*

n. 2; XXIV, 14; XXXII, 24; XXXIX, 9, 18; et *in manu alicujus ponere* VIII, 13, n. 9. *In manibus esse* passim pro adesse, vel prope et vicinum esse, ut ἐν χερσὶν apud Apollon. I, 1113; *ad manum*, πρὸς χεῖρα, in promptu, et prope, in vicino, VII, 2, n. 9; IX, 19, n. 2; Quintil. XII, 5 (*arma habere ad manum*); Plin. XXXV, 10 (*ad manum intuenti demum apparare*); et al. vide ad Sil. VII, 35; XII, 197; et Intpp. Virg. Georg. II, 45.

2. *Duæ senatum distinebant sententiæ*, vide ad IV, 59, n. 1. Vocem seq. *una* e decem MSS recepimus post Sigon. et Stroth. — *P. Licinii* (vide cap. 12 et 18), *quem primum dixisse a filio interrogatum*, v. ad XXVIII, 45, n. 3.

3. *Ejus enim doni societatem*, communem fructum. — *Otiosorum urbanorum*, vide ad III, 72, n. 4.

4. *Quum ita ferme eveniat, ut quisque segnior sit prædator*, minus prædæ capiendæ intentus sit, vel ad eam rapiendam segnius eat, *ut*, prout, quo magis (sic X, 27, *ut subinde, ut*, prout, *quæque res nova decreta esset*, etc.) *laboris periculique præcipuam petere* et subire *partem soleat.* Xenoph. Cyrop. VII. Διαρπᾶσαι μὲν οὖν αὐτοῖς ἐφεῖναι τὴν πόλιν οὐ βούλομαι· τήν τε γὰρ πόλιν νομίζω ἅμα διαφθαρῆναι, ἔν τε τῇ ἁρπαγῇ οἱ πονηροὶ πλεονεκτήσειεν ἄν.

5. *Causasque criminum*, criminationum (ut mox *criminaque*; vide ad

seditionum inde ac legum novarum, præbituram. Satius igitur esse, reconciliari eo dono plebis animos: exhaustis atque exinanitis, tributo tot annorum succurri: et sentire prædæ fructum ex eo bello, in quo prope consenuerint: gratius id fore lætiusque, quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit, quam si multiplex alterius arbitrio accipiat: ipsum dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque: eo delegasse ad senatum: senatum quoque debere rejectam rem ad se permittere plebi, ac pati habere, quod cuique fors belli dederit. Hæc tutior visa sententia est, quæ popularem senatum faceret. Edictum itaque est, ad prædam veientem, quibus videretur, in castra ad dictatorem proficiscerentur.

XXI. Ingens profecta multitudo replevit castra. Tum dictator, auspicato egressus [1], quum edixisset, ut arma milites caperent, « Tuo ductu, inquit, pythice Apollo, « tuoque numine instinctus [2], pergo ad delendam urbem Veios : tibique hinc decumam partem prædæ « voveo. Te simul, Juno regina [3], quæ nunc Veios colis, « precor, ut nos victores in nostram, tuamque mox « futuram, urbem sequare: ubi te dignum amplitudine tua templum accipiat. » Hæc precatus, superante multitudine, ab omnibus locis urbem aggreditur, quo minor ab cuniculo ingruentis periculi sensus

III, 19, n. 7), *ad,* apud, *plebem.* Confer ad II, 10, n. 10.

CAP. XXI. 1. *Auspicato egressus* castris, hoc est, auspiciis antea captis, more Romanorum in omni re et molimine graviori. Confer I, 36; VI, 41; XXI, 63; et ad XLII, 12, n. 2; ubi in nuptiis quoque auspicia legimus adhibita; quæ auctoritatem iis dedisse notum est (vide ad Tacit. Annal. XI, 27, n. 3; et Juvenal. X, 336, *veniet cum signatoribus auspex*). Sic etiam *augurato*, de quo vide ad I, 18, n. 6. Hinc et *auspicato* XLI, 18, n. 4, pro rite, feliciter, fausto omine.

2. *Tuo numine instinctus*, vide ad cap. 15, n. 6; et confer cap. 16 extr.

3. *Juno regina*, confer Ind. Evocationis concepta verba ad Carthaginem Macrobius ex Sammonico Sereno refert, lib. III, Saturn. cap. 9. ED.— *Accipiat*, vide ad I, 60, n. 1.

esset. Veientes, ignari se jam ab suis vatibus, jam ab externis oraculis proditos, jam in partem prædæ suæ vocatos [4] deos, alios votis ex urbe sua evocatos, hostium templa novasque sedes spectare, seque ultimum illum diem agere; nihil minus timentes, quam subrutis cuniculo mœnibus arcem jam plenam hostium esse, in muros pro se quisque armati discurrunt; mirantes quidnam id esset, quod, quum tot per dies nemo se ab stationibus romanis movisset, tum, velut repentino icti furore [5], improvidi currerent ad muros. Inseritur huic loco fabula; immolante rege Veientium, vocem haruspicis dicentis, *qui ejus hostiæ exta prosecuisset* [6], *ei victoriam dari*, exauditam in cuniculo, movisse romanos milites, ut, adaperto cuniculo, exta raperent et ad dictatorem ferrent. Sed in rebus tam antiquis, si, quæ similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam [7]. Hæc, ad ostentationem [8] scenæ gaudentis miraculis aptiora, quam ad fidem, neque affirmare, neque refellere est operæ pretium. Cuniculus, delectis militibus eo tempore plenus, in æde Junonis, quæ in veientana arce erat, armatos repente edidit: et pars aversos in muris invadunt hostes: pars

4. *Jam ab suis vatibus*, vide cap. 15; *jam ab externis oraculis proditos* vide cap. 16 extr.; *jam in partem prædæ suæ vocatos*, ad capiendam partem prædæ, ipsis promissam, invitatos, *Deos*, Apollinem. Confer Virgil. Æn. lib. III, vers. 222, Tom. IV nost. Coll. Ed. Similiter dicitur esse *in parte prædæ, laboris ac periculi* pro, eorum participem esse, infra V, 46, n. 4; et XXXI, 1. Confer ad IV, 35, n. 2; et VII, 22, n. 4. — *Alios*, Junonem, *votis ex urbe sua evocatos*, vide ad cap. 15, n. 8.

5. *Repentino icti furore*, vide ad I, 16, n. 2. — *Inseritur huic loco*, narrationi ejusque parti, nisi leg. *hoc loco*.

6. *Qui ejus hostiæ exta* assata, seu tosta *prosecuisset*, dissecuisset, atque comedenda distribuisset. Confer Suet. Aug. I; et supra ad I, 7, n. 12. Nonius, cap. 3: *Prosecta, exta quæ aris dantur, ex fibris pecudum dissecta*. Ed.

7. *Satis habeam*, contentus sim. Urbane dictum.

8. *Ad ostentationem scenæ*, ut ostententur in scena, ubi spectatores vana rerum specie oculis subjecta delectantur. — *Neque affirmare, neque refellere*, confer ad Præf. n. 11.

claustra portarum revellunt: pars, quum ex tectis saxa tegulæque a mulieribus ac servitiis jacerentur, inferunt ignes. Clamor omnia variis terrentium ac paventium vocibus, mixto mulierum ac puerorum ploratu, complet. Momento temporis dejectis ex muro undique armatis, patefactisque portis, quum alii agmine irruerent, alii desertos scanderent muros, urbs hostibus impletur: omnibus locis pugnatur. Deinde, multa jam edita cæde, senescit pugna [9]: et dictator præcones edicere jubet, ut ab inermi abstineatur; is finis sanguinis fuit. Dedi inde inermes cœpti; et ad prædam miles permissu dictatoris discurrit; quæ quum ante oculos ejus aliquantum spe atque opinione major majorisque pretii rerum ferretur, dicitur manus ad cælum tollens precatus esse: *ut, si cui deorum hominumque nimia sua fortuna populique romani videretur, ut eam invidiam* [10] *lenire quam minimo suo privato incommodo publicoque po-*

9. *Senescit pugna*, vide ad I, 22, n. 3, ubi de *senescere* dissertum.

10. *Ut eam invidiam lenire*, etc. nam dii nimium felicibus hominum rebus invidere credebantur. Confer V, 27, n. 5; XXX, 30, n. 13; ad Juvenal. XV, 95; ad Sil. III, 78; XVII, 550. In vett. edd. ante Ald. legitur *lenire suo privato incommodo, quam minimo publico populi rom. liceret*, eodem sensu, si ante *quam* suppleveris *et*, quæ copula passim omittitur. Nec defuere, qui hanc lectionem probarent: hi vero verba *quam minimo*, etc. exponunt, *potius*, seu *magis quam vel minimo* (vide ad I, 25, n. 11), aut, *sin minus, saltem quam minimo*, aut, ut sint dat. comm., *in publicum pop. rom. incommodum quam minimum*, sive, ut illa invidia quam minimo, hoc est, nulli fere, incommodo cedat populo rom. Sed hæ rationes duræ sunt omnes, et Livius mox non modo privatum, sed et publicum memorat incommodum, *damnationem Camilli*, (et) *captæ deinde* (qua voce simul copula continetur) *urbis romanæ cladem*, ad quas calamitates *id omen pertinuisse*, spectasse, *visum* sit multis. Neque tamen dissimulo, illam sententiam, qua Camillus optasse putatur, ut suo tantum privato incommodo leniretur invidia deorum, tum magis convenire piæ ejus menti, tum verbis Livii subjectam esse a Plut. in Camillo Opp. tom. II, p. 131 F. et Valer. Max. I, 5, n. 2 (qui forte nostram lect. ita distinxere: *lenire suo privato incommodo quam minimo, publico*, hoc est, reipublicæ, *populi rom. liceret*), tum aliis quoque tribui ab Ovid. Met. XV, 571 seq. et Velleio I, 10 extr.

pulo romano liceret. Convertentem se inter hanc venerationem[11], traditur memoriæ, prolapsum cecidisse; idque omen pertinuisse postea eventu rem conjectantibus visum ad damnationem ipsius Camilli, captæ deinde urbis romanæ, quod post paucos accidit annos, cladem. Atque ille dies cæde hostium ac direptione urbis opulentissimæ est consumptus.

XXII. Postero die, libera corpora dictator sub corona vendidit[1]. Ea sola pecunia in publicum redigitur, haud sine ira plebis. Et quod retulere secum prædæ, nec duci, qui ad senatum, malignitatis auctores quærendo, rem arbitrii sui rejecisset, nec senatui, sed Liciniæ familiæ, ex qua filius ad senatum retulisset, pater tam popularis sententiæ auctor fuisset, acceptum referebant[2]. Quum jam humanæ opes egestæ a Veiis essent, amoliri tum deum dona ipsosque deos, sed colentium magis, quam rapientium, modo, cœpere: namque delecti ex omni exercitu juvenes, pure lautis corporibus[3], candida veste, quibus deportanda Romam regina Juno assignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus; quod id signum, more etrusco, nisi certæ gentis sacerdos attrectare non esset solitus. Dein quum quidam, seu spiritu divino tactus[4], seu juvenali joco,

11. *Inter hanc venerationem*, precationem.

CAP. XXII. 1. *Sub corona vendidit,* vide ad II, 17, n. 3. — *In publicum redigitur,* vide ad II, 9, n. 4.

2. *Nec duci*, Camillo, *qui ad senatum ... malignitatis* (vide ad III, 63, n. 2) prædæ partitæ...*rem rejecisset* (vide ad II, 22, n. 4), *sed Liciniæ familiæ, ex qua filius... acceptum referebant,* tribuebant, tanquam auctoribus hujus beneficii. Conf. supra c. 20; et ad X, 19, n. 6.

3. *Pure lautis corporibus*, etc.; vide ad I, 45, n. 7. — *Regina Juno*, non Juno Moneta, ut apud Valerium Maximum, I, 8, n. 3; et Lactantium divin. Institut. II, 7. Confer infra VII, 28. Perperam quoque seqq. e Livio tradita esse a Plutarcho in vita Camilli, pag. 131, jam docuit Perizonius animadv. hist. cap. 9, p. 366.

4. *Seu spiritu divino tactus*, ut *instinctus* cap. 15, n. 7. — *Juvenali* Drak. e MSS recepit hoc loco et XL, 14 pr. pro vulg. *juvenili*.

Visne Romam ire, Juno? dixisset, annuisse cæteri deam conclamaverunt[5]. Inde fabulæ adjectum est, vocem quoque dicentis, *velle*, auditam : motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem translatu fuisse : integramque in Aventinum, æternam sedem suam, quo vota romani dictatoris vocaverant, perlatam; ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit. Hic Veiorum occasus fuit, urbis opulentissimæ etrusci nominis[6], magnitudinem suam vel ultima clade indicantis : quod decem æstates hiemesque continuas circumsessa, quum plus aliquanto cladium intulisset, quam accepisset, postremo jam, fato tum denique urgente, operibus tamen, non vi, expugnata est[7].

XXIII. Romam ut nuntiatum est Veios captos, quanquam et prodigia procurata fuerant, et vatum responsa et pythicæ sortes[1] notæ; et, quantum humanis adjuvari consiliis potuerat res, ducem M. Furium, maximum imperatorum omnium, legerant : tamen, quia tot annis varie ibi bellatum erat, multæque clades acceptæ, velut ex insperato immensum gaudium fuit; et, priusquam senatus decerneret[2], plena omnia templa romanarum matrum, grates diis agentium, erant. Senatus in quatriduum, quot dierum nullo ante bello, supplicationes decernit. Adventus

5. *Annuisse Deam*, κεφαλῇ κατανεῦσαι (confer Hom. Il. α′, 524 sq. et Juvenal. VI, 538) *conclamaverunt: inde*, etc., nam homines religione tacti fanaticique multa, quæ non alii, vident et audiunt.

6. *Etrusci nominis*, v. ad I, 10, n. 2.

7. *Operibus*, machinis oppugnatoriis, *tamen*, *non vi* (armis) *expugnata est*, conf. c. 24 pr. et XXXVI, 23 pr.

Cap. XXIII. 1. *Prodigia procurata*, *vatum responsa et Pythicæ sortes*, vide cap. 15-17. — *Varie bellatum*, varia fortuna.

2. *Priusquam senatus decerneret*, scilicet hoc, vel, ut mox, *supplicationes ... in quatriduum;* cf. ad III, 63, n. 2 et 3. — *Senatus in quatriduum*, etc., *supplicationes decernit.* Præpositionem, quam omnes vetustiores excusi ignorant, primus addidit Aldus. Eamdem etiam uno ore tuentur omnes

quoque dictatoris, omnibus ordinibus obviam effusis, celebratior, quam ullius unquam antea fuit; triumphusque omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit. Maxime conspectus ipse est[3], curru equis albis juncto Urbem invectus: parumque id non civile modo, sed humanum etiam, visum. Jovis Solisque equis æquiparari[4] dictatorem, in religionem etiam trahebant[5]: triumphusque ob eam unam maxime rem clarior, quam gratior, fuit. Tum Junoni reginæ templum in Aventino[6] locavit, dedicavitque Matutæ matri: atque, his divinis humanisque rebus gestis, dictatura se abdicavit. Agi deinde de Apollinis dono cœptum; cui se decumam vovisse

codices nostri: e quibus libenter et nos recepimus. Ed.

3. *Maxime conspectus ipse est*, vide ad II, 5, n. 8. Ex seqq. probabile fit, Camillum tali curru, quatuor equis albis juncto, primum triumphasse. Quod tamen ei vitio datur, jam Romulum fecisse tradunt Dionys. Halicarn. et Prop. IV, 1, n. 32. Conf. Broukh. ad Tibull. I, 8. Idem neque ante, neque post Camillum a quoquam factum esse, perperam monet Plut. Camill. p. 132. Cujus tamen verba Maderus ad currum, ex aliqua Jovis æde desumptum, referebat. Cf. Drak. ad c. 28 pr. et Cuper. ad Auct. de mort. persec. c. 16, bene qui adv. Freinsh. in Ind. Flori ad voc. *Equum* disputant.

4. *Jovis Solisque equis æquiparari dictatorem*: nam his diis tribui solebat *currus equis albis junctus*, vel propr. currus, cui, seu ad quem juncti sunt equi albi. Confer Mitscherl. ad Hor. Od. I, 34, n. 8. Hinc eo uti indicium superbiæ dicitur etiam infra XXIV, 25, n. 2; Scheffer. de re vehic. I, 18. Cuperus et Cler. emend. *Jovi Solique equis* (hoc est, quoad equos) *æ. d.* Sed *dictatorem* hoc loco positum esse pro *dictatoris currum*, ut passim hominem, qui in aliqua re similis sit alteri rei, pro ipsa re, in qua similitudo ista cernatur (vel subjectum pro attributo) jam monuit Stroth. coll. III, 26, n. 1; IX, 10 pr. (*Postumium devotioni P. Decii consulis*, et *aliis* ejus *claris facinoribus æquabant*). Xenoph. Cyrop. VI, 1 (ἅρματα ὅμοια ἐκείνῳ); Diodor. II, 51 (κύρτωμα παρεμφερὲς καμήλῳ); et Euseb. hist. eccles. VI, 3 (ἐπὶ τὸν ὅμοιον αὐτῷ ζῆλον). Cf. et Cic. Or. I, 4 extr., 44 extr.; Justin. I, 7; et supra ad II, 13, n. 5; II, 27, n. 5; et XXVII, 25, n. 1.

5. *In religionem etiam trahebant*, veriti, ne prava deorum imitatione eorum invidia et ira moveatur. Confer supra ad cap. 14, n. 3.

6. *Tum Junoni Reginæ templum in Aventino* (vide ad I, 5, n. 2) *locavit*; nam Romæ tum ædificia publica (quin et privata) exstruenda aliaque opera perficienda, tum vectigalia fere omnia et reditus publici, nonnunquam et frumentum ceteraque, quæ belli usus postulabat, præbenda (vide XXIII,

prædæ partem[7] quum diceret Camillus, pontifices solvendum religione populum[8] censerent, haud facile inibatur ratio jubendi referre prædam populum, ut ex ea pars debita in sacrum secerneretur; tandem eo, quod levissimum videbatur, decursum est, ut, qui se domumque religione exsolvere vellet, quum sibimet ipse prædam æstimasset suam, decumæ pretium partis in publicum deferret[9]; ut ex eo donum aureum, dignum amplitudine templum ac numine Dei, ex dignitate populi romani fieret. Ea quoque collatio plebis animos a Camillo alienavit. Inter hæc pacificatum legati a Volscis et Æquis venerunt: impetrataque pax, magis ut fessa tam diutino bello acquiesceret civitas, quam quod digni peterent[10].

48 extr. et XXXIV, 6), a magistratibus, inpr. Prætoribus, Censoribus Ædilibusque, *locari*, vel redemptoribus (duumviris ad eam rem creatis a prætore XXII, 23) pacta ante mercede addici solebant: *conduci* vero, vel *redimi* hæc a *publicanis* (*Fermiers-généraux*), sive singulis, sive sociis, h. e. eorum *societatibus* (confer XXIII, 49 et XXV, 1), quibus præerant magistri quales nobis *directores* dicuntur; illa ab aliis qui ea curanda suscipiebant, et *conductores, redemptores, mancipes* (*Entrepreneurs*) vocabantur. Quæ *redempturæ* maximam partem admodum quæstuosæ erant. Confer ad VI, 4, n. 4; XXIII, 48, n. 8; XXIV, 18, n. 7, 8; XXXIX, 45, n. 6; ad Juvenal. III, 31 seq. et Tac. Ann. IV, 6, n. 6. — *Dedicavitque* (vide ad I, 55, n. 3), scil. aliud templum, a Servio Tullio rege exstructum et nunc refectum, *Matutæ Matri* (al. *Matris*), conf. c. 19, n. 6.

7. *Se decumam vovisse prædæ partem* Apollini, more Græcorum, qui diis decimam multarum rerum, inpr. prædæ, consecrare solebant; vide Potterl. Arch. ed. Ramb. I, 2, n. 4, p. 552.

8. *Solvendum religione populum*, Delphos mittendum esse donum aureum, a Camillo, populi nomine, Apollini promissum. *Solvi*, seu *exsolvi religione* (et *religionem* II, 32, n. 3) est liberari eo officio, quo per religionem tenemur, exsequi religionis officia, seu præstare illud, quod ut faciamus, religione admonemur; Gron. ad VII, 3 extr. Confer VIII, 9 extr. IX, 8 (ubi et contra dicitur *obligare* et *obstringere religione*, ut IX, 11, n. 7; et XXXIX, 37, n. 6, *civitas obligata sponsione commissa*), XXIV, 18, al. Sic et *levare* ac *liberare religione animos* VII, 3 pr. XXI, 62; XXXIX, 16, n. 46; et contra *cumulare religiones animis* XLII, 20, n. 5. Hinc quoque *procurare religiones* VII, 3 pr. ut fere *procurare prodigia* I, 20, n. 11. Confer ad II, 5, n. 4. — *Referre prædam*, reddere.

9. *In publicum deferret*, vide ad II, 24, n. 6.

10. *Quam quod digni peterent*, h.

XXIV. Veiis captis, sex tribunos militum consulari potestate insequens annus habuit, duos P. Cornelios, Cossum et Scipionem, M. Valerium Maximum iterum, K. Fabium Ambustum tertium, L. Furium Medullinum quintum, Q. Servilium tertium. Corneliis faliscum bellum, Valerio ac Servilio Capenas sorte evenit; ab iis non urbes vi aut operibus tentatæ[1], sed ager est depopulatus, prædæque rerum agrestium actæ; nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades capenatem populum subegit; pax petentibus data. In Faliscis bellum restabat. Romæ interim multiplex seditio erat: cujus leniendæ causa coloniam in Volscos, quo tria millia civium romanorum scriberentur[2], deducendam censuerant: triumvirique ad id creati terna jugera et septunces viritim diviserant. Ea largitio sperni cœpta, quia spei majoris avertendæ solatium objectum censebant[3]. Cur enim relegari plebem in Volscos, quum pulcherrima urbs Veii agerque veientanus in conspectu sit, uberior ampliorque romano agro? Urbem quoque urbi Romæ, vel situ, vel magnificentia publicorum privatorumque tectorum ac locorum, præpo-

e. ii, qui mererentur, ut pacem impetrarent. Confer Gron. Obss. III, 8.

Cap. XXIV. 1. *Urbes vi aut operibus tentatæ*, confer ad cap. 22, n. 6. — *Felix arbor*, vide ad I, 26, n. 6. — *Ea clades capenatem populum subegit;* codex unus *Capenatum populum*. An voluit librarius, inquit Drak., *Capenatium populum?* Nam ita casus patrius numero multitudinis formatur supra hoc lib. cap. 8. Præferimus tamen vulgatum, non modo quia id tuetur reliquorum constans consensus, verum etiam quod Livium genus illud loquendi *populus Capenatium, populus Romanorum* usurpasse non meminerimus. Ed.

2. *In Volscos : quo tria millia ... scriberentur*, vide ad IV, 11, n. 3. — *Censuerant* Patres ... *triumviri* (vide ad III, 1, n. 6) *terna jugera et septunces*, septem partes jugeri, $\frac{7}{12}$ (proprie tot uncias assis : nam ad modum et XII uncias assis etiam hereditates et aliæ res dividebantur, quum percommoda esset in computationibus totius in XII partes distributio), *viritim diviserant*, hoc est dividere voluerant, divisuros se constituerant, seu promiserant : nam *ea largitio sperni cœpta ;* quod jam monuit Duker. Conf. ad III, 21, n. 3.

3. *Spei majoris avertendæ solatium objectum censebant* scilicet homines, seu censebatur. Conf. ad IV, 51, n. 2.

nebant; quin illa quoque actio[4] movebatur, quæ post captam utique Romam a Gallis celebratior fuit, transmigrandi Veios. Cæterum partim plebi, partim senatui destinabant habitandos Veios; duasque urbes communis reipublicæ[5] incoli a populo romano posse. Adversus quæ quum optimates ita tenderent[6], ut *morituros se citius* dicerent *in conspectu populi romani, quam quidquam earum rerum rogaretur; quippe nunc in una urbe tantum dissensionum esse, quid in duabus fore? Victamne ut quisquam victrici patriæ præferret? sineretque, majorem fortunam captis esse Veiis, quam incolumibus fuerit? Postremo, se relinqui a civibus in patria posse : ut relinquant patriam atque cives, nullam vim unquam subacturam*[7]; *et T. Sicinium* (is enim ex tribunis plebis rogationis ejus lator erat) *con-*

4. *Quin illa quoque actio* tribunitia, seu rogatio (vide ad II, 56, n. 4) *movebatur*, ferebatur, agitabatur, *quæ post captam utique Romam a Gallis celebratior fuit*, magis celebrata est, vide ad I, 4, n. 12; et confer infra cap. 49 seq. — *Transmigrare*, seu *migrare* dicitur de universo populo, aut maxima certe ejus parte; at *coloniam*, seu *colonos deduci*, seu *mitti* de parvo certoque civium numero.

5. *Duas urbes communis reipublicæ*, al. *communes*. Sed v. Gron. Obss. I, 12.

6. *Adversus quæ quum optimates* (vide ad III, 34, n. 4) *ita tenderent*, confer ad IV, 8, n. 6. Apodosis exstat in princ. cap. seq. in his, *nulla res alia manibus*, etc., ante quæ *quum* repetitur; Stroth. Initium novi cap. hoc loco faciendum suspicari possis : sed illa orationis negligentia passim obvia; confer ad I, 19, n. 1; II, 12, n. 1; IX, 6, n. 6; et XXXVIII, 52, n. 5.— *Victamne ut*, etc. Conf. ad IV, 2, n. 9.

7. *Nullam vim subacturam*, scilicet se. *Ut relinquant patriam atque cives.* Διανοίας ratio postulat, ut legatur : *ut relinquant patriam ipsi*. Delendum illud *cives*. Quo enim pacto cives relinquent, si a civibus relinquuntur? omnino hæc mihi non placent; Tan. Faber. Vulgatum frustra Fabro displicuit. Tribuni volebant legem ferre, ut pars plebis ac senatus romani Veios migraret. Jam autem optimates, quibus invitis id obtinere tribuni conabantur, dicunt, se quidem in patria manentes relinqui posse a civibus, id est, illa civium parte, quæ Veios concessura erat : verum nullam vim subacturam, ut ipsi quoque Veios abirent, et ita relinquerent patriam et cives, id est, illam partem civ., quæ Romæ mansura erat. Nihil in his difficultatis. Ed. — *Sicinium conditorem Veios sequantur*, i. e. auctorem consilii Veios transmigrandi, vel instaurationis Veiorum, quum quidem, migratione facta, velut Roma Nova fieret : quo sensu improprie *conditor* et κτιστής dicitur; Ern.

ditorem Veios sequantur, relicto deo Romulo, dei filio, parente et auctore urbis Romæ.

XXV. Hæc quum fœdis certaminibus agerentur (nam partem tribunorum plebis Patres in suam sententiam traxerant), nulla res alia manibus temperare[1] plebem cogebat, quam quod, ubi rixæ committendæ causa clamor ortus esset, principes senatus, primi turbæ offerentes se, peti, feriri, atque occidi jubebant: ab horum ætatibus dignitatibusque et honoribus violandis dum abstinebatur, et ad reliquos similes conatus verecundia iræ obstabat, Camillus identidem omnibus locis concionabatur: *haud mirum id quidem esse, furere civitatem, quæ, damnata voti*[2], *omnium rerum potiorem curam, quam religione se exsolvendi, habeat. Nihil de collatione dicere*[3], *stipis verius, quam decumæ; quando ea se quisque privatim obligaverit, liberatus sit populus. Enimvero, illud se tacere, suam*

Confer II, 1, n. 2; VII, 30; VIII, 34; XXXVII, 54; ad Sil. I, 28; ad Tac. Ann. IV, 56, n. 1; et Ern. ad Suet. Aug. 98.

Cap. XXV. 1. *Manibus temperare*, vide ad II, 23, n. 8. — *Peti, feriri atque occidi,* scilicet se.

2. *Damnata voti* (ut *voto*, et *rea voti* apud Virg. Ecl. V, 80: et Æn. V, 237), compos facta voti, vel ejus rei, quam optaverit et a diis precata sit, simulque hinc obligata ad votum, quod ejus rei causa fecerit et *debeat*, vel ad promissum diis, vel deo *solvendum*.— *Religione se exsolvendi*, vide ad II, 32, n. 3.

3. *Nihil de collatione dicere*, scilicet se, vel se dicere velle, quæ *verius* et potius habenda sit pro collatione voluntaria ac tenui, quam legitima, pro collatione *stipis*, exiguæ pecuniæ, vel nummulorum, quales, vel a mendicis peti, vel a sacerdotibus mendicantibus pro diis colligi et corrogari (confer Gron. de pec. vet. IV, 11 extr. ubi sacerdotes ipsos stipes diis datas accepisse et inter se partitos putabat), aut certe dari in deorum honorem ludosve faciendos, soleant (confer XXV, 12 extr. ad Tac. Ann. XIV, 15, n. 7; Cic. Leg. II, 9, 16; Plin. XXXIII, 9, seu 48; et Cuper. Obss. III, 4), *quam decumæ; quando*, quoniam, quandoquidem (ut infra cap. 27, n. 3; X, 14, n. 6; XXXVII, 57; XL, 9 pr. ubi vide Drak. et *quandoque* VIII, 7, n. 5; IX, 10, n. 6; et apud Tac. Ann. I, 57, n. 1; ubi vide not.), *ea se quisque privatim obligaverit*, ejus præstandæ obligationem quisque susceperit ipse, et singuli cives ita, si decimam retineant votam, prædamque non ex fide et religione æstiment, Apollinem fraudent (confer cap. 23 extr.); *libe-*

conscientiam non pati, quod ex ea tantum præda, quæ rerum moventium[4] *sit, decuma designetur; urbis atque agri capti, quæ et ipsa voto contineatur, mentionem nullam fieri.* Quum ea disceptatio, anceps senatui visa, delegata ad pontifices esset; adhibito[5] Camillo, visum collegio, quod ejus ante conceptum votum Veientium fuisset, et post votum in potestatem populi romani venisset, ejus partem decumam Apollini sacram esse. Ita in æstimationem urbs agerque venit: pecunia ex ærario prompta, et tribunis militum consularibus, ut aurum ex ea coemerent, negotium datum; cujus quum copia non esset, matronæ, cœtibus ad eam rem consultandam habitis, et communi decreto pollicitæ tri-

ratus autem *sit*, facta collatione, *populus* universus religione, quia, quum prædam rapuerint avari milites, antequam Apollinis decima inde detracta sit, non prædam amplius ipse æstimare, nec scire possit, qui maligne eam æstimaverint, neque etiam decimam dare ejus, quod suum non sit: non vero *se tacere* posse *de urbe atque agro capto*; hæc enim adhuc publica esse, nec dum privatis, vel singulis civibus distributa.

4. *Quæ rerum moventium* se, hoc est, mobilium *sit*, quæ contineatur iis rebus, quæ, ut Nep. Them. II, dicit, *moveri possunt*, vel, ut Liv. X, 34; et XXXIII, 13, *quæ ferri agique possunt* (vide ad III, 37, n. 4), quibus opponuntur X, 34 extr. *quæ migratu difficilia sunt*, hoc est, quæ haud facile migrant quasi, vel transferuntur: nam *migro* etiam active est migrare facio, transfero; vide ad Sil. VII, 431. — *Mentionem nullam fieri* pro, *mentio nulla fiat;* sed, quod Duk., Drak., et Stroth. jam monuere, Livius sæpe ab oratione finita transit ad infinitam, et a conjunctivo ad infinitivum. Sic XXI, 49 med. *teneri* pro *ut teneretur* (nisi suppl. *curarent*), XXXIX, 14 (ubi confer Drak.) *ædiles pl. videre* pro *ut viderent;* XLII, 66 pr. *abire* pro *ut abiret.* Confer et XXIV, 22; XXXIII, 31, 33. Talis variatio orationis nemini frequentior, quam Tacito.

5. *Adhibito* scilicet in consilium (ut VIII, 36, n. 5; et XXXIV, 35, n. 1) *Camillo, visum collegio, quod ejus,* hoc est, quantum (vide ad XXXI, 46, n. 8), scilicet agri; nam *ejus* sæpe πλεονάζειν post *quod*, v. c. infra cap. 34; XXXI, 4; XXXVIII, 23, 54; XXXIX, 7, 45, ut post *quoad* in formulis *quoad ejus fieri potest*, vel *facere possis*, etc., jam monuit Stroth. Sic et *bona, quidquid ejus* XLII, 8, n. 3. Confer Perizon. ad Sanctii Min. III, 6, n. 1 et IV, 4, n. 84. — *Ut aurum ex ea coemerent; emerent* Voss. sec. et Lovel. 3, invitis reliquis codicibus scriptis, et editis. Supra lib. II, cap. 34, *dimissis passim ad frumentum coemendum.* Ed. — *Cœtibus ad eam rem consultandam habitis; veteribus,* pro *cœtibus,* Vos. sec. et Lovel. 3; *ad eam rem consulendam* Lovel. 5. Ed.

bunis militum aurum et omnia ornamenta sua, in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime senatui unquam, fuit: honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento[6] ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur. Pondere ab singulis auri accepto æstimatoque, ut pecuniæ solverentur, crateram auream fieri placuit, quæ donum Apollini Delphos portaretur. Simul ab religione animos remiserunt, integrant seditionem tribuni plebis: incitatur multitudo in omnes principes; ante alios in Camillum: *eum prædam veientanam publicando sacrandoque ad nihilum redegisse;* absentes ferociter increpant: præsentium, quum se ultro iratis offerrent, verecundiam habent. Simul extrahi rem ex eo anno viderunt[7], tribunos plebis latores legis in annum eosdem reficiunt; et Patres hoc idem de intercessoribus legis adnisi. Ita tribuni plebis magna ex parte iidem refecti.

XXVI. Comitiis tribunorum militum Patres summa ope evicerunt, ut M. Furius Camillus crearetur; propter bella simulabant parari ducem, sed largitioni tribunitiæ adversarius quærebatur. Cum Camillo creati tribuni militum consulari potestate L. Furius Medullinus sextum, C. Æmilius, L. Valerius Publicola, Sp. Postumius, P. Cornelius iterum. Principio anni tribuni plebis nihil moverunt, donec M. Furius Camillus in Faliscos, cui id bellum mandatum erat, proficisceretur: differendo

6. *Honorem ferunt matronis habitum, ut pilento*, vehiculo Tuscæ originis, pensili, celso, quatuor rotis instructo, tecto supra, sed in lateribus aperto, *ad sacra ludosque* cum pompa, *carpentis*, vehiculis, quibus tectum arcuatum et duæ aut quatuor erant rotæ, *festo profestoque*, non festo, seu profano, scilicet die, *uterentur.* Confer XXXIV, 1, 3; Ovid. Fast. I, 619; ad Tac. Ann. IX, 42, n. 5; Heyne ad Virg. Æn. VIII, 665; Scheffer. de re vehic. II, 17, 25; Spanhem. de pr. et usu num. Diss. XI, p. 278; *Beckmann's Beyträge zur Gesch. d. Erfind.* tom. I, p. 391. — Pro *pilento*, *plaustro* quidam: prius servandum. Ed.

7. *Simul*, simul ac (ut et paulo ante), *extrahi*, differri, prolatari, *rem ex eo anno*, post hunc annum, *viderunt.*

deinde elanguit res : et Camillo, quem adversarium maxime metuebant, gloria in Faliscis crevit. Nam quum primo mœnibus se hostes tenerent, tutissimum id rati, populatione agrorum atque incendiis villarum coegit eos egredi urbe; sed timor longius progredi prohibuit. Mille fere passuum [1] ab oppido castra locant; nulla re alia fidentes ea satis tuta esse, quam difficultate aditus, asperis confragosisque circa, et partim arctis, partim arduis viis. Cæterum Camillus, captivum indicem ex agris sequutus ducem, castris multa nocte motis, prima luce aliquanto superioribus locis se ostendit. Trifariam Romani muniebant; alius exercitus prælio intentus stabat. Ibi impedire opus conatos hostes fundit fugatque; tantumque inde pavoris Faliscis injectum est, ut, effusa fuga castra sua, quæ propiora erant, prælati, urbem peterent. Multi cæsi vulneratique, priusquam paventes portis inciderent: castra capta; præda ad quæstores redacta [2] cum magna militum ira : sed, severitate imperii victi, eamdem virtutem et oderant, et mirabantur. Obsidio inde urbis et munitiones, et interdum per occasionem impetus oppidanorum in romanas stationes præliaque parva fieri : et teri tempus, neutro inclinata spe; quum frumentum copiæque aliæ ex ante convecto largius obsessis, quam obsidentibus, suppeterent: videbaturque æque diuturnus fu-

Cap. XXVI. 1. *Mille fere passuum*, ut III, 61; XXIII, 44; XXXVIII, 21, al. vide Gron. de pec. vet. I, 10. — *Confragosis viis*, inæqualibus, horridis, quæ virgultis sentibusque erant implicatæ, ut XXI, 32; XXVIII, 2; XXXII, 4. — *Castris multa nocte motis; ultima nocte* habent quædam editiones. Verum hæc lectio ex grammatici interpretatione nata videtur, quæ olim margini adscripta, perperam inde in contextum migravit, ejecta vera scriptura. Infra lib. XXXV, cap. 4, *multa nocte solitus erat movere castra.* Cic. de Senect. cap. 14, *Convivium vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus.* Ed. *Prælati*, vide ad II, 14, n. 3.

2. *Præda ad quæstores redacta*, vide ad cap. 19, n. 8. — *Per occasionem*, vide ad II, 17, n. 1.

turus labor, ac Veiis fuisset, ni fortuna imperatori romano, simul et cognitæ rebus bellicis virtutis specimen, et maturam victoriam dedisset[3].

XXVII. Mos erat Faliscis, eodem magistro liberorum et comite uti: simulque plures pueri, quod hodie quoque in Græcia manet[1], unius curæ demandabantur; principum liberos, sicut fere fit, qui scientia videbatur præcellere, erudiebat. Is quum in pace instituisset[2] pueros ante urbem lusus exercendique caussa producere; nihil eo more per belli tempus intermisso, tum, modo brevioribus, modo longioribus spatiis, trahendo eos a porta, lusu sermonibusque variatis, longius solito, ubi res dedit, progressus, inter stationes eos hostium castraque inde romana in prætorium ad Camillum perduxit[3]; ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem addidit: *Falerios se in manus Romanis tradidisse; quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum sint, in potestatem dediderit.* Quæ ubi Camillus audivit, «Non ad similem, inquit,

3. *Ni fortuna imperatori Rom. dedisset simul et, cognitæ* antea *rebus bellicis*, *virtutis specimen*, hoc est, speciminis virtutis (scilicet fidei et justitiæ) edendi occasionem, seu facultatem; *et* per hoc specimen virtutis *maturam victoriam.* (Sic *Simul et...et*, etc., ac *simul nec...nec* infra XXXII, 18 pr.) Quæ explicatio apta quidem, sed non satis expedita est. Alii *specimen* in primo casu accipiunt, et, vel particulam *et* ante *maturam* putant delendam, vel legendum: *ni fortuna imperatoris Romani simul, et cognitæ* nunc *rebus bellicis,* in bello, ac probatæ hostibus *virtutis specimen*, exemplum, vel *cognitæ re non bellica;* vel *incognitæ rebus bellicis specimen*, *ei maturam victoriam dedisset.*

Cap. XXXVII. 1. *Quod hodie quoque* (vide ad I, 26, n. 11) *in Græcia manet*, in usu est. —*Principum liberos*, etc. Conf. infr. ad XLII, 47, n. 2.—Apud Priscianum, lib. VIII, pag. 823. Alpheus Avitus, lib. II Excellentium, *Tum literator creditus Ludo Faliscum liberos, Caussatus in campi patens Extraque muri ducere, Spatiando paulatim trahit Hostilis ad valli latus.* Ed.

2. *Is quum in pace instituisset,* hoc moris habuisset, consuevisset.—*Tum,* postquam nefarium hoc consilium ceperat.

3. *Inter stationes eos hostium...perduxit;* forte legend. *intra*, vel *in*, vel *per.*— *Quando eos pueros*, etc. Conf. ad cap. 25, n. 3.

« tui nec populum, nec imperatorem, scelestus ipse « cum scelesto munere venisti. Nobis cum Faliscis, « quæ pacto fit humano, societas non est; quam in- « generavit natura[4], utrisque est, eritque. Sunt et belli, « sicut pacis, jura: justeque ea, non minus quam for- « titer, didicimus gerere. Arma habemus, non adver- « sus eam ætatem, cui etiam captis urbibus parcitur; « sed adversus armatos et ipsos, qui, nec læsi, nec « lacessiti a nobis, castra romana ad Veios oppugna- « runt. Eos tu, quantum in te fuit, novo scelere vi- « cisti: ego romanis artibus, virtute, opere, armis, « sicut Veios, vincam. » Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis, reducendum Falerios pueris tradidit: virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistratibus de re nova vocato senatu, tanta mutatio animis est injecta, ut, qui modo, efferati odio iraque, Veientium exitum pæne, quam Capenatium pacem, mallent[5], apud eos pacem universa posceret civitas. Fides romana, justitia imperatoris, in foro et curia celebrantur; consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios, proficiscuntur. Introducti ad senatum ita loquuti traduntur: « Patres conscripti, « victoria, cui nec deus, nec homo quisquam invi- « deat[6], victi a vobis et imperatore vestro, dedimus

4. *Quam ingeneravit natura*, non cujusque hominis ingenium, seu indoles, sed mater omnium rerum, quam Cicero dicit; Ern.

5. *Ut*, *qui* magistratus *modo mallent Veientium exitum*, eorum exitui similem *exitum* (al. *exitium*), finem, interitum (ut I, 48; V, 44; VI, 18; XL, 5, et al.), *quam Capenatium pacem*, quam pacem petere et impetrare, ut Capenates, de quo vide cap. 24 pr. — *Qui dederent Falerios*, vide ad I, 41, n. 3.

6. *Victoria, cui nec deus, nec homo invideat*, vide ad cap. 21, n. 10. *Invidere victoriæ*, ut *i. honori* XXXVIII,

« nos vobis; rati, quo nihil victori pulchrius est, melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris, « victuros. Eventu hujus belli duo salutaria exempla « prodita humano generi sunt : vos fidem in bello, « quam præsentem victoriam [7], maluistis : nos, fide « provocati, victoriam ultro detulimus : sub ditione « vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui « urbem patentibus portis accipiant : nec vos fidei « nostræ, nec nos imperii vestri pœnitebit. » Camillo et ab hostibus et a civibus gratiæ actæ. Faliscis in stipendium militum ejus anni, ut populus romanus tributo vacaret, pecunia imperata. Pace data, exercitus Romam reductus.

XXVIII. Camillus meliore multo laude, quam quum triumphantem alibi per urbem vexerant equi, insignis justitia fideque, hostibus victis, quum in urbem redisset, tacite ejus verecundiam non tulit senatus [1], quin sine mora voti liberaretur : crateramque auream donum Apollini Delphos legati qui ferrent, L. Valerius, L. Sergius, A. Manlius, missi longa una nave, haud procul freto siculo a piratis Liparensium excepti, devehuntur Liparas. Mos erat civitatis, velut publico latrocinio partam prædam dividere; forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior, quam suis : qui, legatorum nomen do-

47, et al. Ipsum illud, *invidere victoriæ*, occurrit apud Petron. in Satyr. c. 80, *attulissem mihi damnatas manus, si non inimici victoriæ invidissem :* et eadem forma Cic. sæpe usus est. Ed.

7. *Præsentem victoriam*, vid. ad I, 12, n. 6.

Cap. XXVIII. 1. *Quum in Urbem redisset, tacite ejus verecundiam non tulit senatus*, ut al. *tacitus*, h. e. ea nihil motus, ob eam nihil moliens, vel ita ut taceret, et rem prætermitteret silentio (cf. ad I, 50, n. 7): nisi malis cum Doeringio jungere *quum in Urbem redisset tacite*, h. e. præ verecundia, nulla mentione facta doni Delphos mittendi. — *Liparas*, confer ad XXI, 49, n. 1.—*Timasitheus*, Τιμησίθεος apud Plutarch. in Camilli vita, tom. I, pag. 133 D, sed Τιμασίθεος apud Diodor. l. XIV, p. 445. Confer Cuper. in apotheos. Hom. p. 296.

numque et deum, cui mitteretur, et doni causam veritus[2] ipse, multitudinem quoque, quæ semper ferme regenti est similis, religionis justæ implevit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum præsidio etiam navium Delphos prosequutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatusconsulto est factum, donaque publice data. Eodem anno in Æquis varie bellatum: adeo ut in incerto fuerit et apud ipsos exercitus et Romæ, vicissent, victine essent. Imperatores romani fuere ex tribunis militum C. Æmilius, Sp. Postumius. Primo rem communiter gesserunt: fusis inde acie hostibus, Æmilium præsidio Verruginem obtinere placuit, Postumium fines vastare. Ibi eum, incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem[3], adorti Æqui, terrore injecto, in proximos compulere tumulos: pavorque inde Verruginem etiam ad præsidium alterum est perlatus. Postumius, suis in tutum receptis, quum in concione advocata terrorem increparet ac fugam; fusos esse ab ignavissimo et fugacissimo hoste; conclamat universus exercitus, merito se ea audire, et fateri admissum flagitium: sed eosdem correcturos esse, neque diuturnum id gaudium hostibus fore. Poscentes, ut confestim inde ad castra hostium duceret (in conspectu erant posita in plano), nihil pœnæ recusabant, ni ea ante

2. *Doni causam*, religionem, *veritus*, reveritus, non sine reverentia respiciens; sic et lib. XXXIX, cap. 37, *Veremur quidem vos, Romani, et, si ita vultis, etiam timemus; sed plus et veremur et timemus deos immortales.* Cic. lib. I ad Quint. fratr. Epist. 3, *quem meus Cicero et amabat, ut fratrem, et jam, ut majorem fratrem, verebatur.* Ovid. lib. V, Trist. El. VI, vers. 31, *Ceditur et cæcis, et quos prætexta verendos, Virgaque cum verbis imperiosa facit.* Ed. — *Romam inde sospites restituit; hospites* in multis codicibus. Sed alibi etiam hæ voces commiscentur a librariis. Ed. — *Varie bellatum*, vide ad cap. 23, n. 1.

3. *Negligentius ab re bene gesta euntem*, vide ad I, 1, n. 5. — *Sed eosdem correcturos*, virtute et victoria emendaturos, *esse*, scilicet flagitium. Conf. XLIII, 11.

noctem expugnassent. Collaudatos corpora curare, paratosque esse quarta vigilia jubet; et hostes, nocturnam fugam ex tumulo Romanorum ut ab ea via, quæ ferebat Verruginem, excluderent[4], fuere obvii: præliumque ante lucem (sed luna pernox erat[5]) commissum est: et haud incertius diurno prælio fuit. Sed clamor Verruginem perlatus, quum castra romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut, nequidquam retinente atque obsecrante Æmilio, Tusculum palati fugerent. Inde fama Romam perlata est, Postumium exercitumque occisum. Qui, ubi prima lux metum insidiarum effuse sequentibus[6] sustulit, quum perequitasset aciem, promissa repetens, tantum injecit ardoris, ut non ultra sustinuerint impetum Æqui. Cædes inde fugientium, qualis, ubi ira magis, quam virtute, res geritur, ad perniciem hostium facta est; tristemque ab Tusculo nuntium, nequidquam exterrita civitate, literæ a Postumio laureatæ[7] sequuntur: victoriam populi romani esse; Æquorum exercitum deletum.

XXIX. Tribunorum plebis actiones quia nondum

4. *Nocturnam fugam excludere,* prohibere consilium et facultatem noctu fugiendi; ut *fugam alicui claudere* XXVII, 18; vel locum, per quem effugi potest.

5. *Luna pernox erat,* lucebat per totam noctem; ut *alea pernox luditur* apud Juven. VIII, 10. Similiter Plin. lib. II, Histor. natural. cap. 9, « Luna alias pernox, alias sera, et parte diei solis lucem adjuvans. » Ed. — *Haud incertius,* haud obscurius, ob clarum lunæ lumen; ut *incerta luna, sol,* etc. scil. respectu luminis.

6. *Effuse sequentibus* Romanis. Sed e seqq. apparet, tum nondum fugisse hostes; Duk. At confer ad IV, 18, n. 4.—*Promissa* ab exercitu (conf. n. 3) *repetens,* postulans, exigens; vel memoriam eorum repetens et militibus inculcans.

7. *Tristem ab Tusculo nuntium* Romam perlatum *sequuntur literæ laureatæ,* h. e. rerum lætarum nuntiæ; nam victoria de hoste reportata, tum literæ per tabellarios ad senatum missæ, tum militum lanceæ et pila lauri ramis involvebantur. Confer XLV, 1; Plinium, XV, 30, seu 40 pr. ibique Harduin. Appian. bell. Mithridat. cap. 77 extr. Salmas. ad Lamprid. Alexand. Sever. c. 58; Lindembrog. ad Ammian. XVI, 12; Brodæi Misc. I, 33; Gevart. lectt. Papin. V, 1.

invenerant finem, et plebs continuare latoribus legis tribunatum, et Patres reficere intercessores legis annisi sunt; sed plus suis comitiis plebs valuit: quem dolorem ulti Patres sunt, senatusconsulto facto, ut consules, invisus plebi magistratus, crearentur. Annum post quintum decimum creati consules L. Lucretius Flavus, Ser. Sulpicius Camerinus. Principio hujus anni, ferociter, quia nemo ex collegio intercessurus erat, coortis ad perferendam legem tribunis plebis, nec segnius ob id ipsum consulibus resistentibus, omnique civitate in unam eam curam conversa, Vitelliam coloniam romanam in suo agro Æqui expugnant: colonorum pars maxima incolumis, quia nocte proditione oppidum captum liberam per aversa urbis fugam [1] dederat, Romam perfugere. L. Lucretio consuli ea provincia evenit; is, cum exercitu profectus, acie hostes vicit; victorque Romam ad majus aliquanto certamen redit. Dies dicta erat tribunis plebis [2] biennii superioris, A. Virginio et Q. Pomponio; quos defendi Patrum consensu ad fidem senatus pertinebat: neque enim eos aut vitæ ullo crimine alio, aut gesti magistratus quisquam arguebat, præterquam quod, gratificantes Patribus, rogationi tribunitiæ intercessissent. Vicit tamen gratiam senatus plebis ira; et pessimo exemplo innoxii denis millibus gravis æris condemnati sunt: id ægre passi Patres. Camillus palam sceleris plebem arguere, *quæ, jam in suos versa, non*

Cap. XXIX. 1. *Per aversa urbis*, scil. loca, remotiora ab ea urbis parte, quam hostes ceperant. Cf. VIII, 26, n. 2. Sic et *aversa castra* XXII, 24, n. 7, ubi verba *a castris Hannibalis* a glossatore adjecta putant intpp., quum per se pateat, quid sint *aversa castra*; vid. ad III, 5, n. 3. Similiter *aversæ valles* (a tergo sitæ) XXVII, 41; *invadere aversum* (a tergo) *hostem*, *cornu*, etc. III, 70; IV, 27; V, 38; XXX, 9; *aversa concio* XXIV, 39.— *Lucretio ea provincia evenit*; vide ad II, 40, n. 8.

2. *Dies dicta erat tribunis plebis biennii superioris*. Conf. cap. 25, pr.

intelligeret, se pravo judicio de tribunis intercessionem sustulisse; intercessione sublata, tribunitiam potestatem evertisse. Nam, quod illi sperarent, effrenatam licentiam ejus magistratus Patres laturos, falli eos. Si tribunitia vis tribunitio auxilio repelli nequeat, aliud telum Patres inventuros esse[3]. Consulesque increpabat, quod fide publica decipi tribunos eos taciti tulissent, qui senatus auctoritatem sequuti essent. Hæc propalam concionabundus in dies magis augebat iras hominum.

XXX. Senatum vero incitare adversus legem[1] haud desistebat : *ne aliter descenderent in forum, quum dies ferendæ legis venisset, quam ut qui meminissent, sibi pro aris focisque*[2] *et deum templis ac solo, in quo nati essent, dimicandum fore. Nam quod ad se privatim attineat, si suæ gloriæ sibi inter dimicationem patriæ meminisse sit fas, sibi amplum quoque esse*[3], *urbem ab se captam frequentari, quotidie se frui monimento gloriæ suæ, et ante oculos habere urbem latam in triumpho suo*[4], *insistere omnes vestigiis laudum suarum. Sed nefas ducere, desertam ac relictam ab diis immortalibus incoli urbem; et in captivo solo habitare populum romanum, et victrice patria victam*

3. *Aliud telum Patres inventuros*, vide ad III, 50, n. 1. — *Tacite tulissent* (vide ad cap. 28, n. 1), *fide publica decipi tribunos*, v. ad XXXVIII, 25, n. 7.

Cap. XXX. 1. *Senatum incitare adversus legem*, rogationem, scil. de migrando Veios. Conf. cap. 24 sq. — *Ne aliter*, alia mente et cogitatione, *descenderent in forum*, vide ad II, 54, n. 13.

2. *Pro aris* (Penatium in impluvio) *focisque* (Larium in atrio) *dimicandum fore*, ut nos dicimus : *für Haus und Hof.* Confer IX, 12, n. 13; X, 44, n. 4; XXVIII, 42, n. 7; et Ernesti clav. Cic. voc. *ara.* — *Privatim*, vide ad IV, 48, n. 6.

3. *Sibi amplum quoque esse*, vide ad II, 9, n. 2.

4. *Urbem latam in triumpho suo*, propr. ejus imaginem : nam devictorum oppidorum, montium, populorum, regum, fluviorum simulacra in ferculis, ante currum triumphantis, portari solebant. Conf. XXXVII, 59; et ad Sil. XVII, 635 sqq. ubi fusius Scipionis triumphus describitur. — *Et cum vi-*

mutari. His adhortationibus principis[5] concitati Patres, senes juvenesque, quum ferretur lex, agmine facto in forum venerunt: dissipatique per tribus, suos quisque tribules prensantes, orare cum lacrymis cœpere, *Ne eam patriam, pro qua fortissime felicissimeque ipsi ac patres eorum dimicassent, desererent*, Capitolium, ædem Vestæ, cætera circa templa deorum ostentantes. *Ne exsulem, extorrem populum romanum ab solo patrio ac diis penatibus in hostium urbem agerent; eoque rem adducerent, ut melius fuerit, non capi Veios, ne Roma desereretur.* Quia non vi agebant, sed precibus, et inter preces multa deorum mentio erat, religiosum parti maximæ fuit[6]; et legem una plures tribus antiquarunt, quam jusserunt: adeoque ea victoria læta Patribus fuit, ut postero die, referentibus consulibus, senatusconsultum fieret, ut agri veientani septena jugera[7] plebi dividerentur; nec patribusfamiliæ tantum, sed ut omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur; vellentque in eam spem liberos tollere.

XXXI. Eo munere delenita plebe, nihil certatum est, quo minus consularia comitia haberentur. Creati consules L. Valerius Potitus, M. Manlius, cui Capitolino postea etiam fuit cognomen[1]. Hi consules magnos

otrice patria victam mutari, commutari, h. e. victam urbem fieri patriam deserta Roma victrice.

5. *His adhortationibus principis*, sc. Camilli, qui modo orationem habuerat, et vere princeps civitatis (ut Fabius, III, 1) et pace belloque tum erat, tum ita dicitur infr. VI (sed in dictatura et adjecto nomine); et VII, 1 extr. *præcipue* malebat Scheller.—*Prensantes*, vide ad II, 61, n. 4.

6. *Religiosum parti maximæ fuit*, vide ad II, 5, n. 4. — *Et legem una* (tribu) *plures tribus* (vide ad II, 7, n. 3) *antiquarunt*, v. ad IV, 58, n. 10.

7. *Septena jugera agri*, vide ad VI, 36, n. 5.—*Liberos tollere*, vide ad IV, 54, n. 6.

Cap. XXXI. 1. *M. Manlius, cui Capitolino postea etiam fuit cognomen*, quod ille multo clarius reddidit: nam familiæ eidem Manliæ illud jam antea fuit (conf. IV, 42, nisi *Vulso* forte ibi leg. pro *Capitolinus*), forsan a domo

ludos fecere, quos M. Furius dictator voverat veienti bello. Eodem anno ædes Junonis reginæ[2], ab eodem dictatore eodemque bello vota, dedicatur : celebratamque dedicationem ingenti matronarum studio tradunt. Bellum haud memorabile in Algido cum Æquis gestum est, fusis hostibus prius pæne, quam manus consererent. Valerio, quod perseverantior cædendis in fuga fuit[3], triumphus; Manlio, ut ovans ingrederetur Urbem, decretum est. Eodem anno novum bellum cum Volsiniensibus exortum : quo propter famem pestilentiamque in agro romano, ex siccitate caloribusque nimiis ortam, exercitus duci nequivit; ob quæ Volsinienses, Salpinatibus adjunctis superbia elati, ultro agros romanos incursavere. Bellum inde duobus populis indictum. C. Julius censor decessit : in ejus locum M. Cornelius suffectus : quæ res postea religioni fuit[4], quia eo lustro Roma est capta; nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur: consulibusque morbo implicitis placuit, per interregnum renovari auspicia. Itaque, quum ex senatusconsulto consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus; qui P. Cornelium Scipionem, is deinde L. Valerium Potitum interregem pro-

magnifica in Capitolio (vide VI, 20), vel quoniam tota ibi familia habitavit; at huic M. Manlio illud inditum est a defenso Capitolio; vide cap. 47. Vox *etiam* a multis libris recte, opinor, abest, nisi forte post *Manlius* excidit primum ejus cognomen *Vulso*. Quintiis etiam idem fuit cognomen : sed eo respici vix crediderim. — *Magnos ludos fecere*, etc. Confer cap. 19, et ad I, 35, n. 7.

2. *Ædes Junonis reginæ*, etc. Conf. cap. 21, 22.

3. *Quod perseverantior* (in) *cædendis* (hostibus) *in fuga fuit :* si Livius ita scripsit, prius *in* omisit, quod repetitio ejus aures offendisset. — *Volsinienses*, seu *Vulsinienses*, populus Etruriæ (vide ad Juvenal. III, 191), ut et *Salpinates*, quorum mentio quoque fit in Fragm. Fabii Pictoris. Conf. Cluver. Ital. ant. II, 3.

4. *C. Julius censor decessit : in ejus locum M. Cornelius suffectus : quæ res postea religioni fuit* (ut *religio est*, vel *religiosum est, hoc fieri;* v. ad II, 5, n. 4); *nec deinde*, etc. Cf. VI, 27; IX, 34, n. 17; XXIV, 43; XXVII, 6.

didit : ab eo creati sex tribuni militum consulari potestate; ut etiamsi cui eorum incommoda valetudo fuisset, copia magistratuum reipublicæ esset.

XXXII. Kalendis quinctilibus magistratum occepere L. Lucretius, Ser. Sulpicius, M. Æmilius, L. Furius Medullinus septimum, Agrippa Furius, C. Æmilius iterum. Ex his L. Lucretio et C. Æmilio volsiniensis provincia[1] evenit : Salpinates Agrippæ Furio et Ser. Sulpicio. Prius cum Volsiniensibus pugnatum est : bellum numero hostium ingens, certamine haud sane asperum fuit : fusa concursu primo acies in fugam : millia octo armatorum ab equitibus interclusa, positis armis, in deditionem venerunt. Ejus belli fama effecit, ne se pugnæ committerent Salpinates; mœnibus armati se tutabantur. Romani prædas passim et ex salpinati agro, et ex volsiniensi, nullo eam vim arcente, egerunt; donec Volsiniensibus fessis bello ea conditione, ut res populo romano redderent, stipendiumque ejus anni exercitui præstarent, in viginti annos induciæ datæ. Eodem anno M. Cædicius[2] de plebe nuntiavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare. Id, ut fit, propter auctoris humilitatem spretum, et quod longinqua, eoque ignotior, gens erat : neque deorum modo monita, ingruente fato, spreta; sed humanam quoque opem, quæ una erat[3], M. Furium ab urbe amovere; qui, die dicta ab L. Appuleio tribuno plebis propter prædam

Cap. XXXII. 1. *Volsiniensis provincia*, al. *Volsinienses ;* vide ad II, 40, n. 8.

2. *M. Cædicius*, Κεδίκιος ap. Suid. et Plutarch. t. I, p. 155; sed Μάρκος Καιδέκιος, ibid. tom. II, pag. 319; A. Καιδίκιος apud Appian. Gall. Exc. II, 15; Καίδικος ap. Zonar. VII, 23. *Cædicius* in fastis Capit. an. U. 497.

3. *Humanam quoque opem, quæ una erat*, pro : hominem, qui solus opem ferre poterat.—*Propter prædam veien-*

veientanam, filio quoque adolescente per idem tempus orbatus, quum, accitis domum tribulibus clientibusque (magna pars plebis erat), percunctatus animos eorum, responsum tulisset[4], *se collaturos, quanti damnatus esset, absolvere eum non posse*, in exsilium abiit; precatus ab diis immortalibus[5], *si innoxio sibi ea injuria fieret, primo quoque tempore desiderium sui civitati ingratæ facerent.* Absens quindecim millibus gravis æris damnatur.

XXXIII. Expulso cive, quo manente, si quidquam humanorum certi est, capi Roma non potuerat; adventante fatali urbi clade, legati ab Clusinis veniunt, auxilium adversus Gallos petentes. Eam gentem traditur fama[1], dulcedine frugum maximeque vini, nova tum voluptate, captam, Alpes transisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse; et invexisse in Galliam vinum illiciendæ gentis causa Aruntem Clusinum, ira corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipse, præpotente juvene, et a quo expeti pœnæ, nisi externa vis quæsita esset, nequirent: hunc transeuntibus Alpes ducem, auctoremque Clusium oppugnandi fuisse. Equidem haud abnuerim, Clusium Gallos ab Arunte, seu quo alio Clusino, adductos; sed eos, qui oppugnaverint Clusium, non fuisse, qui primi Alpes transierint, satis constat: ducentis quippe annis ante[2], quam Clusium oppugnarent, urbemque

tanam, cujus decimam partem Apollini voverat. Confer cap. 23 et 25.

4. *Quum responsum tulisset*, accepisset. Confer ad I, 50, n. 7.

5. *Precatus ab diis immortalibus*, etc. ut olim Achilles ap. Homer. Il. α, 340 seq. et 407 seq. Confer Suid. ὁ Κάμιλλος εὔξατο τὴν Ἀχίλλειον εὐχὴν, etc. Ed.—*Absens quindecim millibus gravis æris damnatur:* eamdem summam memorant Plutarch. in vita Camilli, pag. 135, et Zonar. VII, 22; sed multo majorem Appianus de rebus Ital. fragment. VIII.

Cap. XXXIII. 1. *Eam gentem traditur fama*, etc. Conf. Plutarch. t. I, p. 135, 136, ubi *Lucumonis* (v. ad I, 8, n. 2) *tutor* dicitur Ἄῤῥων Τυῤῥηνός. —De *Clusio* vide ad II, 9, n. 1.

2. *Ducentis quippe annis ante*, etc.

Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt : nec cum his primum Etruscorum, sed multo ante cum iis, qui inter Apenninum Alpesque incolebant, sæpe exercitus gallici pugnavere. Tuscorum ante romanum imperium late[3] terra marique opes patuere : mari supero inferoque, quibus Italia insulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina sunt argumento; quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadria Tuscorum colonia, vocavere italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii in utrumque mare vergentes incoluere urbibus duodenis terras : prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Appenninum, totidem, quot capita originis erant, coloniis missis : quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usque ad Alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rætis[4] : quos loca ipsa efferarunt, ne quid

Conf. cap. seq. — *Nec cum his* Clusinis... *cum iis* Etruscis *qui inter Apenninum Alpesque incolebant*, conf. ad I, 1, n. 3; I, 8, n. 2; et Schweigh. ad Polyb. II, 17, n. 1.

3. *Tuscorum ante roman. imperium late*, etc. Confer ad I, 8, n. 2, et de toto h. l. classico Heyn. Opusc. Acad. t. V, pag. 402 sq. — *Mari supero*, sive *Hadriatico*, inter Italiam et Epirum, trans Apenninum, ab *Hadria*, vel Venetorum, vel Piceni opp. (hodie *Atri*) sic dicto; et *infero*, seu *Tusco* et Tyrrheno. *Mare Adriaticum* (ita forte rectius scribitur) alii ab Adria flumine (v. Steph.), alii vero ab Adria, Jasonis filio dictum putant. Cf. Schweigh. ad Polybium, II, 14, n. 4. — *Quantum potuerint*, valuerint, polluerint, quam potentes fuerint, ut VIII, 22, n. 3; XXIII, 46, n. 4; XXVIII, 7, n. 14; XXXI, 31, n. 10; XXXIV, 62, n. 6.

4. *Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est;* ita editum Romæ an. 1472, ac Parmæ. Post eas autem editiones ita iterum vulgavit Ascensius anno 1513, quum mediæ, quas vidimus, perperam legerent *Alpinis quoque ea tangentibus*. Cum Ascensio autem sentiunt omnes scripti, nisi quod, *Alpinis ea quoque gentibus*, alio ordine habeat Lovel. 2. Ed. — *Maxime Rætis*, confer Plin. III, 20, seu 24, et Justin. XX, 5. Vulgo scribitur *Rhæti* et *Rhætia*. Sed vide Drakenb. ad h. l. Ryck. et Wolf. ad Tac. Ann. I, 44, ubi monet in lapidibus optimis plurimisque illud *h* non legi, et *Rhenum* quidem obverti posse; verum in talibus non germanicam (nedum græcam) originem, sed Romanorum consuetudinem

ex antiquo, præter sonum linguæ, nec eum incorruptum, retinerent.

XXXIV. De transitu in Italiam Gallorum[1] hæc accepimus. Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia est, penes Bituriges summa imperii fuit: ii regem Celtico dabant: Ambigatus is fuit, virtute fortunaque quum sua, tum publica, præpollens, quod imperio ejus Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse jam, exonerare prægravante turba regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum, sororis filios, impigros juvenes, missurum se esse, in quas dii dedissent auguriis sedes, ostendit: quantum ipsi vellent numerum hominum, excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati[2] Hercynii saltus: Belloveso haud paulo lætiorem in Italiam viam dii dabant: is, quod ejus ex populis abundabat[3], Bituriges, Arvernos, Senones,

spectandam esse. — *Quos loca ipsa efferarunt*, confer ad IX, 13, n. 2. Mox *ex antiquo* absolute et substant. dictum pro omnibus iis, quæ ipsis antiquitus inessent. Confer ad XXXIII, 40, n. 4.

Cap. XXXIV. 1. *De transitu in Italiam Gallorum* confer ad XXI, 38, et Polyb. II, 17 sq.—*Ii regem Celtico dabant*, scilic. populo; nisi *Celticum* olim dictum, ut *Noricum*, *Geticum*, *Illyricum*, *Celticum*, etc. Conf. Gron. Obss. II, 3 extr. — *Imperio ejus*, eo imperante, ut *principatu ejus* apud Plin. VII, 3; XXIX, 1; *tribunatu* ap. Suet. Cæs. V, Vesp. II; *consulatu*, etc. —*Prægravante turba*, v. ad XXXVIII, 25, n. 5.

2. *Tum Sigoveso sortibus dati*, etc. Confer ad I, 35, n. 5.

3. *Is, quod ejus ex populis abundabat*, scil. Ambigati; quæ tamen Doeringii ratio dura est. In MSS optimis legitur *ejus;* in ed. Junt. *ei;* in plerisque edd. antt. *eis*, seu *iis ex populis*, scilicet qui mox memorantur; et in multis codd. *quod ea gens p. a.* scil. Italia, quam hinc multitudine suorum succinctus petiit, quod arrisit Gron. qui etiam conj. *quod septem ex p. a.* Confer tamen supra ad cap. 25, n. 5. — Mox *Santones* substituendi videbantur Sigonio pro *Senonibus*, qui c. 25, *recentissimi advenarum* dicuntur. — *Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas haud equidem miror. Appositæ erant* Fragm. Hav. et Lovel. 2 a manu prima. Sed solent hæc verba confundere librarii. Deinde *inexsuperabiles minus haud equidem miror* Leid. sec. præterea *inexpugnabiles* editt. ante Aldum, qui alterum rece-

Æduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, excivit; profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricastinos venit. Alpes inde oppositæ erant, quas inexsuperabiles visas haud equidem miror, nulla dum [4] via (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet [5]) superatas. Ibi quum velut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentque, quanam per juncta cælo juga in alium orbem terrarum transirent, religio etiam [6] tenuit, quod allatum est, advenas quærentes agrum ab Salyum gente oppugnari; Massilienses erant hi, navibus a Phocæa profecti [7]: id Galli fortunæ suæ omen rati adjuvere, ut, quem primum in terram egressi occupaverant, locum patentibus silvis communirent [8]: ipsi per Taurinos saltusque invios Alpes transcenderunt; fusis-

pit, concinentibus omnibus scriptis. Vid. vol. I Cæs. nostri, p. 486, sqq. Ed.

4. *Nulla dum via*, nulla adhuc via, nondum ulla via (ut VII, 33, n. 5, et XXIX, 11 pr.), *superatas, quod*, quantum, *quidem continens sit memoria*, hoc est, memoria contineat, ut XXVIII, 44 extr. *pertinens sit* pro *pertineat*, de quo vide Obss. Miscell. tom. III, p. 395, et Davis. ad Cicer. Nat. Deor. IV, 44; Doer.

5. *Nisi de Hercule* Graio *fabulis credere libet*, qui Geryone cæso primus hanc Alpium partem transiisse, et in Italiam venisse fingitur: et unde *Alpes Graias* (ubi nunc mons Bernardi, ut creditur) dictas putant. Cf. XXI, 41; ad Nep. Hann. 3; Plin. III, 17, seu 21; et ad Sil. II, 356; III, 91, 496; IV, 4; XI, 218. — *Quanam*, via.

6. *Religio etiam*, non sola montium altitudo, *tenuit*, retinuit eos reputantes, a se, qui novas sedes quærerent, alios idem facientes, adjuvandos esse. — *Allatum est*, auditum, nuntius allatus. Sed XXIII, 27, n. 4, *allatum est*, scil. mandatum, *ut*, etc.

7. *Massilienses erant hi* advenæ, *navibus a Phocæa*, Ioniæ opp. in Asia *profecti*. Al. *Phocide*, errore antiquo (vide Justin. XXXVII, 1; XLIII, 1; et Lucan. III, 340; IV, 256) et vulgari. Confer XXXIV, 9 pr. Strab. IV, 4 sq. p. 179 sq. Herodot. I, 142; Plin. III, 4; ad Sil. I, 335; IV, 52. — Habent multi, *in navibus profecti;* sed in hanc lectionem haud immerito invectus est celeb. Rhenanus: legimus cum illo et optimis editt. *Massilienses erant hi, navibus*, etc. τὸ *hi* eodem modo dictum, quo paulo ante hoc cap. *Ambigatus is fuit*. Ed. — *Salyes*, Rhodanum et mare mediterraneum accolentes, qui cap. 35 pr. *Salluvii*, et Flor. III, 2; *Salyi* dicuntur. Confer Strab. l. l. et Drakenb. inf. ad Epit. LX pr. et LXI pr. Epit. LXI. — *Adjuvere*, scil. Massilienses.

8. *Locum* late *patentibus silvis communirent*, h. e. arboribus earum con-

que acie Tuscis haud procul Ticino flumine, quum, in quo consederant, agrum insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Æduorum [9], ibi, omen sequentes loci, condidere urbem : Mediolanum appellarunt.

XXXV. Alia subinde manus Cenomanorum [1], Elitovio duce vestigia priorum sequuta, eodem saltu, favente Belloveso, quum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt (locos tenuere Libui [2]) considunt : post hos Salluvii [3], prope antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. Pen-

gestis et objectis, Doer. — *Taurini*, seu Taurisci ad radices Alpium in hod. Pedemontio, quorum caput *Augusta Taurinorum*, prius dicta Taurasia et hod. *Turin*, ubi Padus Duriam recipit. Cæterum lectio h. l. debetur Drak. In antt. edd. *saltusque Juliæ Alpis*, in aliis e conj. Rhen. *ipsi Taurino saltu invias Alpes :* in MS Lips. *saltus qua mlie ante Alpes ;* unde Lips. in Epist. ad Belgas I, 93 conj. *saltus, qua minime altæ Alpes*, vel *qua inviæ ante Alpes*.

9. *Cognomine* (quod est adject.) *Insubribus pago*, δήμῳ, *Æduorum*, vide ad III, 15, n. 16. *Insubres*, seu Insubri et *Boii*, potentissimi Galliæ Cisalpinæ populi. Illorum oppida *Mediolanum*, *Laus Pompeia* (hodie *Lodi*), *Acerræ*, etc. horum *Parma*, *Mutina* (hod. *Modena*), *Bononia* (hod. *Bologna*), *Regium Lepidi* (hod. *Reggio*), *Nuceria* (hod. *Luzara*), *Brixellum*, al. —Pro *Mediolanum, Mediolanium* Florent. Harlei. pr. et Hearnii Oxonienses. Ed.

Cap. XXXV. 1. *Alia subinde*, paulo post, *manus Cenomanorum* (non *Cænomanorum :* nam Κενομάνοι dicuntur Polyb. II, 17 ; Plin. III, 19, et Ptol.) quorum caput *Brixia*, hodie *Brescia* (vide XXXII, 30), unde *Brixiani Galli* XXI, 25. — *Vestigia priorum*, scilic. Gallorum. — *Eodem saltu* Taurino.—Pro *Cenomanorum*, *Germanorum* ferunt omnes codices, non nostri tantum, sed etiam quinque Oxonienses, quos *Hearne* adhibuit, et tres Vaticani optimæ notæ, quos consuluit Dominic. Georgius. Vide eum de antiq. Italiæ metropolibus cap. 11 ; sed consentiunt viri docti, lectionem vitiosam, eique substituendum esse *Cenomanorum*, quod jam Basileenses anno 1555, ac Sigonius receperunt. Ed.

2. *Locos tenuere Libui*, qui et ita dicuntur XXI, 38, et XXXIII, 37 ; sed rectius *Libici*, ut Plin. III, 17, 21 ; Ptol. III, 1 ; et Λεβέκιοι Polyb. II, 17, ubi vide Schweigh. Eorum oppida Vercellæ et Laumellum, hodie *Vercelli* et *Lumello*. Sed aliæ illis sedes assignari videntur inf. XXI, 38. Conf. paulo infra, n. 4.

3. *Post hos Salluvii* (vide ad c. 34, n. 7, et mox not. 4), considunt, *prope Lævos antiquam gentem* Ligustinam, cujus oppida fuere *Ticinum* (hod. *Pavia*) et Novaria. Galli vero ubivis ejectarum nomina adsciscunt. *Lævi* dicuntur *Levi* Plin. III, 17, n. 21 ; et Λάοι Polyb. II, 17.

nino deinde Boii Lingonesque transgressi[4], quum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros, agro pellunt : intra Apenninum tamen sese tenuere. Tum Senones, recentissimi advenarum, ab Utente flumine[5] usque ad Æsim fines habuere. Hanc gentem Clusium, Romamque inde, venisse comperio : id parum certum est, solamne, an ab omnibus Cisalpinorum Gallorum populis adjutam. Clusini, novo bello exterriti, quum multitudinem, quum formas hominum

4. *Pennino* (parte Alpium, de qua vide infr. XXI, 38) *deinde Boii Lingonesque transgressi*, ut *Rheno transgredi* apud Tacit. Annal. XII, 27. De *Boiis* vide ad c. 34, n. 9. *Lingonum* oppida *Forum Livii* (hod. *Forti*), *Ravenna*, *Faventia* (hod. *Faenza*), *Mutilum* (hod. *Medoli*), *Cæsena*, *Forum Allieni* (hod. *Ferrara*), *Solona*, et al. Cæterum non male hunc locum ita emend. Jac. Gron. « *ubi nunc Brixia et Verona urbes sunt, locos tenuere. Libui continue et post hos Salassi prope*, vel *præter* (h. e. juxta) *antiquam gentem Lævos Ligures incolentes citra Ticinum amnem Pennino : deinde Boii Lingonesque transgressi*, etc. Lævi Ligures, antiqua in illo tractu gens, tenuere locum suum pristinum; et ad horum latus versus Ticinum amnem demiserunt se ab Alpibus Libici, seu Libyi, pertinentes usque ad Ticinum, quum alteram ejus ripam possiderent Insubres (confer cap. 34 extr.), ut sic *citra* id flumen manserint. Jam vero juxta Lævos considerunt versus montana Alpium Salassi, vel pigritia transeundi ac procedendi, ut postea fecerunt Boii Lingonesque, vel non tam numerosi, ut Lævi Libicique impedientes cogi ab iis potuerint ad concedendum transitum. Salassos enim super Lævos et Libicos habitasse, affirmat præter alios ipse Livius inf. XXI, 38; ex quo loco etiam patet, vocem *Pennino* justius ad præcedd., quam ad seqq. componi; quum verisimile non sit, tanta aberratione Boios vagatos fuisse, ut Pennini transitum petierint, quum in promptu esset recta per Tridentinum jugum via, quam postea etiam sequuti sunt Cimbri, et quæ protenus eos deduxit ad Etruscos et Umbros. Igitur Salassi tum supra se habuerunt montem Penninum, tum infra se Lævos et Libuos, quod unum h. l. desiderari potest. Salluvii vero, seu Salyi in hac regione prorsus censeri nequeunt, ut recte ostendit Cluverius; quum appareat satis ex Polybio et Livio, Lævos, vel Libicos semper mansisse prope ortus Padi sedis suæ prioris potentes, ut Salluvii dici nequeant Lævos et Ligures circa Ticinum agro pepulisse. »

5. *Ab Utente flumine*, Ravennam ab septemtr. alluente (hodie *Montone*), *usque ad Æsim* flumen (hodie *Esino*, seu *Gesano*), qui Æsim oppid. (*Jesi*) præterfluit, et Picenum dirimit ab Umbria, nec longe ab Ancona in mare influit. *Ufente* quidam ferunt : male. Ed. — *Id parum certum est, solamne an... adjutam;* immo *solane an ad-*

invisitatas cernerent et genus armorum, audirentque sæpe ab iis, cis Padum ultraque, legiones Etruscorum fusas; quanquam adversus Romanos nullum eis jus societatis amicitiæve erat, nisi quod Veientes consanguineos adversus populum romanum non defendissent, legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misere. De auxilio nihil impetratum: legati tres M. Fabii Ambusti filii missi, qui senatus populique romani nomine agerent cum Gallis, ne, a quibus nullam injuriam accepissent, socios populi romani atque amicos oppugnarent: Romanis eos bello quoque, si res cogat, tuendos esse: sed melius visum, bellum ipsum amoveri, si posset; et Gallos, novam gentem, pace potius cognosci, quam armis.

XXXVI. Mitis legatio, ni præferoces legatos Gallisque magis quam Romanis similes habuisset: quibus, postquam mandata ediderunt in concilio Gallorum, datur responsum : *Etsi novum nomen audiant Romanorum, tamen credere viros fortes esse, quorum auxilium a Clusinis in re trepida sit imploratum: et, quoniam legatione adversus se maluerint, quam armis, tueri socios, ne se quidem pacem, quam illi afferant, aspernari, si Gallis, egentibus agro, quem latius possideant, quam colant, Clusini partem finium concedant: aliter pacem impetrari non posse, et responsum coram Romanis accipere velle: et, si negetur ager, coram iisdem dimicaturos, ut nuntiare domum possent, quantum Galli virtute cæteros mortales præstarent. Quodnam id jus esset, agrum a possessoribus petere, aut minari arma*, Romanis quæren-

juta, sc. venerit; Bauer.—*Invisitatas*, vide ad IV, 33, n. 1.—*Quanquam adversus Romanos* (confer ad XLV, 8, n. 2, et Gronov. Obss. II, 20) *nullum eis jus societatis*, etc. ita et Dio Cass. in Fragm. apud Ursin. pag. 373, t. I, p. 58, edit. Reim. non vero Appian. Gall. Exc. 2.

tibus, et, *quid in Etruria rei Gallis esset?* quum illi, *se in armis jus ferre*, et, *omnia fortium virorum esse*, crociter dicerent, accensis utrimque animis ad arma discurritur, et prælium conseritur. Ibi, jam urgentibus romanam urbem fatis, legati contra jus gentium arma capiunt: nec id clam esse potuit, quum ante signa Etruscorum tres nobilissimi fortissimique romanæ juventutis pugnarent: tantum eminebat[1] peregrina virtus! Quin etiam Q. Fabius, evectus extra aciem equo, ducem Gallorum, ferociter in ipsa signa Etruscorum incursantem, per latus transfixum hasta, occidit; spoliaque ejus legentem Galli agnovere, perque totam aciem, romanum legatum esse, signum datum est. Omissa inde in Clusinos ira, receptui canunt, minantes Romanis: erant, qui extemplo Romam eundum censerent; vicere seniores, ut legati prius mitterentur questum injurias, postulatumque, ut pro jure gentium violato Fabii dederentur. Legati Gallorum quum ea, sicut erant mandata, exposuissent, senatui nec factum placebat Fabiorum, et jus postulare barbari videbantur: sed, ne id, quod placebat, decerneret in tantæ nobilitatis viris[2], ambitio obstabat. Itaque, ne penes ipsos culpa esset cladis forte gallico bello[3] acceptæ, cognitionem de postulatis Gallorum ad populum re-

Cap. XXXVI. 1. *Tantum eminebat peregrina virtus*, romana inter Clusinos. — *Q. Fabius, evectus extra aciem;* Fabii prænomen omittitur in Leid. sec. quod tamen requiri putamus, ut distinguatur a duobus fratribus, qui simul legati missi erant. Idem prænomen ei tribuitur infra lib. VI, c. 1. Ed. —*Per latus transfixum hasta, occidit: perlustrans fixum hasta, occidit* primæ editiones, quod sine sensu. Aldus edidit *per latus transfixum*. Ed. — *Signum datum est*, vide ad IV, 39, n. 1.

2. *Ne id decerneret in tantæ nobilitatis viris*, viros (conf. XXVI, 2; XXVIII, 43; et Ruhnken. ad Vellei. II, 23), *ambitio obstabat*, studium gratificandi Fabiis; vide ad II, 27, n. 5, et IV, 31, n. 4; *decerneret*, scilic. senatus; nisi leg. *decernerent*, vel *decerneretur*.

3. *Cladis, forte gallico bello acceptæ*, si forte accepta esset, vel olim acciperetur. Confer ad IX, 18, n. 3;

jiciunt: ubi tanto plus gratia atque opes valuere, ut, quorum de pœna agebatur, tribuni militum consulari potestate in insequentem annum crearentur. Quo facto haud secus quam dignum erat, infensi Galli, bellum propalam minantes, ad suos redeunt. Tribuni militum cum tribus Fabiis creati, Q. Sulpicius Longus, Q. Servilius quartum, Ser. Cornelius Maluginensis.

XXXVII. Quum tanta moles mali instaret, (adeo obcæcat animos fortuna, ubi vim suam ingruentem refringi[1] non vult!) civitas, quæ adversus Fidenatem ac Veientem hostem aliosque finitimos populos, ultima experiens auxilia, dictatorem multis tempestatibus dixisset, ea tunc, invisitato atque inaudito hoste ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente, nihil extraordinarii imperii aut auxilii quæsivit. Tribuni, quorum temeritate bellum contractum erat, summæ rerum præerant: delectumque nihilo accuratiorem, quam ad media bella[2] haberi solitus erat (extenuantes etiam famam belli); habebant. Interim Galli, postquam accepere, ultro honorem habitum violatoribus juris humani, elusamque legationem suam esse, flagrantes ira, cujus impatiens est gens[3], confestim signis convulsis, citato agmine iter ingrediuntur. Ad quorum prætereuntium raptim tumultum quum exterritæ

XXVII, 45, n. 2; XXXI, 7, n. 1; et Drak. ad VI, 4, n. 7; *ad populum rejiciunt*, cf. ad II, 22, n. 4.—*Dignum*, vide ad I, 14, n. 2.

Cap. XXXVII. 1. *Vim suam ingruentem refringi*, frangi, infringi, retundi, repelli. Poeticum esse monet Bauer. coll. Hor. Od. III, 3, 28. — *Restringi*, Palatin. sec. Lovel. 1, 4, Harlei. uterque, et Haverk. *Exstingui*, Leid. sec. sed omnes male. Cæsar Bel. Gal. lib. VII, cap. 56, *disposito equitatu, qui vim fluminis refringeret.* Ita *refringere opes Teutonicas*, Propert. lib. III, Eleg. II, vers. 43. *Refringere* et *restringere* etiam alibi in MSS commutantur. Ed.

2. *Ad media bella*, vide ad II, 49, n. 6. — *Ultro honorem habitum*, vide ad I, 5, n. 6, et XXI, 28, n. 6.

3. *Ira, cujus impatiens est gens* revocavi e MSS et vett. edd. pro *impotens*, quod vulgo editum ex emend. Rhenani. *Impatiens iræ* eodem sensu

urbes ad arma concurrerent, fugaque agrestium fieret, Romam se ire, magno clamore significabant; quacumque ibant, equis virisque [4] longe ac late fuso agmine immensum obtinentes loci. Sed, antecedente fama nunciisque Clusinorum, deinceps inde aliorum populorum [5], plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit: quippe quibus, velut tumultuario exercitu raptim ducto, ægre ad undecimum lapidem [6] occursum est, qua flumen Allia, Crustuminis montibus præalto defluens alveo, haud multum infra viam tiberino amni miscetur. Jam omnia contra circaque hostium plena erant, et nata in vanos tumultus gens [7], truci cantu clamoribusque variis, horrendo cuncta compleverant sono.

XXXVIII. Ibi tribuni militum, non loco castris ante capto, non præmunito vallo, quo receptus esset, non Deorum saltem, si non hominum, memores, nec auspicato [1], nec litato, instruunt aciem deductam in cor-

dicitur etiam Ovid. Met. XIII, 3, ubi vide Heins. Confer ad Tacit. Annal. VI, 48, 8.

4. *Equis virisque*, equitatu et peditatu, ut XXI, 27 pr. XXVI, 5, et al. Sic et passim *equi* pro *equitibus*. Cf. ad VI, 24, n. 7, et Ernesti clav. Cic.

5. *Deinceps inde aliorum populorum*, vide ad I, 21, n. 8. — *Tumultuario exercitu*, vide ad I, 37, n. 4.

6. *Ad undecimum lapidem* (vid. ad II, 11, n. 3) *occursum est, qua flumen Allia*, etc. Pugnatum est XV Kal. Sextiles, diesque ille a loco pugnæ *Alliensis* est dictus, et inter atros, ut postea *Cannensis*, relatus. Eodem quoque CCC Fabii ad Cremeram cæsi sunt; vide VI, 1, et conf. Plutarch. Camill. p. 137, et Diodor. lib. XIV, p. 454.

7. *Nata in vanos tumultus gens*, natura ad eos apta, ut πεφυκώς. Sic et *loca nata insidiis* XXII, 4; XXIV, 4; XXXVI, 17; *loca nata ad equestrem pugnam* XXII, 44; *ita natus locus* IX, 2, n. 4, aliaque *nata* dicuntur, quæ natura sic comparata sunt, non arte, vel casu facta. Conf. ad IV, 15, n. 2; XXIV, 42, n. 3; XXIX, 19, n. 2; XXXIX, 1, n. 2.

Cap. XXXVIII. 1. *Nec auspicato* (vide ad c. 21, n. 1), *nec litato*, non facto sacrificio, et quidem h. l. læto, *sine litatione* (XXVII, 33, n. 3): nam *litatio sacrificans, et hostia litare* et *perlitare* (VII, 8; XXXVI, 1; XLI, 14, 15, quo simul multitudo hostiarum cæsarum innui videtur), vel *victimis litari* dicebatur, non modo quum sacrificaretur, sed etiam proprie quum in hostiis bona exta, vel in his indicia numinis placati invenirentur; unde *sacrificare usque ad litationem* est ma-

nua[2], ne circumveniri multitudine hostium possent: nec tamen æquari frontes poterant[3], quum extenuando infirmam et vix cohærentem mediam aciem haberent. Paullum erat ab dextera editi loci, quem subsidiariis repleri placuit; eaque res, ut initium pavoris ac fugæ, sic una salus fugientibus fuit. Nam Brennus, regulus Gallorum, in paucitate hostium artem maxime timens, ratus ad id captum superiorem locum, ut, ubi Galli cum acie legionum recta fronte concurrissent, subsidia in aversos transversosque impetum darent, ad subsidiarios signa convertit: si eos loco depulisset, haud dubius, facilem in æquo campi[4] tantum superanti multitudini victoriam fore: adeo non fortuna modo, sed ratio etiam, cum barbaris[5] stabat! In altera acie

ctare plurimas victimas, donec læta reperiantur exta, et non *inventa*, vel *impetrata pace deum* VI, 1, n. 7; et XXVII, 23, n. 3; id. qd. h. l. *non litato*. Conf. ad I, 16, n. 4; VII, 8, n. 3; VIII, 9; IX, 14; XXIII, 36 extr. XXVII, 23; XLI, 14, n. 3; XLI, 15, n. 4; et Schwarz. ad Plin. Pan. c. 52, p. 226.

2. *Aciem deductam in cornua*, extentam perpetua serie in longitudinem, et ita quasi *extenuatam*, parum densam, longiorem quam latiorem, ut *longum agmen deducere* apud Frontin. Strateg. I, 6, n. 3; quæ dictio petita est a filis deductis, vel a lana ex colo decerpta et formata, aut deducta in longa ac tenuia fila; unde *deductum* est tenue, v. c. *carmen*, *nasus*, *vox*, et *tenui deducta poemata filo* apud Horat. Ep. II, 1, 225. Cf. Drak. ad h. l. et Heyn. ad Virg. Ecl. VI, 5. *Diductam* al., h. e. distractam; « et *diductam* h. l. recte habet; diducenda enim et utroque expandenda, ex medioque separanda ac scindenda acies erat, ut cornua dilatarentur. Utrumvis autem legeris, intell. partic. ac si foret: ita ut diducerent, vel deducerent. » Bauer.

3. *Nec tamen æquari frontes poterant*, romana hostili, conf. ad III, 62, n. 6. De *subsidiariis* v. ad II, 20, n. 2.

4. *In æquo* (loco) *campi*, in æquo campo, in ejus planitie. Sic passim *in æquum*, *in æquo*, *in arcto*, sc. loco (ut ἐν στενῷ apud Polyb. XI, 33), XXVI, 17, n. 3; XXVII, 39, n. 11; XXVIII, 33, n. 3; *in planum*, *in tutum* (XXXVI, 29), *in* et *ex aperto*; vide ad XXI, 32, n. 7. Similiter *opportuna*, scilic. loca XXV, 30, n. 5; *angusta*, *ardua*, *aperta*, *arcta*, *aspera*, *avia*, *devia*, *plana*, *excelsa* et alia passim obvia. Conf. ad IV, 27, n. 1.— *Multitudini* suæ, vel suarum copiarum *tantum superanti* romanam, vel abundanti. Al. *superante multitudine*, vel (*tantum superant multitudine*) eodem sensu. Confer ad VIII, 10, n. 1.

5. *Ratio etiam* (ars, consilia bellica, *Plan;* Bauer.) *cum barbaris stabat*,

nihil simile Romanis, non apud duces, non apud milites, erat: pavor fugaque occupaverat animos[6], et tanta hominum oblivio, ut multo major pars Veios, in hostium urbem, quum Tiberis arceret, quam recto itinere Romam ad conjuges ac liberos fugerent. Parumper subsidiarios tutatus est locus: in reliqua acie simul est clamor, proximis ab latere, ultimis ab tergo, auditus, ignotum hostem prius pæne quam viderent, non modo non tentato certamine, sed ne clamore quidem reddito, integri intactique[7] fugerunt. Nec ulla cædes pugnantium fuit: terga cæsa suomet ipsorum certamine in turba impedientium[8] fugam. Circa ripam Tiberis, quo armis abjectis totum sinistrum cornu defugit[9], magna strages facta est: multosque, imperitos nandi, aut invalidos, graves loricis aliisque tegminibus, hausere gurgites: maxima tamen

erat iis et cum illis; vide ad VIII, 34, n. 1. — Sine τῷ *etiam*, Leid. sec. et Voss. pr. quorum posterioris tamen margini adscriptum est. Ed.

6. *Pavor fugaque occupaverat animos*, fugæ tantum cogitatio, cura, fugiendi voluntas: syllepsis et in verbo *occupandi*, quod datum est voc. *pavoris*; Bauer.—*Hominum oblivio*, h. e. conjugum liberorumque, ut initio cap. *non hominum memores;* Stroth. Sed ita Livius dixisset *suorum*, et supra *homines* sunt milites, quibus præerant duces et quorum saluti consulendum erat. Supplendum potius *erat* suadente Bauero, aut vox *hominum* post *animos* ponenda. Sed recte, opinor, Gronov. pro *hominum* conj. *omnium*, scilic. rerum. — *Simul*, simul ac, *est clamor* hostium a *proximis auditus*. — Simul atque clamorem, quasi ab latere venientem proximi, quasi ab tergo venientem ultimi accepere. Ed.

7. *Integri intactique fugerunt*, vide ad II, 12, n. 11. — *Nec ulla cædes pugnantium fuit;* sensus est, nullos in prælio cæsos fuisse; sed, quicumque perierunt, in fuga interfectos esse. Ed.

8. *Terga cæsa* eorum, qui *suomet ipsorum certamine*, dum certatim fugerent, et quisque primus fugientium esse cuperet, *in turba*, in agmine confuso, *fugam impediebant*. Cf. ad VI, 8, n. 2.

9. *Sinistrum cornu defugit*, fuga declinavit; Ern. Gronovius emend. *diffugit*, quia *defugere* sit vitare, recusare. « Quod miror: neque enim *diffugiunt* huc et illuc passim fugiendo palati milites dilapsique, sed omnes simul, catervatim, unum in locum *defugerunt*, ad ripam e montibus, inferiorem locum fuga descenderunt: etsi fateor, parum frequens hoc usu vocabulum illud esse. » Bauer. Idem monet, non eosdem fuisse *invalidos* et *graves loricis*, uti nec eosdem *invalidos* et *imperitos nandi*, sed tria submersorum genera, tres intereundi causas memo-

pars incolumis Veios perfugit; unde non modo præsidii [10] quidquam, sed ne nuntius quidem cladis, Romam est missus. Ab dextro cornu, quod procul a flumine et magis sub monte steterat, Romam omnes petiere, et, ne clausis quidem portis urbis, in arcem confugerunt.

XXXIX. Gallos quoque velut obstupefactos miraculum victoriæ tam repentinæ tenuit: et ipsi pavore defixi [1] primum steterunt, velut ignari, quid accidisset: deinde insidias vereri; postremo cæsorum spolia legere, armorumque cumulos, ut mos eis est, coacervare. Tum demum, postquam nihil usquam hostile cernebatur, viam ingressi, haud multo ante solis occasum ad urbem Romam perveniunt: ubi quum prægressi equites, non portas clausas, non stationem pro portis excubare, non armatos esse in muris, retulissent; aliud priori simile miraculum [2] eos sustinuit; noctemque veriti, et ignotæ situm urbis, inter Romam atque Anienem consedere, exploratoribus missis circa mœnia aliasque portas, quænam hostibus in perdita re consilia essent. Romani, quum pars major ex acie Veios petisset, nemo superesse quemquam præter eos, qui Romam refugerant, crederet, complorati [3] omnes,

rari, et vix esse, quin *aut* ante *graves* exciderit. — *Diffigit* unus: male. Ed.

10. *Unde non modo* non *præsidii*, vide ad I, 40, n. 1.

Cap. XXXIX. 1. *Et ipsi* (forte *ipso*) *pavore defixi*, vide ad III, 47, n. 9. De *pavore* vide ad Silium, III, 215. — *Armorum cumulos, ut mos eis est, coacervare*, confer Cæs. Bell. Gall. VI, 17; et Flor. II, 4, 5; ibique Duker.

2. *Aliud priori simile miraculum*, res mira et incredibilis, simulque admiratio ejus, ut paulo ante *miraculum victoriæ, eos sustinuit*, ab itinere continuando retinuit. Confer ad II, 44, n. 6. — *Ignotæ situm urbis* pro *ignotum situm*; vide ad I, 1, n. 6.

3. *Romani*, qui in alliensi acie fuerant, *complorati omnes, pariter vivi mortuique, totam prope urbem lamentis impleverunt*: nam adscribitur mortuis et absentibus vivis, qui mortui credebantur, quod in urbe vivi fecerunt, quia in causa erant illi, cur hi facerent; Gronov. Confer XXII, 55, n. 2; ad XXXIV, 6, n. 10; et XLIII, 1, n. 7. *Complorati*, i. e. comploratio eorum; vide ad I, 53, n. 1. Baueri

pariter vivi mortuique, totam prope urbem lamentis impleverunt. Privatos deinde luctus stupefecit publicus pavor, postquam hostes adesse nuntiatum est: mox ululatus cantusque dissonos, vagantibus circa mœnia turmatim barbaris, audiebant. Omne inde tempus suspensos ita tenuit animos usque ad lucem alteram, ut identidem[4] jam in urbem futurus videretur impetus primo adventu, quo accesserant ad urbem; mansuros enim ad Alliam fuisse, nisi hoc consilii foret: deinde sub occasum solis, quia haud multum diei supererat, ante noctem rati se invasuros; tum in noctem dilatum consilium esse, quo plus pavoris inferrent. Postremo lux appropinquans exanimare: timorique perpetuo ipsum malum continens fuit[5], quum signa infesta portis sunt illata. Nequaquam tamen ea nocte, neque insequenti die similis illi, quæ ad Alliam tam

nota est: « Id elegantius multo quam quod a Sigon. defenditur, *comploratis omnibus pariter vivis mortuisque.* Sed ita nullum est verbum, quod ad voc. *Romani* pertineret, nec plane structuræ ratio apparet: nam τὸ *Romani* aut redundat, aut anacoluthon exsistit, aut leg. *Romæ,* vel Romanis. Neque enim *Romani* hic sunt illi ipsi, qui complorarentur, sed ipsi, qui Romæ degerent, incolumes adhuc, sed ignari omnium ac solliciti. Itaque ab voc. *Romani* malim ablativos retinere. » Sed *Romani* qui sint, jam dixit Gronovius. Conf. Drakenb. ad h. l. — *Luctus stupefecit,* vicit, repressit, obruit, *übertäubt;* Bauer. Sensum eorum ademit, certe imminuit, ita ut lugentes torperent. Cf. XXV, 38, n. 2. — *Obstupefecit* Haverk. cui soli parere temerarium foret. Silius, lib. IX, vers. 122, *Ac membra et sensus stupefecerat horror.* Ed. — *Publicus pavor,* vide ad II, 41, n. 1.

4. *Omne inde tempus suspensos* (v. ad II, 32, n. 5) *ita tenuit animos* Romanorum, *ut identidem,* sæpius, vel ab uno temporis momento ad alterum, etc. Post *impetus* majorem distinct. posuit Stroth. non male! Quatuor certe temporis momenta memorantur, quibus Romani hostium timuerint impetum (primus adventus, occasus solis, nox et lux altera), simulque ratio, cur quovis tempore metuerint, adjicitur; *a primo adventu* malebat Gronov. Sed aut ipsum ablat. commode intelligi puto, aut *cum,* vel *simul* suppleri posse; Bauer.

5. *Timori malum continens fuit,* v. ad IV, 22, n. 4. — *Similis illi, quæ... fugerat, civitas fuit:* friget hoc Gronovio, ut malit *similis illis, qui fugerant:* sed vix cuiquam probarit, haud utique mihi, qui altera lectione, ut duarum quasi civitatum diversas imagines exhibente, vix elegantius quid-

pavide fugerat, civitas fuit : nam quum defendi urbem posse, tam parva relicta manu, spes nulla esset, placuit, cum conjugibus ac liberis juventutem militarem senatusque robur in arcem Capitoliumque concedere, armisque et frumento collatis, ex loco inde munito[6] Deos hominesque et romanum nomen defendere : Flaminem sacerdotesque Vestales, sacra publica, a cæde, ab incendiis procul auferre; nec ante deseri cultum eorum, quam non superessent, qui colerent. Si arx Capitoliumque[7], sedes deorum, si senatus, caput publici consilii, si militaris juventus superfuerit imminenti ruinæ urbis, facilem jacturam esse seniorum, relictæ in urbe utique perituræ turbæ : et, quo id æquiore animo de plebe multitudo ferret, senes triumphales consularesque simul se cum illis palam dicere obituros; nec his corporibus, quibus non arma ferre, non tueri patriam possent, oneraturos inopiam armatorum[8].

XL. Hæc inter seniores morti destinatos jactata solatia : versæ inde adhortationes ad agmen juvenum, quos in Capitolium atque in arcem prosequebantur, commendantes virtuti eorum juventæque, urbis per trecentos sexaginta annos omnibus bellis victricis[1], quæcumque reliqua esset, fortunam. Digredientibus, qui spem omnem atque opem secum ferebant, ab iis,

quam putem; Bauer. Conf. ad III, 47, n. 1. — *Collatis* eo, in Capitolium.

6. *Ex loco inde munito*, ut nos : *von da aus, herab*, et infr. cap. 43, *atque inde ex loco superiore;* vel *inde* pro *deinde*. — *Flaminem*, sing. pro plur. nisi leg. *Flamines*. Confer ad I, 20, n. 1.

7. *Arx Capitoliumque*, vide ad I, 55, n. 6.—*Utique*, v. ad II, 30, n. 1.

8. *Oneraturos inopiam armatorum*, eam aucturos; vide ad IV, 12, n. 3.

Cap. XL. 1. *Urbis per CCCLX annos victricis*, numero annorum non accurato (ut infr. cap. 54), sed, ut vulgo dicunt, rotundo, nisi forte supputantur ab an. Urb. cond. IV, quo primum a Romulo cum Sabinis bellum est gestum. Conf. Dionys. I, p. 61; et II, p. 100; Plutarch. Camill. p. 137; Gell. V, 17. — *Digredientibus*, immo *degredientibus;* Bauer.

qui captæ urbis non superesse statuerant exitio; quum ipsa res speciesque miserabilis erat, tum muliebris fletus et concursatio incerta, nunc hos nunc illos sequentium, rogitantiumque viros natosque, cui se fato darent, nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant[2]: magna pars tamen earum in arcem suos prosequutæ sunt, nec prohibente ullo, nec vocante; quia, quod utile obsessis ad minuendam imbellem multitudinem, id parum humanum erat. Alia, maxime plebis, turba, quam nec capere tam exiguus collis, nec alere in tanta inopia frumenti poterat, ex urbe effusa, velut agmine jam uno, petiit Janiculum. Inde pars per agros dilapsi, pars urbes petunt finitimas, sine ullo duce aut consensu, suam quisque spem, sua consilia, communibus deploratis[3], exsequentes. Flamen interim Quirinalis virginesque Vestales, omissa rerum suarum cura, quæ sacrorum secum ferenda, quæ (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent, consultantes, quisve ea locus fideli asservaturus custodia esset, optimum ducunt, condita in doliolis sacello[4] proximo ædibus flaminis Quirinalis,

2. *Nihil relinquebant, quod humanis superesset malis*, quod miserabilius fingi posset. Baueri nota est: « *relinquebant,* faciebant, ut reliquum putaretur; vel faciebant eam conditionem, ostendebant, inducebant, ut appareret, nihil relictum mali, quod jam non sentiretur, nihil quod deesset, quod esset præter et super illa, quæ jam sentirent. Dativus esse videtur *humanis malis*, quibus supersit aliquid, qs. in eorum numero; ut habeant aliquid etiam nunc velut reliqui, quod nondum effuderint, nondum excusserint. Si ablativus sit, quod non placet, suppleris *ex, in.* » — *Utile obsessis* quidem fuisset, mulieres in arcem non admitti, ut *imbellis multitudo minueretur*, sed *parum humanum*, ab humanitatis pietatisque sensu alienum. — *Magna pars tamen earum in arcem suos prosecutæ sunt;* legendum *persecutæ* sunt. Rhen. quod etiam Klockian. Lovel. 1, 2, 3, 5; Voss. ambo; Leid. sec. Portug. et Fragm. Hav. alibi etiam *persequi* pro verbo simplici *sequi*, et apud Livium et apud alios occurrit. Ed.

3. *Communibus deploratis* consiliis, vide ad III, 38, n. 3. — *Exsequentes suam spem, sua consilia*, sequentes, ex iis agentes; Bauer. — *Quisve*, alii *quisque*. Leg. *quive* et *quique*.

4. *Condita in doliolis in sacello*, etc. Confer Plutarch. in Camillo, t. I, p.

ubi nunc despui religio est, defodere: cetera inter se onere partito ferunt via, quæ sublicio ponte ducit ad Janiculum. In eo clivo eas quum L. Albinius [5], de plebe romana homo, conspexisset, plaustro conjugem ac liberos vehens inter cæteram turbam, quæ inutilis bello urbe excedebat; salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum [6], irreligiosum ratus, sacerdotes publicos sacraque populi romani pedibus ire ferrique, se ac suos in vehiculo conspici; descendere uxorem ac pueros jussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit, et Cære, quo iter sacerdotibus erat, pervexit.

XLI. Romæ interim, satis jam omnibus, ut in tali re [1], ad tuendam arcem compositis, turba seniorum, domos regressa, adventum hostium obstinato ad mortem animo exspectabat: qui eorum curules gesserant magistratus [2], ut in fortunæ pristinæ, honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est tensas ducentibus triumphantibusve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedere [3]. Sunt, qui, M. Fabio

139. — *Ubi nunc*, tanquam in locum ita sacratum, *despui religio est*, quod et tradunt Festus voc. *doliola* et Varro L. L. IV, p. 37. — De *sublicio ponte* vide ad I, 33, n. 8.

5. *L. Albinius*, ut apud Valerium Maximum, I, 1, 10 (ubi tamen vulgo *Albanius* legitur); et Flor. I, 13. Al. *Albinus*, ut apud Plut. l. l. et in multis codicibus Flori. Sed est nomen gentis plebeiæ. — *Plaustro conjugem ac liberos vehens*; cf. Tib. lib. I, el. XI. Ed.

6. *Salvo etiam tum discrimine divinarum humanarumque rerum*, quia religioni tum adhuc suus honor, nec ejus, quantus nunc est, contemptus erat. Cf. ad I, 33, n. 10, et III, 20, n. 6.

Cap. XLI. 1. *Ut in tali re*, quantum fieri poterat in rebus tam trepidis ac subitis. — *Obstinato ad mortem animo*, conf. VI, 3 extr. VII, 32.

2. *Curules magistratus*, vide ad I, 8, n. 2. — *Augustissimæ vestes* erant magistratibus *ducentibus*, seu *deducentibus*, vel comitantibus *tensas*, seu *thensas*, h. e. vehicula, quibus simulacra deorum in pompa circensi et in circum vehebantur; vide ad Tacit. Ann. XII, 42, n. 5; Ruben. de Re vest. I, 21; et Scheffer. de Re vehic. II, 24. — De *thensis* vide Ascon. in tertiam contra Verrem. Ed.

3. *Ea vestiti medio ædium sedere*, in atrio: at ἐν ἀγορᾷ apud Plutarch. t. I, p. 139: et infra *in ædium vestibulis*, quæ tamen verba ad Gallos potius, ibi *stantes*, et ad *intuebantur* referenda sunt cum Schellero, cui etiam

pontifice maximo præfante carmen[4], devovisse eos se pro patria Quiritibusque Romanis, tradant. Galli, et quia interposita nocte a contentione pugnæ remiserant animos, et quod nec in acie ancipiti usquam certaverant prælio, nec tum impetu, aut vi capiebant urbem, sine ira, sine ardore animorum ingressi postero die urbem, patente Collina porta, in forum perveniunt, circumferentes oculos ad templa deum arcemque, solam belli speciem tenentem. Inde, modico relicto præsidio (ne quis in dissipatos ex arce, aut Capitolio impetus fieret), dilapsi ad prædam vacuis occursu hominum[5] viis, pars in proxima quæque tectorum agmine ruunt; pars ultima, velut ea demum intacta et referta præda, petunt : inde rursus ipsa solitudine absterriti, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, in forum ac propinqua foro loca conglobati redibant : ubi eos, plebis ædificiis obseratis, patentibus atriis principum, major prope cunctatio tenebat aperta, quam clausa, invadendi : adeo haud secus quam venerabundi intuebantur in ædium[6] vestibulis

non displicet Dukeri ratio, ut vel *vestibulum* latiori sensu, vel *medium* non nimis subtiliter accipiatur, quum v. c. *in medio mari* et *in media urbe fieri* dicantur, quæ non procul a litore et a portis fiant.

4. *Sunt, qui M. Fabio pont. max. præfante carmen* (v. ad IV, 21, n. 1), *devovisse eos se... tradant*, ut et Plut. l. l. *Devovere se*, scilic. diis Manibus et Telluri, seu matri Terræ, est certis ritibus et pontifice max. *verba præeunte* (vide ad IV, 21, n. 1) pro salute reip. vel calamitate ejus avertenda se consecrare morti, de quo vide infr. VIII, 9, 10; X, 28; et Macrob. Sat. III, 9. Simul vero et hostes devoventur Diis Manibus, ut VIII, 10.—Mox voc. *urbem* ante *patente Collina porta* nonnulli delendam putant, quia modo præcessit. Confer tamen ad I, 3, n. 8; et mox ad cap. 43, n. 4. — *Collina porta*, vide ad II, 11, n. 3.

5. *Occursu hominum*, occurrentibus hominibus. — Quid hoc? *viæ vacuæ* sunt *occursu hominum?* Lego, *occursu hostium*, vera emendatione, ut arbitror. Tan. Faber. *Hostes* et *homines* a librariis commutari, verum est. Quid tamen Fabro in vulgata lectione, pro qua stant omnes codices scripti et editi, displicere potuerit, non plane videmus. Ed.—*Vagos exciperet*, vide ad II, 4, n. 3.

6. *Adeo haud secus in ædium vestibulis*, vide supr. not. 3; et ad

sedentes viros, præter ornatum habitumque humano augustiorem, majestate etiam, quam vultus gravitasque oris præ se ferebat, simillimos diis. Ad eos, velut simulacra, versi quum starent, M. Papirius, unus ex his, dicitur Gallo, barbam suam, ut tum omnibus promissa erat, permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse; atque ab eo initium cædis ortum; cæteros in sedibus suis trucidatos [7]. Post principum cædem, nulli deinde mortalium parci, diripi tecta, exhaustis injici ignes.

XLII. Cæterum, seu non omnibus [1] delendæ urbis libido erat, seu ita placuerat principibus Gallorum, et ostentari quædam incendia terroris causa, si compelli ad deditionem caritate sedium suarum obsessi possent; et non omnia concremari tecta, ut, quodcumque superesset urbis, id pignus ad flectendos hostium animos haberent; nequaquam perinde atque in capta urbe, prima die, aut passim, aut late vagatus est ignis. Romani, ex arce plenam hostium urbem cernentes, vagosque per vias omnes cursus, quum alia atque alia parte nova aliqua clades oriretur, non mentibus solum [2] concipere, sed ne auribus quidem atque

Præf. n. 15. — *Ad eos, velut simulacra*, non vivos homines, ob silentium obstinatum et immobilem consessum; Drakenborch. Conf. Plutarch. Camill. p. 140; Zonar. VII, 23; Oros. II, 19. — *M. Papirius* (Μάνιος Plutarch. t. I, p. 140) *dicitur Gallo barbam suam, ut tum omnibus promissa erat* (nam Romani barbam et capillum *promittebant*, h. e. crescere et dependere patiebantur, erantque intonsi, barbati et capillati ante et ad an. Urb. 454; de quo vide ad Juvenal. VI, 105), *permulcenti*, etc. Cf. Zonar. et Plutarch. loco supra citato.

7. *Cæteros in sedibus suis trucidatos*, sc. dicunt, dicitur.

Cap. XLII. 1. *Cæterum seu non omnibus* Gallis, quippe qui cap. 41, *sine ira, sine ardore animorum ingressi urbem* dicuntur. Cave legas *omnis*, vel *non omnibus* exponas *nullis*. Nihil impediti est in hoc loco.

2. *Non mentibus solum* non (vide ad I, 40, n. 1) *concipere*, scilic. cladium, seu malorum magnitudinem, vel simpl. cogitare (nisi legend. *compotes esse*, vel cum Lips. *consipere*, aut cum Bauero *consistere*), *sed ne auribus quidem atque oculis satis constare*, eorum

oculis satis constare poterant. Quocumque clamor hostium, mulierum puerorumque ploratus, sonitus flammæ et fragor ruentium tectorum advertisset, paventes ad omnia, animos, oraque, et oculos flectebant, velut ad spectaculum a fortuna positi occidentis patriæ, nec ullius rerum suarum relicti, præterquam corporum, vindices : tanto ante alios miserandi magis[3], qui unquam obsessi sunt, quod interclusi a patria obsidebantur, omnia sua cernentes in hostium potestate. Nec tranquillior nox diem tam fœde[4] actum excepit : lux deinde noctem inquietam insequuta est : nec ullum erat tempus, quod a novæ semper cladis alicujus spectaculo cessaret. Nihil tamen, tot onerati atque obruti malis, flexerunt animos, quin, etsi omnia flammis ac ruinis æquata vidissent, quamvis inopem parvumque, quem tenebant, collem, libertati relictum, virtute defenderent; et jam, quum eadem quotidie acciderent, velut assueti malis, abalienaverant ab sensu rerum suarum animos; arma tantum ferrumque in dextris, velut solas reliquias spei suæ, intuentes.

usum retinere (ut *mente constare* ap. Cicer. Tusc. Quint. IV, 17; pro, ejus compotem esse : confer Drakenborch. ad h. l. et VIII, 19; Burm. ad Ovid. Art. Am. I, 120), *poterant*, vix cernere se atque audire putantes, quæ cernebant et audiebant. Conf. ad Tac. Ann. III, 46 pr.—*Quocumque advertisset*, sc. Romanos, qui in arce erant. Ita scripsi pro vulg. *avertisset* (scilic. a conspectu aliarum rerum ad se; Drak.) ex emendat. Gronov. vide ad I, 12, n. 8.

3. *Tanto ante alios miserandi magis*, etc., quod, licet obsessi, tamen a patria interclusi essent, quum alii in patria obsiderentur; Drakenborch. Non scio, quomodo hoc dicat : nam idem quam plurimis accidit, ut, ab hostibus in arcem compulsi, omnia sua in hostium potestate esse, et tecta urbis incendi viderent; Duk.

4. *Diem tam fœde*, triste, *actum*, transactum, vel contemplatione rerum tam fœdarum. Conf. ad III, 32, n. 1. — Mox *inquieta* bene conj. Gronov. Vocem semper, ut græce ἀεὶ, eamdem omnium rationem denotare, monet Casaub. ad Strab. I, p. 65. —*Etsi omnia flammis ac ruinis æquata vidissent;* lego, *videbant*, quod, spero, probabis. Tan. Faber. Hanc certe conjecturam probant multi : vulgatum tamen præfert Drakenb., qui plurima composuit exempla, in quibus τὸ *etsi* subjunctivum etiam admittit. Ed.

XLIII. Galli quoque, per aliquot dies in tecta modo urbis nequidquam [1] bello gesto, quum inter incendia ac ruinas captæ urbis nihil superesse, præter armatos hostes, viderent, nequidquam tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionem animos, ni vis adhiberetur; experiri ultima, et impetum facere in arcem statuunt. Prima luce, signo dato, multitudo omnis in foro instruitur : inde, clamore sublato ac testudine facta [2], subeunt. Adversus quos Romani nihil temere nec trepide, ad omnes aditus stationibus firmatis, qua signa ferri videbant, ea robore virorum opposito scandere hostem sinunt : quo successerit magis in arduum, eo pelli posse per proclive facilius rati. Medio fere clivo restitere : atque inde ex loco superiore [3], qui prope sua sponte in hostem inferebat, impetu facto, strage ac ruina fudere Gallos : ut nunquam postea nec pars, nec universi tentaverint tale pugnæ genus. Omissa itaque spe [4] per vim atque arma subeundi, obsidionem parant : cujus ad id tempus immemores, et, quod in urbe fuerat, frumentum incendiis urbis absumpserant, et ex agris per ipsos dies raptum [5] omne

Cap. XLIII. 1. *Nequidquam*, sine fructu, frustra. Vox bis posita, more Livii; vide ad I, 3, n. 8.

2. *Testudine*, συνασπισμῷ (vide ad cap. 5, n. 3), *facta*, forte leg. *acta :* nam testudo, etiam ea, quæ scutorum est junctorum, proprie *agi* dicitur. Cf. ad Silium, I, 365; Virgil. Æneid. II, 441; IX, 505, al. Sed *facta* etiam dicitur X, 29, n. 9; XXXI, 39, n. 10; XXXIV, 39, n. 4; apud Tac. Ann. XII, 35, n. 3.—*Romani nihil temere, nec trepide*, sc. facientes. — *Qua* parte *signa ferri*, etc. — *Successerit*, forte *successerat*, aut *successisset;* Bauer.

3. *Atque inde ex loco superiore*, vide ad c. 39, n. 6.—*Strage ac ruina fugere Gallos*, ut non cæderent, sed impulsos sternerent, detruderent, dejicerent, deturbatos ruere cogerent, præcipites darent; Bauer. Confer ad IV, 33, n. 5.

4. *Omissa itaque spe*, abjecta; ut *omittere arma* V, 47, n. 6; XXI, 58 pr. XXXIII, 8; *sarcinas* VIII, 39.

5. *Quod in urbe fuerat, frumentum incendiis urbis* (forte legend. *ejus*, vel plane delenda est vox; sed vide ad I, 3, n. 8) *absumpserant, et ex agris per* eos *ipsos dies raptum*, ut XXI, 28, n. 5; XXXIII, 16; et aliis locis, a Gronovio laudatis; *raptum*, raptim,

Veios erat. Igitur, exercitu diviso, partim per finitimos populos prædari placuit, partim obsideri arcem; ut obsidentibus frumentum populatores agrorum præberent. Proficiscentes Gallos ab Urbe ad romanam experiendam virtutem fortuna ipsa Ardeam, ubi Camillus exsulabat, duxit: qui mœstior ibi fortuna publica, quam sua, quum diis hominibusque accusandis senesceret[6], indignando mirandoque ubi illi viri essent, qui secum Veios Faleriosque cepissent, qui alia bella fortius semper, quam felicius, gessissent; repente audit, Gallorum exercitum adventare, atque de eo pavidos Ardeates consultare. Nec secus quam divino spiritu tactus, quum se in mediam concionem intulisset, abstinere suetus ante talibus conciliis.

XLIV. « Ardeates, inquit, veteres amici[1], novi etiam « cives mei, quando et vestrum beneficium ita tulit, « et fortuna hoc egit mea, nemo vestrum conditionis « meæ oblitum me huc processisse putet: sed res ac « periculum commune cogit, quod quisque possit in re « trepida præsidii, in medium conferre. Et quando ego « vobis pro tantis vestris in me meritis gratiam referam, si nunc cessavero? aut ubi usus erit mei vobis, « si in bello non fuerit? Hac arte[2] in patria steti; et,

celeriter convectum. Confer ad VI, 23, n. 3. Verba *et ex agris*, etc. non bene cohærent cum illis: *cujus immemores et frumentum absumpserant*. Sed hæc quoque ad negligentiam orationis referenda. — *Ad romanam experiendam virtutem* refer ad *duxit*, non ad *proficiscentes Gallos ab Urbe*; Bauer.

6. *Quum diis hominibusque accusandis consenesceret*, v. ad I, 22, n. 3. — *Senescere* recte Gronov. ad Livii lib. XXIX, cap. 33, exponit, se cum tædio et senio sustentare. Lib. XXXV, c. 34, *ne insontem indemnatum consenescere in exsilio sinerent*. Ed. — *Divino spiritu tactus*, vide ad V, 15, n. 7.

Cap. XLIV. 1. Tota hæc oratio copiose explicatur in *Magazin für öffentl. Schulen und Schullehrer*. t. I, pl. I, p. 57-105. *Veteres amici* populi rom. cujus *pristina beneficia* mox memorantur, et Camilli, qui eorum forte patronus Romæ fuerat. — *Ita tulit, et hoc egit*, effecit, ut vos cives mei essetis, vel ego essem civis vester.

2. *Hac arte*, scil. ratione, medio, μηχανῇ, vel potius arte militari, seu

« invictus bello, in pace ab ingratis civibus pulsus « sum. Vobis autem, Ardeates, fortuna oblata est[3], et « pro tantis pristinis populi romani beneficiis, quanta « ipsi meministis (nec enim exprobranda apud memo- « res sunt), gratiæ referendæ, et huic urbi decus in- « gens belli ex hoste communi pariendi. Quæ effuso « agmine adventat, gens est, cui natura corpora ani- « mosque magna magis, quam firma, dederit. Eo in « certamen omne plus terroris, quam virium[4], ferunt. « Argumento sit clades romana : patentem cepere ur- « bem; ex arce Capitolioque his exigua resistitur manu: « jam obsidionis tædio victi abscedunt, vagique per « agros palantur. Cibo vinoque raptim hausto repleti, « ubi nox appetit[5], prope rivos aquarum, sine muni- « mento, sine stationibus ac custodiis, passim ferarum « ritu sternuntur, nunc ab secundis rebus magis etiam « solito incauti. Si vobis in animo est, tueri mœnia

ἀρετῇ (confer Intpp. Horat. Od. III, 3, 9), aut *hac*, hujus rei, scil. belli, *arte in patria steti*, incolumis fui (v. ad I, 3, n. 2), vel potius locum in rep. et dignitatem tuitus sum, ut *hominem*, vel *rempublicam stare* (v. c. *fide* XXIII, 48, n. 7) et contra *cadere* passim dixere Livius et Cicero. Similiter X, 31 extr. *nec suis, nec externis viribus jam stare poterant*, h. e. tueri libertatem et gloriam. Confer ad I, 3, n. 2, et II, 29, n. 7.

3. *Fortuna oblata est*, opportuna occasio; *pro tantis ... beneficiis*, conf. IV, 9 sq.—*Nec enim exprobranda*, etc. et sola *commemoratio quasi exprobratio est immemoris beneficii*, Terent. Andr. I, 1, 16. Ed. *Exprobranda apud memores* pro dativo, quo non utitur voc. *memor* : sed et *exprobrare* hic est cum exprobratione commemorare; Bauer. *Exprobrando* quatuor codd. Ed.

4. *Eo*, ideo (vide ad I, 11, n. 6), *in certamen omne plus terroris, quam virium, ferunt* Galli, qui primo tantum impetu feroces sunt (at X, 29, eos prælio ultimos excessisse legimus), quibusque *natura corpora animosque magna magis, quam firma*, mollia et fluida, laboris æstusque intolerantissima (vide ad XXXIV, 47, n. 3), dedit, cf. VII, 12, n. 4; X, 28; XXII, 22, n. 2; XXVII, 48 extr. XXXIV, 47; XXXVIII, 17; Polyb. II, 33; III, 79; et ad Sil. IV, 311; Spanh. ad Callim. Hymn. in Del. 174. — Mox punctum posui non post *repleti*, sed post *palantur*, pro quo forte legend. ex uno cod. *populantur*, judice etiam Wakef. ad Lucret. II, 10.

5. *Raptim*, ἁρπάγδην, ob festinationem; *ubi nox appetit*, vide ad V, 19, n. 2. —*Ab secundis rebus*, ob et post eas; vide ad I, 1, n. 5.

« vestra, nec pati hæc omnia Galliam fieri, prima vi-
« gilia capite arma frequentes : me sequimini ad cæ-
« dem, non ad pugnam : nisi vinctos somno[6], velut
« pecudes, trucidandos tradidero, non recuso eum-
« dem Ardeæ rerum mearum exitum, quem Romæ
« habui. »

XLV. Æquis iniquisque persuasum erat, tantum bello virum neminem usquam ea tempestate esse. Concione dimissa, corpora curant, intenti, quam mox signum daretur : quo dato, primæ silentio noctis[1] ad portas Camillo præsto fuere. Egressi, haud procul urbe, sicut prædictum erat, castra Gallorum, intuta neglectaque ab omni parte nacti, clamore invadunt : nusquam prælium, omnibus locis cædes est[2] : nuda corpora et soluta somno trucidantur : extremos tamen pavor cubilibus suis excitos, quæ aut unde vis esset ignaros, in fugam, et quosdam in hostem ipsum im-

6. *Nisi vinctos somno*, etc. al. *victos*, solenni varietate, ut IX, 30, n. 6. Sed *vinctus somno* (ut μαλακῷ δεδμημένος ὕπνῳ ap. Homer. Odys. XV, 6) est is, qui altiore, seu profundo somno ita oppressus est, et quasi vinctus tenetur, ut vix excitari possit (quo sensu et somnus *alligare artus*, δεσμεύειν et δεσμὸς, vel ap. Mosch. II, 4, καταπεδᾷν μαλακῷ φάεα δέσμῳ, sed et *solvere* dicitur, de quo v. mox ad c. 45, n. 2); at *victus somno*, qui ei diutius quidem reluctatur, sed tamen succumbit. Sic diverso quoque sensu dicitur *vinctus* et *victus vino*, *Lyæo*, etc. Conf. Heyn. et Broukh. ad Tibull. I, 2, 2; et Burm. ad Ov. Met. II, 238.

Cap. XLV. 1. *Primæ silentio noctis*, pro, primo; vide ad I, 1, n. 6.—*Ad portas Camillo præsto fuere. Cum Camillo* Aldus; et multi ab illo receperunt, sed gravi errore. Nam, in simili locutione, τῷ *cum* passim abstinuerunt Cicero, Terentius, Plautus, etc. Etiam Valer. Maxim. lib. III, cap. 3, *vetusto Macedoniæ more, regi Alexandro nobilissimi pueri præsto erant sacrificanti*. Curtius, lib. VI, cap. 7, *venienti in regiam præsto est*. Ed.—*Nacti*, postquam ea invenerant, ut XXIV, 31, 36; XXV, 30; XXXIV, 61; XLII, 48.

2. *Nusquam prælium*, sed *omnibus locis cædes est:* vide ad II, 53, n. 2.—*Nuda corpora* (vide ad III, 19, n. 9), *et soluta somno*, eo languida et torpida, ut *soluta vino*, *frigore*, *metu membra*, etc. λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ apud Homer. Odys. V, 297; nam artus et oculi, antea intenti et occupati, *solvi*, h. e. remitti, relaxari, debilitari, dicuntur *somno*, vel *in somnum*; unde ὕπνος λυσιμελὴς, et simul, sed

providos tulit; magna pars in agrum antiatem delati, incursione ab oppidanis in palatos facta, circumveniuntur. Similis in agro veienti Tuscorum facta strages est: qui urbis, jam prope quadringentesimum annum vicinæ, oppressæ ab hoste invisitato inauditoque, adeo nihil miseriti sunt, ut in agrum romanum eo tempore incursiones facerent, plenique prædæ Veios etiam, præsidiumque et spem [3] ultimam romani nominis, in animo habuerint oppugnare. Viderant eos milites romani, vagantes per agros et congregatos agmine, prædam præ se agentes, et castra cernebant haud procul Veiis posita: inde primum miseratio sui, deinde indignitas, atque ex ea ira animos cepit, *Etruscisne etiam, a quibus bellum gallicum in se avertissent, ludibrio esse clades suas?* Vix temperavere animis, quin extemplo impetum facerent: compressique [4] a Cædicio centurione, quem sibimet ipsi præfecerant, rem in noctem sustinuere: tantum par Camillo defuit auctor. Cætera eodem ordine eodemque fortunæ eventu gesta: quin etiam, ducibus captivis, qui cædi nocturnæ su-

alio sensu, λύων μελεδήματα θυμοῦ dicitur Hom. Odys. XX, 56; XXIII, 343. — *Adeo nihil miseriti sunt;* alii, *miserti.* Verba sunt Servii ad Virg. lib. I, Æn. vers. 597. « Et *miseror* et *misereor* unum significant; sed *miseror* accusativum regit: *nec miseratus amantem est. Misereor* genitivum: *miserere animi non digna ferentis:* et facit participium *miseritus.* » Ipse etiam Livius lib. XXVII, c. 33, *deos immortales, miseritos nominis romani.* Ad quem locum videndus est J. F. Gronov. qui alia ex Livio exempla laudavit; quorum, ut et optimorum codicum fide, hic etiam *miseriti* recepimus. Ed.

3. *Veios etiam præsidiumque et spem.* Τὸ *que* del. forte: vel explicat, pro *id est,* quod esset; Bauer. Confer ad II, 42, n. 7.

4. *Compressi a Cædicio*, repressi, prohibiti, coerciti; vide Drakenb. ad XXVI, 10 extr. et Ernesti clav. Cic. *Cædicius* forte idem, cujus sup. c. 32, mentio facta. — *Rem in noctem sustinuere*, distulere; vide ad II, 44, n. 6. — *Salinæ* locus et ædificia vel intra Urbem juxta Tiberis ripam, ad portam Trigeminam (v. XXIV, 47, et Frontin. de aquæduct. V), vel prope Romam, aut Ostiam, ut VII, 17 et 19. Conf. I, 33 extr. et Adleri Beschreib. d. St. Rom. p. 329; Plutarchus in Romulo, p. 33; Dionysius II, pag. 118 et III, pag. 181; Aurelius Victor de viris illustribus, cap. 5.

perfuerant, ad aliam manum Tuscorum ad Salinas profecti, nocte insequenti ex improviso majorem cædem edidere, duplicique victoria ovantes Veios redeunt.

XLVI. Romæ interim plerumque obsidio segnis, et utrimque silentium esse, ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium evadere inter stationes posset : quum repente juvenis romanus admiratione in se cives hostesque convertit. Sacrificium erat statum[1] in Quirinali colle genti Fabiæ : ad id faciendum C. Fabius Dorso, gabino cinctu[2], sacra manibus gerens, quum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cujusquam terroremve motus[3], in Quirinalem collem pervenit : ibique omnibus solenniter peractis, eadem revertens similiter constanti vultu graduque, satis sperans propitios esse Deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis, cujus haudquaquam negligens est gens. Veiis interim non animi tantum in dies, sed etiam vires, crescebant; nec Romanis solum eo convenientibus ex agris, qui a prælio adverso[4], aut clade captæ urbis

Cap. XLVI. 1. *Sacrificium erat statum*, certo tempore faciendum (conf. ad III, 15, n. 2), *in Quirinali colle genti Fabiæ:* vide ad IV, 2, n. 6; et ad seqq. conf. Flor. I, 13, 16; Valer. Max. I, 1, 11; Appian. Gall. Exc. 6; et Dio Cassius t. I, p. 14, ed. Reim.

2. *Gabino cinctu*, al. *gabino ritu*, vel *ritu græco cinctus*, ut apud Valer. Maxim. I, 1, 11. Confer VIII, 9; X, 7, et Virg. Æneid. VII, 612, ubi bene monet Servius, *togam sic in tergum fuisse rejectam, ut ima ejus lacinia a tergo revocata hominem cingeret, simulque caput tegeret et ambiret.* Cinctura hæc, translata a Gabiis et in religionibus maxime sacrisque servata, passim in vett. monimentis et inprim. nummis deprehenditur. Conf. Ferrar. de Re vest. I, 14; Noris. ad Cenot. Pis. dissert. III, cap. 7; Schweigh. ad Appiani Pun. 48, et inpr. *Winkelmanns Gesch. d. Kunst. d. Alterth.* t. I, pag. 441. — *Sacra manibus gerens*, h. e. res ad sacrificium parandum necessarias.

3. *Nihil ad vocem... motus*, vide ad I, 7, n. 7; *terroremque*, minas, ut I Petr. 3, 15; φόβος, Bauerus. — *Eadem* via.

4. *Qui a prælio adverso*, etc. vide

palati fuerant, sed etiam ex Latio voluntariis confluentibus, ut in parte prædæ essent : maturum jam videbatur, repeti patriam eripique ex hostium manibus : sed corpori valido caput deerat. Locus ipse admonebat Camilli [5], et magna pars militum erat, qui ductu auspicioque ejus res prospere gesserant; et Cædicius negare, se commissurum, cur sibi, aut deorum, aut hominum quisquam imperium finiret potius, quam ipse memor ordinis sui posceret imperatorem. Consensu omnium placuit, ab Ardea Camillum acciri; sed antea consulto senatu, qui Romæ esset : adeo regebat omnia pudor [6], discriminaque rerum prope perditis rebus servabant. Ingenti periculo transeundum per hostium custodias erat : ad eam rem Pontius Cominius [7], impiger juvenis, operam pollicitus, incubans cortici, secundo Tiberi ad Urbem defertur : inde, qua proximum fuit a ripa, per præruptum, eoque neglectum hostium custodiæ, saxum in Capitolium evadit; et, ad magi-

ad I, 1, n. 5. — *Ut in parte prædæ essent*, vide ad V, 21, n. 4.

5. *Locus ipse admonebat Camilli*, scil. Veii, ab eo capti. — *Et Cædicius* (de quo vide c. 45 extr.) *negare, se commissurum, cur*, ut (cf. XXXIV, 31 extr.), *sibi*, etc. h. e. dixit, se non eam in se admissurum esse culpam, ut vel deorum, vel hominum jussu prius deponeret imperium, *quam ipse memor ordinis sui* (nam plebeius homo erat et centurio, cui non licebat summum sibi imperium deposcere) juberet optaretque, ut imperator crearetur.— *Ordo* hic pro statu, conditione, dignitate. Vide infra, lib. XLII, c. 33, 34; et Cic. in Verr. lib. II, cap. 6; Curt. lib. VI, cap. 11. Ed.

6. *Adeo regebat omnia pudor*, reverentia senatus, legum et institutorum patriæ; *discriminaque rerum*.... *servabant* adhuc Romani : nisi legend. *servabantur*. Conf. ad III, 20, n. 6; et V, 40, n. 6.

7. *Pontius Cominius*, ut apud Plut. Camill. p. 141; Zonar. VII, 23; Diod. XIV, p. 455; Gell. XVII, 2, al. *Cominus*, ut et vulgo ap. Frontin. Strat. III, 13, 1, qui rem paulo aliter narrat. Γάϊος Πόντιος dicitur Plutarch. Opp. t. II, p. 324. E. et perperam Cædicius Appian. Gall. Exc. IV et V. Sed unde duo gentium nomina uni fuerunt homini? — *Qua proximum fuit a ripa* : non laboro; sed inducere malim τὸ *a*, ut sit : qua parte ripæ proximum erat descendere; Bauer.—Hæ sunt codicum nostrorum varietates : Sorbonicus habet *Pontius quo minus impiger*; viri nomen in Regio erasum est; ambo mox in voc. *custodia* pro *custodiæ* consentiunt. Ed.

stratus ductus, mandata exercitus edit. Accepto inde senatus decreto, ut et[8] comitiis curiatis revocatus de exsilio, jussu populi Camillus dictator extemplo diceretur, militesque haberent imperatorem, quem vellent, eadem degressus[9] nuntius Veios contendit: missique Ardeam legati ad Camillum, Veios eum perduxere; seu (quod magis credere libet, non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam; quod nec injussu populi mutari finibus[10] posset, nec, nisi dictator dictus, auspicia in exercitu habere) lex curiata lata est, dictatorque absens dictus.

XLVII. Dum hæc Veiis agebantur, interim arx Romæ Capitoliumque[1] in ingenti periculo fuit: namque Galli, seu vestigio notato humano, qua nuntius a Veiis pervenerat[2], seu sua sponte animadverso ad[3] Carmentis

8. *Ut et* (quod *et* forte delendum) *comitiis curiatis . . . Camillus dictator diceretur:* nam in his comitiis semper ad populum ferebatur lex de imperio militari magistratibus dando, vel de potestate rei militaris administrandæ. Conf. cap. extr. et 52 fin. VI, 41; IX, 38; XXIII, 14, n. 3; ad XXVI, 2, n. 2; Cic. de Leg. agrar. II, 10-12.

9. *Eadem* via *degressus;* conf. Gell. XVII, 2 extr. — *Comperit*, leg. *compererit* ob orationem obliquam; Bauer.

10. *Mutari finibus*, ut *mutari loco*, in alium locum transferri, eum mutare (confer Gronov. Obss. III, 1); h. l. locum exsilii mutare, seu inde redire. — Non satis perspicuus est hujus periodi sensus, quem plane non se assequi profitetur Dukerus, nec quisquam explicuit. — *Auspicia habere*, jus auspicia capiendi, adeoque summum imperium. Nam *dux* et *imperator*, gall. *chef*, seu *général en chef*, proprie dicitur is, qui *ductu et auspicio suo res gerit* (unde Livius X, 7, n. 8, vocem *duces* ipse ita accuratius definit); legati vero vel tribuni et magistri equitum *sub ductu et auspicio consulum dictatorumque res gerere* dicuntur. Nonnunquam tamen et hi *imperatores* appellantur, iisque *ductus et auspicium* tribuuntur (v. ad VIII, 31, n. 1; VIII, 33, n. 8; et XXVIII, 38 pr.): imperatorum vero tempore iis solis *auspicia*, et legatis vel ducibus eorum, sub Cæsarum auspiciis res gerentibus, *ductus*. Conf. XXVIII, 12, n. 7; ad Tac. Ann. II, 18, n. 2; XIII, 6, n. 2; et Suet. Aug. 21 pr. Cæterum *auspiciis* etiam *populi romani* res acta dicitur XXX, 14, n. 6; quoniam populus romanus dat auspicia vel summum imperium lege curiata.

Cap. XLVII. 1. *Arx Romæ Capitoliumque*, vide ad I, 55, n. 6.

2. *Qua* (parte, seu via) *nuntius a Veiis pervenerat*, vide cap. 46. Confer Diodor. l. XIV, p. 455.

3. *Animadverso ad Carmentis*, seu Carmentæ, scilicet ædem (vide ad I,

saxo ascensu æquo, nocte sublustri, quum primo inermem, qui tentaret viam, præmisissent, tradentes inde arma, ubi quid iniqui esset, alterni innisi, sublevantesque in vicem et trahentes alii alios, prout postularet locus; tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus [4], excitarent. Anseres non fefellere, quibus sacris Junoni in summa inopia cibi tamen abstinebatur [5] : quæ res saluti fuit. Namque clangore eorum alarumque crepitu excitus M. Manlius, qui triennio ante consul fuerat, vir bello egregius, armis arreptis, simul ad arma cæteros ciens,

7, n. 8; et I, 33, n. 6) *saxo* (confer cap. 46 extr.) *æquo,* facili, commodo, *ascensu;* nisi *ascensu* est supinum, vel *saxo* delendum; *saxa* et *saxos* et *saxo* MSS: *saxum* edd. antt. scil. cui impositum Carmentis fanum; Bauer. *Saxi* (h. e. montis) et *saxorum* (quod recepit Drak.) conj. Gronov. Idem monet, fanum, vel aram Carmentis aut Carmentæ sub Capitolio, vel in imo Tarpeii montis Dionysio I, p. 25, et aliis memorari, at nemini *saxum Carmentis.* Dukeri nota est : « Non video, quomodo ascensus, qualem mox describit Livius, *æquus* dici possit, nisi forte ita, ut Galli viderint quidem difficilem fore ascensum, sed tamen speraverint, se aliquam illius rationem inventuros esse. Sed forsan leg. *ascensu aliquo.* » Cæterum Gallos circa cuniculum aggressos refert Cic. pro Cæcina, c. 30, et Philipp. III, 8; *nocte sublustri,* quæ stellarum luce paululum illustrabatur. — Noster Regius a prima manu *saxo in ascensum æquo;* Sorbonicus, *in ascensu.* Ed.

4. *Canes, sollicitum animal ad nocturnos strepitus,* h. e. eos sollicite et facile animadvertens, vel potius inquietum, quod facile sollicitatur, inquietatur et excitatur somno. *Sollicitive canes, canibusve sagacior anser,* Ovid. Metam. XI, 599. *Anser solertiorem custodiam præbet quam canis : nam clangore prodit insidiantem,* etc. Columella, VIII, 13.

5. *Anseres non fefellere* Galli, *quibus* anseribus, *sacris Junoni,* quamvis *in summa inopia cibi* erant, *tamen abstinebatur,* etc. χῆνες ἱεροὶ περὶ τὸν νεὼν τῆς Ἥρας ἐτρέφοντο θεραπεύοντες τὴν θεόν. Φύσει μὲν οὖν τὸ ζῶον εὐθορύβητόν ἐστι καὶ ψοφοδεές· τότε δὲ, συντόνου περὶ τοὺς ἔνδον οὔσης ἀπορίας, ἀμελουμένων αὐτῶν, λεπτὸς ἦν καὶ λιμώδης ὁ ὕπνος.... Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπτωμάτων ἡ Τύχη, κύων μὲν ἀνεσταυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ στρωμνῆς πολυτελοῦς καὶ φορείου καθήμενος, Plutarch. Opp. t. II, p. 325. *Quam ob causam cibaria anserum Censores in primis locant,* Plin. X, 22, seu 26. Conf. Cicer. pro Rosc. Amer. c. 20, et Diodor. lib. XIV, p. 455.— *Clangore eorum alarumque crepitu excitus;* male Palat. sec. *alarumque strepitu.* Cæterum *clangor* est quarumvis

vadit; et, dum cæteri trepidant, Gallum, qui jam in summo constiterat, umbone ictum deturbat[6]: cujus casus prolapsi quum proximos sterneret, trepidantes alios, armisque omissis saxa, quibus adhærebant, manibus amplexos, trucidat; jamque et alii congregati telis missilibusque saxis proturbare hostes, ruinaque tota prolapsa acies in præceps deferri. Sedato deinde tumultu, reliquum noctis (quantum in turbatis mentibus poterat, quum præteritum quoque periculum sollicitaret) quieti datum est. Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus ad tribunos, quum et recte et perperam facto pretium deberetur; Manlius primum ob virtutem laudatus donatusque, non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari; cui universi selibras farris et quartarios vini[7] ad ædes ejus, quæ in arce erant, contulerunt: rem dictu parvam; cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis, quum, se quisque victu suo fraudans, detractum corpori atque usibus necessariis ad honorem unius viri conferret. Tum vigiles ejus loci, qua fefellerat ascendens hostis, citati: et quum in omnes more militari se animadversurum Q. Sulpicius tribunus militum pronuntiasset; consentiente clamore militum,

avium vox. Claudian. *avium clangore repertus*. Diodor. lib. XIV, χῆνες... κραυγὴν ἐποίουν· Aurelius Vict. in Vir. illust. cap. 24, *clangore anseris excitus;* Flor. lib. I, c. 13; Colum. lib. VIII, c. 13. Proprie tamen aquilarum sonum *clangorem* dici innuit auctor Eleg. de Philomela, v. 27, *Dum clangunt aquilæ, vultur pulpare probatur; Et crocitat corvus, graculus at frigulat*. Ed.

6. *Gallum, qui jam in summo* colle, in cacumine montis, seu rupis, *constiterat, umbone ictum deturbat*, vide ad IV, 19, n. 4. Manum quoque illi amputasse tradit Diodor. lib. XIV, p. 456. Duos ab eo proturbatos, alterum umbone, alterum gladio, Plutarch. in Camillo, p. 142.—*Armis omissis*, v. ad c. 43, n. 4.—*Ruinaque tota prolapsa acies in præceps deferri*, vide ad IV, 33, n. 5. — *Classico* signo, sono tubæ, seu buccinæ.

7. *Selibras* (semilibras, dimidias libras) *farris et quartarios vini* (quartam sextarii partem), vide ad IV, 15, n. 6.—*Se quisque victu suo fraudans*, conf. II, 10 extr.

in unum vigilem conjicientium culpam, deterritus, a cæteris abstinuit: reum haud dubium ejus noxæ, approbantibus cunctis, de saxo dejecit. Inde intentiores utrimque custodiæ esse; et apud Gallos, quia vulgatum erat, inter Veios Romamque nuntios commeare; et apud Romanos, ab nocturni periculi memoria[8].

XLVIII. Sed ante omnia obsidionis bellique mala fames utrimque[1] exercitum urgebat: Gallos pestilentia etiam, quum loco jacente inter tumulos castra habentes, tum ab incendiis torrido et vaporis pleno, cineremque, non pulverem modo, ferente, quum quid venti motum esset: quorum intolerantissima gens humorique ac frigori assueta, quum, æstu et angore vexata[2], vulgatis velut in pecua morbis moreretur, jam pigritia singulos sepeliendi promiscue acervatos cumulos hominum urebant: bustorumque inde gallicorum[3] nomine insignem locum fecere. Induciæ deinde cum Romanis factæ, et colloquia permissu imperatorum habita: in quibus quum identidem Galli famem objicerent, eaque necessitate ad deditionem vocarent, dicitur avertendæ ejus opinionis causa multis locis panis de Capitolio jactatus[4] esse in hostium

8. *Ab nocturni periculi memoria*, vide ad I, 1, n. 5.

Cap. XLVIII. 1. *Fames utrimque*, 3 MSS *utrumque* probantibus Dukero (vel ob singul. *exercitum*) et Bauero. — *Gallos pestilentia*, conf. ad I, 31, n. 4. — *Inter tumulos*, non sepulcra mortuorum (nam insepulta jacuisse cadavera Livius mox innuit), sed colles, in quibus Roma urbs sita erat; Drak. — *Cineremque ferente*, scilicet in sublime.—*Humorique ac frigori assueta*: τὸ *que*, vel redundat, vel positum pro *quippe*; est enim causa, cur sit gens intolerantissima calorum; Bauer.

2. *Angore vexata* ob nimium aeris æstum et vaporem, quibus fere suffocabantur. — *Pigritia*, ob pigritiam, *singulos sepeliendi*, quod eos pigebat singulos sepelire. Conf. I, 31 med. et VI, 4 pr.

3. *Bustorum Gallicorum*, cf. XXII, 14, et Varr. Ling. lat. IV, 32.

4. *Panis de Capitolio jactatus*, etc. confer Ovid. Fast. VI, 349-394. Lactant. l. I, Div. Instit. c. 20; «Eodem tempore Jovi quoque Pistori ara posita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem facerent, et in hostium castra

stationes. Sed jam neque dissimulari, neque ferri ultra fames poterat. Itaque, dum dictator delectum per se Ardeæ habet, magistrum equitum L. Valerium a Veiis abducere exercitum jubet, parat instruitque, quibus haud impar adoriatur hostes: interim Capitolinus exercitus, stationibus vigiliisque fessus, superatis tamen humanis omnibus malis, quum famem unam natura vinci non sineret, diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret; postremo spe quoque jam, non solum cibo, deficiente, et, quum stationes procederent [5], prope obruentibus infirmum corpus armis, vel dedi, vel redimi se, quacumque pactione possent, jussit; jactantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant. Tum senatus habitus, tribunisque militum negotium datum, ut paciscerentur. Inde inter Q. Sulpicium tribunum militum, et Brennum regulum Gallorum colloquio transacta res est, et mille pondo auri

jactarent; eoque facto soluta est obsidio, desperantibus Gallis, inopia subigi posse Romanos. » Ed. — *Parat instruitque* omnibus rebus, inpr. armis, copias, seu milites, *quibus haud impar*, etc. — Mox *superatis tantum* (quod in MS sec. Voss. legitur) *non* (h. e. propemodum) *humanis omnibus malis* non male emend. Drakenb. Dura certe est hæc verborum constructio: *quum natura, superatis humanis omnibus malis, tamen famem*, etc. — Nostri codd. vulgatam servant. Ed.

5. *Quum stationes procederent*, usque et usque continuarentur, etsi a paucis et fame fessis: ut *æra*, vel *stipendia procedere* dicuntur V, 7, n. 5 (XXV, 5; XXVII, 11) pro, addi, connumerari, continuari cum aliis, quæ fecissent aut facturi essent, stipendiis, computari iis hæc extraordinaria stipendia et valere ad implenda justa stipendia, quæ juniores ex instituto deberent, perinde ac si delectu conscripti æstiva integra in castris egissent; Gron. *Quum stationes procederent* in locum assignatum, vel milites stationarii (qui omnia sua arma gestabant, et ita conspicuam reddebant corporum infirmitatem) ad excubias agendas (*wenn die Wache aufzog*), Drakenb. et Doer. *quum stationes procederent*, quum progrederentur milites fame affecti, procedentes cum armis, vix incedentes, vix arma tenentes: ut in pompis *procedere* et conspiciendi, et vero tarditatis ac lentitudinis affert notionem, quæ huc egregie convenit; Bauer. (Confer ad Juvenal. I, 39; et ad Sil. VI, 444.) *Quum in stationes procederent* conj. Sigon.—*Q. Sulpicium*: Ap. Claudium, si Festo fides.

pretium populi gentibus mox imperaturi factum. Rei, fœdissimæ per se, adjecta indignitas est : pondera ab Gallis allata iniqua, et, tribuno recusante, additus ab insolente Gallo ponderi gladius; auditaque intoleranda Romanis vox, *Væ victis esse*[6].

XLIX. Sed diique et homines prohibuere redemptos vivere Romanos : nam forte quadam, priusquam infanda merces perficeretur[1], per altercationem nondum omni auro appenso, dictator intervenit; auferrique aurum de medio, et Gallos submoveri jubet. Quum illi renitentes pactos dicerent sese, negat eam pactionem ratam esse, quæ, postquam ipse dictator creatus esset, injussu suo ab inferioris juris magistratu facta esset; denuntiatque Gallis, ut se ad prælium expediant : suos in acervum conjicere sarcinas, et arma aptare, ferroque, non auro, recuperare patriam jubet, in conspectu habentes fana deum, et conjuges, et liberos, et solum patriæ deforme belli malis, et omnia, quæ defendi, repetique, et ulcisci fas sit. Instruit deinde aciem, ut loci natura patiebatur, in semirutæ solo urbis[2] et natura inæquali; et omnia, quæ

6. *Væ victis esse:* τὸ *esse* delendum, judice etiam Bauero, et forte ex ultimis literis τοῦ *victis* primisque τοῦ *sed* ortum. Nam *væ*, οὐαὶ, est exclamatio, vel dolentis et commiserantis, vel, ut h. l., comminantis insolentiusque deridentis; et in ejusdem rei narratione simpl. *væ victis* dixere Flor. I, 13, et Fest. 5, *ve victis*. Conf. Plaut. Pseud. V, 2, 19; et Plutarch. Camill. pag. 143.—Vide dedicat. nostram, in Vol. I Cæsaris, p. 8. Ed.

Cap. XLIX. 1. *Infanda merces perficeretur*, universa confici et redigi posset. (Tota penderetur : immo negotium et controversia ejus finiretur; Bauer.) Cæterum ita quoque rem narrant Plin. XXXIII, 1, seu 5; Plut. in Camillo, pag. 143 seq. et Polyæn. VIII, 7, 2; sed aurum a Gallis asportatum esse diserte tradunt Polyb. I, 16; II, 22; Sueton. Tib. III; Justin. XXVII, 2; XXXVIII, 4; et ipse Liv. X, 16; a quibus tamen tantum non omnibus hostes potius Romanorum jactantes induci et pro sua causa loquentes, jam alii observarunt. Confer *Mém. de l'Acad. des Inscript.* t. XV, p. 1 sq. unde intelligitur, hæc et alia parum probabiliter a Livio memorari.

2. *Semirutæ solo urbis* pro *semiruto*, vide ad I, 1, n. 6. Etsi urbs magis diruta erat quam solum ipsum, tamen et hoc ruerant Galli sepeliendo, mu-

arte belli secunda suis eligi præpararive poterant, providit. Galli, nova re trepidi, arma capiunt, iraque magis, quam consilio, in Romanos incurrunt. Jam verterat fortuna[3]; jam deorum opes humanaque consilia rem romanam adjuvabant: igitur primo concursu haud majore momento fusi[4] Galli sunt, quam ad Alliam vicerant. Justiore altero deinde prælio ad octavum lapidem Gabina via, quo se ex fuga contulerant, ejusdem ductu auspicioque Camilli vincuntur. Ibi cædes omnia obtinuit: castra capiuntur, et ne nuntius quidem cladis relictus. Dictator, recuperata ex hostibus patria, triumphans in Urbem redit: interque jocos militares, quos inconditos jaciunt[5], Romulus ac parens patriæ conditorque alter Urbis haud vanis laudibus appellatur. Servatam deinde bello patriam iterum in pace haud dubie servavit, quum prohibuit migrari Veios, et tribunis rem intentius agentibus post incensam urbem, et per se inclinata magis plebe ad id consilium: eaque causa fuit non abdicandæ post triumphum dictaturæ, senatu obsecrante, ne rempublicam in incerto relinqueret statu.

L. Omnium primum, ut erat diligentissimus religionum cultor, quæ ad deos immortales pertinebant,

niendo; Bauer. — *Omnia, quæ secunda*, commoda, opportuna, *suis eligi*, etc. Mox *providit* inter verba temporis præsent. positum: unde *providet* conj. Bauer.

3. *Jam verterat fortuna*, vid. ad II, 3, n. 2.

4. *Haud majore momento fusi*, « non difficilius, non tardius, æque facili inclinatione et celeri, non minus et facile et celeriter. *Momentum* hic est inclinatio, causa eventus, victoriam in alterutram partem inclinantis; ut *victi momento perlevi*, inclinatione, subita commutatione fortunæ, non magno conatu, XXI, 43, n. 7; et *momento perlevi ludificari, quæ mole ingenti agerent* XXIV, 34, n. 2; quæ concinna est antithesis *molis* et *momenti*, nec aptius quidquam hoc vocabulo ad *mechanica* opera; » Bauer. Confer ad I, 47, n. 7.

5. *Jocos militares* (vid. ad III, 29, n. 2), *quos inconditos jaciunt*, scilic. *milites*, quod latet in voc. *militares*. Confer ad VIII, 8, n. 11; IX, 1, n. 9; XXVI, 22, n. 3; XXXIV, 3, n. 1; et XXXIV, 56, n. 5.

retulit; et senatusconsultum facit, *Fana omnia, quod ea hostis possedisset, restituerentur, terminarentur, expiarenturque*[1], *expiatioque eorum in libris per duumviros quæreretur : cum Cæretibus hospitium publice fieret*[2], *quod sacra populi romani ac sacerdotes recepissent, beneficioque ejus populi non intermissus honos deum immortalium esset: ludi Capitolini*[3] *fierent, quod Jupiter optimus maximus suam sedem atque arcem populi romani in re trepida tutatus esset : collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio atque arce habitarent.* Expiandæ etiam vocis nocturnæ[4], quæ nuntia cladis ante bellum gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque templum in Nova via Aio Locutio[5] fieri. Aurum, quod Gallis ereptum erat, quodque ex aliis templis

Cap. L. 1. *Retulit* ad senatum, et *senatusconsultum facit* (forte *fecit*, quod habet cod. noster Sorbon. Ed.), ut *fana omnia restituerentur, terminarentur expiarenturque*, etc. vide ad I, 55, n. 3; et VII, 16, n. 6.—*Expiatioque eorum in libris* Sibyllinis *per duumviros quæreretur*, v. ad III, 10, n. 6. « *Expiatio* est modus, ratio, formula expiandi; significat autem purgationem, novam inaugurationem ex incestatione et funestatione hostili, velut culpa et contaminatione, et turbato ibi cultu atque interrupto. Mox vero *expiandæ vocis nocturnæ* per hypallagen dictum pro, expiandi neglectus vocis (nam non vox erat expianda, sed ejus neglectus), aut *expiare* est *placare*, scilicet deum, quemcumque illum, a quo missam vocem sprevissent »; Bauer. Conf. ad I, 20, n. 11.

2. *Cum Cæretibus hospitium publice fieret*, nomine et auctoritate reip. Cf. II, 41, n. 13. Iidem primi fuere municipes, quibus civitas rom. data, sed sine suffragio; unde *in Cæretes*, seu *Cæretum tabulas* referri dicebantur, qui ignominiæ causa moti tribu privabantur suffragii jure; Gell. XVI, 13.

3. *Ludi Capitolini*, in honorem Jovis Capitolini agendi a *collegio* Capitolinorum, qui memorantur Cic. ad Q. Fr. II, 5.—*Capitolini* erant collegium hominum Capitolium et arcem incolentium, quibus peculiariter commissa fuerat Capitolinos ludos cura celebrandi. Ed.

4. *Expiandæ vocis nocturnæ*, conf. not. 1, et cap. 32.

5. *Aio Locutio* nomen templumque datum, scil. ab ignaris, cujus dei vox fuisset: moris tamen antiqui, a factis certis nomen addere numini; ut Hagar Genes. XVI, 13, deum appellabat *videntem se* et *vivum*, qui ipsam respexisset, recreasset, vitamque filio ipsique servasset; Bauer. Deum Gellius XVI, 17, appellat *Aium*, Cicer. de Divinat. I, 45; II, 32; et fragm. actorum publ. apud Dodwel. in Præl. Cambd. p. 691.

inter trepidationem in Jovis cellam collatum, quum, in quæ referri oporteret, confusa memoria esset, sacrum omne judicatum, et sub Jovis sella[6] poni jussum. Jam ante in eo religio civitatis apparuerat, quod, quum in publico deesset aurum, ex quo summa pactæ mercedis Gallis confieret, a matronis collatum acceperant, ut sacro auro abstineretur. Matronis gratiæ actæ, honosque additus, ut earum, sicut virorum, post mortem solennis laudatio esset. Iis peractis, quæ ad deos pertinebant, quæque per senatum agi poterant; tum demum, agitantibus tribunis plebem assiduis concionibus, ut, relictis ruinis, in urbem paratam[7] Veios transmigrarent, in concionem, universo senatu prosequente, ascendit, atque ita verba fecit :

LI. « Adeo mihi acerbæ[1] sunt, Quirites, contentiones « cum tribunis plebis, ut nec tristissimi exsilii solatium « aliud habuerim, quoad Ardeæ vixi, quam quod pro- « cul ab his certaminibus eram : et ob eadem hæc, « non, si me senatusconsulto populique jussu revoca- « retis, rediturus unquam fuerim. Nec nunc me, ut « redirem, mea voluntas mutata, sed vestra fortuna

Aium Loquentem, Plut. Camill. p. 144, φήμην καὶ κλήδονα. — *In Jovis cellam,* vide ad III, 19, n. 11. — *Cella* est sacrarium, quod gallice dicimus *une chapelle. Sella* est sedes in qua posita erat statua. Hoc discrimen scripturæ diligenter observatum est in scriptis nostris et in Gronovii editione; in quibusdam aliis, magno sensus dispendio, neglectum. Ed. — *In quæ referri,* scil. templa.

6. *Sub Jovis sella,* seu solio, in quo simulacrum Jovis repositum erat. Cf. Plin. XXXIII, 1, seu 5. — *Ex quo summa pactæ mercedis Gallis confieret,* v. Oudend. ad Suet. Cæs. XX, et Heins. ad Virgil. Æneid. IV, 116. — *Iis peractis,* aut delendum *Iis,* aut legendum *Ita;* Bauer.

7. *In urbem paratam Veios,* confer ad cap. 24, n. 4.

Cap. LI. 1. Eamdem rem Camillus jam dissuaserat sup. c. 30, sed breviter, nec tanta arte ac gravitate. — *Et ob eadem hæc, non, si,* etc. recte omnes MSS et edd. antt. ante Froben. In hac et cætt. ad Crev. perperam legitur *nisi :* nam non alio modo redire potuit, et utique ita rediit. Baueri nota est : « Vix habeo, quod contra dicam, nisi quod paulo audacior ista recusationis significatio est. Sed Camillum pro auctoritate loqui aliquid, haud graviter ferre poterant. » Tò *si* nervose dictum

« perpulit : quippe, ut in sua sede maneret patria, id « agebatur; non ut ego utique in patria essem. Et nunc « quiescerem ac tacerem libenter, nisi hæc quoque pro « patria dimicatio esset; cui deesse, quoad vita suppe- « tat, aliis turpe, Camillo etiam nefas est. Quid enim « repetiimus[2]? quid obsessam ex. hostium manibus « eripuimus, si recuperatam ipsi deserimus? et quum, « victoribus Gallis, capta tota urbe, Capitolium tamen « atque arcem diique et homines romani tenuerint, « habitaverint; victoribus Romanis, recuperata urbe, « arx quoque et Capitolium deseretur? et plus vasti- « tatis huic urbi secunda nostra fortuna faciet, quam « adversa fecit? Equidem[3], si nobis cum urbe simul « positæ traditæque per manus religiones nullæ essent, « tamen tam evidens numen hac tempestate rebus ad- « fuit romanis, ut omnem negligentiam divini cultus « exemptam hominibus putem. Intuemini enim horum « deinceps annorum[4] vel secundas res, vel adversas : « invenietis omnia prospere evenisse sequentibus deos, « adversa spernentibus : jam omnium primum veiens « bellum (per quot annos, quanto labore gestum!) non « ante cepit finem, quam monitu deorum aqua ex lacu « albano emissa est[5]. Quid hæc tandem urbis nostræ « clades nova num ante exorta est, quam spreta vox

pro, ne tum quidem, vel etiamsi, ut VII, 10 pr. et 32; XXXVIII, 57, et al. Cf. ad IV, 3, n. 5; XXXVI, 29, n. 1; XXXVII, 52, n. 3; et Cort. ad Sallust. Jug. cap. 85, § 48. — Nostri codd. pro *si me* dant *simul et.* Ed. — *Utique,* vide ad II, 30, n. 1.

2. *Quid,* cur (ut τί pro διὰ τί), *enim repetiimus,* scilicet patriam? ut XXXI, 39 pr. XXXIV, 58, n. 2, al.

3. *Equidem* profecto, vel simpl. quidem, quod passim fere abundat; non *ego quidem :* nam h. l. tertiæ personæ jungitur; v. Ernesti clav. Cic. et inpr. Schelleri Lex. Lat. Minus satisfacit Drakenborch. ad V, 54; VIII, 20; et XXXV, 5. — *Cum urbe simul positæ,* conditæ, constitutæ, institutæ, *traditæque per manus religiones :* vide ad I, 3, n. 7.

4. *Intuemini horum deinceps annorum* (v. ad I, 21, n. 8), *vel secundas res,* etc. Confer VI, 41; et Hor. Od. III, 6, 5 sq. ubi vide Mitscherl.

5. *Aqua ex lacu albano emissa,* v. cap. 15 sq. — *Spreta vox cælo emissa*

« cælo emissa de adventu Gallorum? quam gentium jus « ab legatis nostris violatum? quam a nobis, quum vin- « dicari deberet, eadem negligentia deorum præter- « missum? Igitur victi captique ac redempti tantum « pœnarum diis hominibusque dedimus, ut terrarum « orbi documento essemus[6]. Adversæ deinde res ad- « monuerunt religionum : confugimus in Capitolium « ad deos, ad sedem Jovis optimi maximi; sacra in « ruina rerum nostrarum alia terræ celavimus, alia « avecta in finitimas urbes, amovimus ab hostium ocu- « lis. Deorum cultum, deserti ab diis hominibusque, « tamen non intermisimus. Reddidere igitur patriam, « et victoriam, et antiquum belli decus amissum : et « in hostes, qui cæci avaritia in pondere auri fœdus « ac fidem fefellerunt, verterunt terrorem, fugamque « et cædem.

LII. « Hæc culti neglectique[1] numinis tanta moni- « menta in rebus humanis cernentes, ecquid sentitis, « Quirites, quantum vixdum e naufragiis prioris culpæ « cladisque emergentes paremus nefas? Urbem auspi- « cato inauguratoque conditam habemus; nullus locus « in ea non religionum deorumque est plenus : sacri- « ficiis solemnibus non dies magis stati, quam loca

(seu *missa;* Gron. improb. Drakenb.) *De adventu Gallorum,* confer cap. 32. — *Gentium jus violatum,* vide cap. 35, 36. — *Vindicari,* defendi.

6. *Ut terrarum orbi documento essemus,* vide ad Præfat. n. 14. — *Alia terræ celavimus,* ut apud Lucan. I, 607, et Flor. I, 13. *Terræ* quidam, ut *humi,* pro *in terra,* et *in terram* dici putant (vide Schelleri Lex.), vel more Græcorum, vel poetice (ut *it clamor cælo*); Bauer. illud totum dicit pæne poeticum esse pro : celata credidimus terræ asservanda. Forte cum Gronovio leg. *terra;* et mox pro *fefellerunt* cum Bauero *fefellerant.* — Nostri codices *terræ* et *fefellerunt* habent. Ed.

Cap. LII. 1. *Hæc culti* feliciter, cum præmio, *neglectique* infeliciter, cum pœna, *numinis monimenta;* vel sic : quo eventu cultum neglectumque sit numen; emphasis vel metonymia antecedentis; Bauerus. — *E naufragiis prioris culpæ emergentes,* eleganti translatione pro : malis priori culpa contractis levati et recreati; Doer. — *Non dies magis stati, quam loca sunt,* non minus loca quam dies; Bauer. —

« sunt, in quibus fiant. Hos omnes deos, publicos « privatosque, Quirites, deserturi estis? Quam par « vestrum factum est, quod in obsidione nuper in « egregio adolescente C. Fabio, non minore hostium « admiratione, quam vestra, conspectum est; quum « inter gallica tela degressus ex arce solemne Fabiæ « gentis in colle Quirinali obiit? An gentilitia sacra ne « in bello quidem intermitti, publica sacra et romanos « deos etiam in pace deseri placet? et pontifices flami- « nesque negligentiores publicarum religionum esse, « quam privatus in solemni gentis fuerit? Forsitan ali- « quis dicat, aut Veiis ea nos facturos, aut huc inde « missuros sacerdotes nostros, qui faciant : quorum « neutrum fieri salvis ceremoniis potest. Et ne omnia « generatim sacra omnesque percenseam deos; in Jo- « vis epulo [2] num alibi, quam in Capitolio, pulvinar « suscipi potest? Quid de æternis Vestæ ignibus signo- « que [3], quod imperii pignus custodia ejus templi te- « netur, loquar? quid de ancilibus vestris, Mars Gra- « dive, tuque, Quirine pater? hæc omnia in profano

Quam parum *par* hoc *vestrum factum est* ei, *quod*, etc. nisi *par* est pro *idem*, aut cum Gronovio leg. *vestro*, vel *factum isti, quod*, etc. De *C. Fabio* vide supr. c. 46. — Regius noster vulgat. tuetur; Sorbon. vero, quantum video : *quam parvum* (scilicet apud vos) *factum est*. Ed. — *Privatus*, vide I, 40, n. 5. — *Generatim*, κατὰ γένη, secundum sua genera; Ern.

2. *In Jovis epulo pulvinar suscipi*, vide supra ad cap. 13, n. 5.

3. *Quid de æternis Vestæ ignibus signoque*, simulacro, *quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur;* vide ad I, 20, n. 3. — *Signoque*, Palladio, quod ab Ænea in Italiam advectum esse, vulgaris opinio est. Vide Dion. libb. I et II, et Plutarch. in Camillo. Ed. — *Quid de ancilibus vestris, Mars Gradive, tuque Quirine pater:* vide ad I, 20, n. 6 et 7. « Romulo quoque ancilia tribuuntur, aut quia non Numæ, ut Ovidius Fast. III, 371 sq., sed huic missa cælitus, putabat, aut putare videri volebat Noster, aut quia Palladia essent urbi a Romulo conditæ »; Bauer. Quia Romulus bellicosus et Marte genitus; Doujat. Olim forte opinionem obtinuisse apud Romanos, *Quirinales* Salios non a colle Quirinali dictos esse, in quo sacra facerent, sed quod Quirino sacri essent, putabat Drak. qui eo etiam refert locum Stat. Silv. V, 5, 128 sq. ubi confer Intpp. et Gron. in diatr. Stat. c. 50.

« deseri[4] placet sacra, æqualia urbi, quædam vetustiora « origine urbis? Et videte, quid inter nos ac majores « intersit. Illi sacra quædam in monte albano lavinio- « que nobis facienda [5] tradiderunt. An ex hostium « urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum « fuit[6] : hinc sine piaculo in hostium urbem Veios « transferemus? Recordamini, agitedum, quoties sacra « instaurentur[7], quia aliquid ex patrio ritu negligentia « casuve prætermissum est. Modo quæ res, post « prodigium albani lacus, nisi instauratio sacrorum « auspiciorumque renovatio, affectæ veienti bello rei- « publicæ remedio fuit? At etiam, tamquam veterum « religionum[8] memores, et peregrinos deos transtuli- « mus Romam, et instituimus novos. Juno regina[9], « transvecta a Veiis, nuper in Aventino quam insigni « ob excellens matronarum studium celebrique dedi- « cata est die! Aio Locutio templum, propter cæle- « stem vocem exauditam in Nova via, jussimus fieri : « Capitolinos ludos solennibus aliis addidimus; col-

4. *In profano deseri*, relinqui (perquam aspere, judice Ern.), *sacra*, profanationi obnoxia esse, nemine ea colente. « *In profano*, velut profana, pro profanis : nam, si intelligas *loco*, quum dixerit, ex objicientium ore, Romæ illa sacra fieri posse, maneret utique sacer locus »; Bauer. — *Quædam vetustiora origine Urbis*, scilicet sacra Vestæ et palladium. *At videte*, mox conj. Bauer.

5. *Illi sacra quædam in monte albano* (conf. I, 31) *lavinioque facienda*, vide ad I, 14, n. 1. *Lavinioque* pro *et in lavinio* et hoc pro *Lavinii* (vide ad XXXVIII, 39, n. 4), nisi cum Gron. leg. *Laviniique*. — Nostri in *albano lavinioque* consentiunt. Ed.

6. *Transferri sacra religiosum fuit* (vide ad II, 5, n. 4), ideoque illa eo loco, ubi primum instituta sunt, v. c. Lavinii, semper peragi placuit; et nos sacra, scilic. nostra, *hinc*, ex nostra urbe, Roma, *transferemus?*

7. *Quoties sacra instaurentur*, confer ad II, 36, n. 1; et V, 19 pr. — *Modo quæ res, post prodigium albani lacus*, etc. Confer c. 17, 18 et 19 pr. — *Affectæ*, vide ad cap. 10, n. 6.

8. *Tanquam veterum religionum memores* : quidam MSS *immemores*, aptius forte, etsi respuit Drak.

9. *Juno regina*, etc. Conf. cap. 23, et 31 pr. — *Aio Locutio*, etc. vide ad cap. 50, n. 4. — Quidam, pro Aio Locutio, emendarunt Allocutio : quam syncopam rejiciunt optimi editt. Ed.— *Capitolinos ludos*, etc. vide ad c. 50,

« legiumque ad id novum, auctore senatu, condidi« mus. Quid horum opus fuit suscipi, si una cum Gallis « urbem romanam relicturi fuimus? si non voluntate « mansimus in Capitolio per tot menses obsidionis? si « ab hostibus metu retenti sumus? De sacris loquimur « et de templis : quid tandem de sacerdotibus? Nonne « in mentem venit, quantum piaculi committatur? « Vestalibus nempe una illa sedes est, ex qua eas nihil « unquam, præterquam Urbs capta, movit. Flamini « Diali noctem unam manere extra Urbem [10] nefas est. « Hos Veientes pro Romanis facturi estis sacerdotes, « et Vestales tuæ te deserent, Vesta? et flamen pere« gre habitando in singulas noctes tantum sibi reique « publicæ piaculi contrahet? Quid alia, quæ auspicato « agimus [11] omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni, « aut cui negligentiæ damus? Comitia curiata [12], quæ « rem militarem continent; comitia centuriata, quibus « consules tribunosque militares creatis, ubi auspi« cato, nisi ubi adsolent, fieri possunt? Veiosne hæc « transferemus? an comitiorum causa populus tanto « incommodo in desertam hanc ab diis hominibusque « urbem conveniet?

LIII. « Sed res ipsa cogit [1], vastam incendiis ruinis« que relinquere urbem, et ad integra omnia Veios « migrare, nec hic ædificando inopem plebem vexare.

n. 3.—*Suscipi,* vide ad cap. 13, n. 5.

10. *Flamini Diali noctem unam manere extra Urbem nefas est,* confer ad XXIV, 8, n. 3; XXXIX, 45, n. 2; et Tac. Ann. III, 358, et 71.

11. *Quæ auspicato agimus,* vide ad cap. 21, n. 1.—*Intra pomœrium,* v. ad I, 44, n. 8.—*Damus,* tradimus.

12. *Comitia curiata,* etc. vide ad cap. 46, n. 8.

Cap. LIII. 1. *Sed res ipsa cogit,* etc. objectio adversariorum.—*Vastam incendiis;* Servius ad Virg. lib. I, Æneid. vers. 52. « Sane *vasto,* pro *desolato,* Veteres ponebant, ponebant et pro *magno.* » Supra lib. III, cap. 7, *Quid in vasto ac deserto agro, inter tabem pecorum hominumque, desides, sine præda, tempus tererent?* Sallustius in Fragm. hist. *quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus.* Et lib. I Histor. in orat. Marc. Æmil. Lepidi, *vastam*

« Hanc autem jactari magis causam, quam veram esse, « ut ego non dicam, apparere vobis, Quirites, puto; qui « meministis, ante Gallorum adventum, salvis tectis pu« blicis privatisque, stante incolumi urbe, hanc eamdem « rem actam esse, ut Veios transmigraremus. Et videte, « quantum inter meam sententiam vestramque intersit, « tribuni. Vos, etiamsi tunc faciendum non fuerit, nunc « utique faciendum putatis : ego contra (nec id mirati « sitis prius, quam, quale sit, audieritis) etiamsi tunc « migrandum fuisset, incolumi tota Urbe, nunc has rui« nas relinquendas non censerem. Quippe tum causa « nobis in urbem captam migrandi victoria esset, glo« riosa nobis ac posteris nostris; nunc hæc migratio « nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. Non enim « reliquisse victores, sed amisisse victi, patriam vide« bimur : hoc ad Alliam fuga, hoc capta Urbs, hoc « circumsessum Capitolium necessitatis imposuisse, ut « desereremus penates nostros, exsiliumque ac fugam « nobis ex eo loco conscisceremus, quem tueri non « possemus. Et Galli evertere potuerunt Romam, « quam Romani restituere non videbuntur potuisse? « Quid restat, nisi ut, si jam novis copiis veniant « (constat enim vix credibilem multitudinem esse), et « habitare in capta ab se, deserta a vobis, hac urbe « velint, sinatis? Quid? si non Galli hoc, sed veteres « hostes vestri, Æqui Volscive, faciant, ut commigrent « Romam, velitisne illos Romanos, vos Veientes [2] esse? « an malitis hanc solitudinem vestram, quam urbem

urbem fuga et cædibus. Ed. — *Jactari* palam memorari, prætendi. — *Ut*, quanquam, *ego non dicam*, etc.

2. *Velitisne illos Romanos, vos Veientes esse? an* (alii *non*) *malitis*, etc. varie explicant viri docti. Gronovius : « Utrum patiemini illos habitare, et inde adsciscere nomen Romanorum, quum vos Veientes dicemini? an placebit potius, locum hunc, ubi nunc est Roma, desertum vacare, et manere vastitatem ac solitudinem vestræ ditionis (an magis juvat, si etiam Volscos a possessione hujus soli prohibe-

« hostium, esse? non equidem video, quid magis nefas « sit. Hæc scelera, quia piget ædificare, hæc dedecora « pati parati estis? Si tota Urbe nullum melius am« pliusve tectum fieri possit, quam casa illa conditoris « est nostri [3], non in casis, ritu pastorum agrestium« que, habitare est satius inter sacra penatesque ve« stros, quam exsulatum publice ire? Majores nostri, « convenæ pastoresque, quum in his locis nihil, præter « silvas paludesque, esset, novam urbem tam brevi « ædificarunt: nos, Capitolio, arce incolumi, stantibus « templis deorum, ædificare incensa piget? et, quod « singuli facturi fuimus, si ædes nostræ deflagrassent, « hoc in publico incendio universi recusamus facere?

LIV. « Quid tandem? si fraude, si casu Veiis incen« dium ortum sit, ventoque (ut fieri potest) diffusa « flamma magnam partem urbis absumat; Fidenas in« de, aut Gabios, aliamve quam urbem quæsituri su« mus, quo transmigremus? Adeo nihil tenet [1] solum « patriæ, nec hæc terra, quam matrem appellamus; « sed in superficie tignisque caritas nobis patriæ pen-

tis, hanc terram vestram quidem esse, sed solitudinem; Stroth.), quam frequentari ab hostibus, illorumque urbem et habitationem reddi? Quorum utrumque pariter est *nefas*, absurdum et detestandum. » Sigonius : non, nonne, malitis Romæ solitudinem hanc vestram esse, quam urbem hostium Veios? Bauereus: *an*, i. e. annon, vel potius *non*, h. e. nonne malitis, hanc sedem, quamvis nunc vastatam bello, infrequentem, incultam, tamen vel talem, esse vestram, *quam urbem* pulcherrime exstructam in potestate *hostium esse?* Explicationi Gronov. favet Plutarch. Camill. p. 145.—*Quia piget ædificare;* in edd. plerisque ab Ald. ad Drak. et in MS Veith. *reædificare*, rectius forsan.—Hic notanda Sorbonici varia lectio: *hæc scelera, quia pig. æd.; hæc ded., quia pati par. estis!* Ed.

3. *Casa illa conditoris nostri,* Romuli, in Capitolio, quæ subinde refecta est et recenti culmo tecta, ne periret: quo respexit Virg. Æn. VIII, 654. Conf. Vitruv. II, 1; et Ovid. Fast. III, 183 sq.—*Non,* nonne (vide ad IV, 4, n. 1), *in casis*, etc.—*Publice,* publico consilio et universo consensu.

Cap. LIV. 1. *Adeo nihil tenet,* prorsus non retinet nos vel detinet, movet, seu afficit (conf. ad II, 63, n. 3; et III, 29, n. 4), *solum patriæ* (cui mox opponuntur *superficies tignaque*, ædificia in eo exstructa et eminentia, ut *superficies areæ* opponitur apud Cic.

« det? Equidem, fatebor vobis, etsi minus injuriæ vestræ[2], quam meæ calamitatis, meminisse juvat, quum abessem, quotiescumque patria in mentem veniret, hæc omnia occurrebant, colles, campique, et Tiberis, et assueta oculis regio, et hoc cælum, sub quo natus educatusque essem. Quæ vos, Quirites, nunc moveant potius caritate sua, ut maneatis in sede vestra, quam postea, quum reliqueritis ea, macerent desiderio. Non sine causa dii hominesque hunc urbi condendæ locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate[3] ad pericula classium externarum; regionum Italiæ medium, ad incrementum urbis natum

ad Attic. IV, 1 et 2), *nec hæc terra, quam matrem appellamus;* ut XXI, 26, n. 7, *quos eorum ipsorum sedes suæ tenuerant.—Pendet,* est, vel continetur.

2. *Equidem* (v. ad c. 51, n. 3) *fatebor vobis, etsi minus injuriæ vestræ,* etc. h. e. etsi hæc minus eo spectant, ut injuriæ vestræ, quam ut potius calamitatis meæ memoria renovetur. Illa quidem hujus causa fuit; at leviter Camillus tangit rem, quam non exprobrari, sed plane ex animo deleri cupit. « Sensus est : etsi exsilii omnino mei haud libens recordor, non modo, qua calamitas mihi fuit, sed multo minus, qua injuria vestra : multo minus malo injuriæ memor, quasi exprobrans eam vobis, quam calamitatis, citra injuriæ cogitationem, esse; » Bauerus. (Idem mox *patriæ* malis.) Boni civis est, ex animo delere memoriam injuriæ a civibus acceptæ : memoriam aliquam calamitatis, in quam ex injuria illa incidit, retinere, ac simul bonus civis esse, potest; Duk. *Hæc omnia occurrebant* menti, id. qd. *in mentem veniebant*, ut XXV, 24, n. 7, ubi paulo post *occurrere animo* dicitur, et XXXVI, 35 pr. Sic et *succurrere* VI, 12 pr. et XXV, 37, n. 5. — *Quam postea, quum reliqueritis ea, macerent desiderio. Macerare* hic ad animum relatum notat angere, molestia ac dolore afficere. Ovidius, Epist. XX, Her. vers. 125, *Maceror interdum, quod sim tibi causa dolendi.* Lucret. lib. III, vers. 839, *Advenit id, quod eam de rebus sæpe futuris Macerat, inque metu male habet, curisque fatigat.* Ed.

3. *Nec expositum nimia propinquitate,* etc. « Quid *expositum? Mare*, e proximo? stultum. *Locum* ergo, e sequenti? Remotius ac durius, sensu tamen postulante. Forte legend. *mari vicinum,* ut omnia ad *locum* referantur; » Bauer. Recte, opinor.—*Natum unice*, optime, egregie, prorsus, *locum*, vide ad I, 21, n. 3; et V, 37,

« unice locum. Argumento est ipsa magnitudo tam no-« væ urbis. Trecentesimus sexagesimus quintus annus « Urbis, Quirites, agitur : inter tot veterrimos populos « tamdiu bella geritis; quum interea, ne singulas lo-« quar urbes, non conjuncti cum Æquis Volsci, tot tam « valida oppida; non universa Etruria, tantum terra « marique pollens, atque inter duo maria latitudinem « obtinens Italiæ, bello vobis par est. Quod quum ita « sit, quæ, malum! ratio est, expertis alia [4] experiri, « quum jam, ut virtus vestra transire alio possit, for-« tuna certe loci hujus transferri non possit? Hic Ca-« pitolium est, ubi quondam capite humano [5] invento « responsum est, eo loco caput rerum summamque « imperii fore. Hic, quum augurato liberaretur Capi-« tolium, Juventas Terminusque [6] maximo gaudio pa-« trum nostrorum moveri se non passi. Hic Vestæ ignes, « hic ancilia cælo demissa, hic omnes propitii manen-« tibus vobis dii. »

n. 6.—*Argumento est ipsa magnitudo tam novæ urbis :* ita etiam supra hoc lib. c. 34, 44; et lib. XXXIX, c. 51. Similiter *prædæ, documento, monumento, religioni, præmio esse*, passim inveniemus et apud Nostrum, et apud alios. Ed.

4. *Quod quum ita sit, quæ, malum!* (vox irati, ut nostrum: *beim Henker! beim Geier!*) *ratio est, experiri alia expertis*, h. e. alia, quam quæ jam experti estis (ita τὸ *expertis* passive dictum sit, et τὸ *alia* cum sexto casu junctum, ut *alius Lysippo* apud Hor. Epist. II, 1, 240; *aliud libertate* ap. Cic. ad Div. XI, 2; *alius Sejano* ap. Phæd. Prol. III, 41; et similia apud Drak. ad h. l. qui etiam jam monuit, *alius* (ab) *illo* dici, ut græce ἄλλος (ἀπ') ἐκείνου); nisi cum Clerico connectere malis verba *quæ ratio est expertis*, scil. hæc, h. e. vobis, qui hæc jam experti estis. *Expertis lares alios experiri* (tentare sedes alias, quam quas tam diu feliciter experti sumus) conj. Gron. e MSS; idemque et Bauer. *expertos*, h. e. vos, jam expertos, quam verum hoc sit. — Ambo nostri codices dant manifeste : *expertis latos alia experiri :* quis inde oriatur sensus, non equidem pronunciare ausim. Vide supra conject. Gronovii. Ed.

5. *Capitolium, ubi quondam capite humano invento*, etc. v. ad I, 55, n. 5.

6. *Quum augurato* (vide ad I, 18, n. 6) *liberaretur* a reliquis fanis sacellisque *Capitolium, Juventas Terminusque*, etc. vide I, 55, ibique not. 3 et 4; *liberaretur*, exsolveretur religione templorum ibi conditorum, vacuefieret et patefieret novo et uni templo ibi condendo; Bauer.

LV. Movisse eos Camillus[1] quum alia oratione, tum ea quæ ad religiones pertinebat, maxime dicitur. Sed rem dubiam decrevit vox opportuna emissa : quod, quum senatus post paullo de his rebus in curia Hostilia haberetur, cohortesque, ex præsidiis revertentes, forte agmine forum transirent, centurio in comitio exclamavit : *Signifer, statue signum! hic manebimus optime*[2]! qua voce audita, et senatus, *accipere se omen*, ex curia egressus, conclamavit, et plebs circumfusa approbavit. Antiquata deinde lege[3], promiscue Urbs ædificari cœpta. Tegula publice præbita est : saxi materiæque cædendæ, unde quisque vellet, jus factum, prædibus acceptis, eo anno ædificia perfecturos. Festinatio curam exemit vicos dirigendi[4], dum, omisso sui

Cap. LV. 1. *Movisse eos.* Leid. pr. dat : *Movisset os ;* Harlei. pr. *Movisset hos. Movisse eos Camillum*, Haverk. sed hanc ego lectionem, certe minus elegantem, ex librariorum errore potius natam, quam a Livii manu profectam, arbitror. Ed. — *Alia oratione*, aliis orationis suæ partibus et argumentis. — *Rem dubiam decrevit*, v. ad VII, 9, n. 4; et XXV, 41, n. 5. — *Vox opportuna emissa :* plures inprimisque nostri codices habent *opportune ;* sed *opportuna* Leid. pr. Lovel. 3, 4, 5, et Harlei. pr. quæ lectio magis placuit; nam quum ipse Livius I, 31 dixerit : *voce cælesti missa*, cur hic dicere non liceret : *vox opportuna emissa ?* Ed. — *Ex præsidiis*, 4 MSS; *ex præsidio*, ut apud Valerium Maximum, I, 5, 1; et Plutarch. Camill. p. 145, τάγμα φυλακῆς ἡμερινῆς. De *curia Hostilia* vide ad I, 30, n. 3; et de *comitio* ad I, 36, n. 6. — *Senatus.... conclamavit.* Sorbonicus dat, *exclamavit*, solenni varietate. Ed.

2. *Hic manebimus optime*, subsistemus, ut XXXI, 38, n. 2; XLIII, 21, al. Confer Plutarch. et Val. Max. ll. ll. — *Accipere se omen*, v. ad I, 7, n. 11. Alia omina ex voce fortuito emissa memorantur XLI, 18; et a Plin. XV, 19.

3. *Antiquata lege*, v. ad IV, 58, n. 10. — *Tegula publice præbita est*, etc. Sic Diodor. XIV, 117, Ῥωμαῖοι δὲ, τῶν μὲν οἰκιῶν κατεσκαμμένων, τῶν δὲ πλείστων πολιτῶν ἀπολωλότων, ἔδωκαν ἐξουσίαν τῷ βουλομένῳ καθ' ὃν προῄρηται τόπον οἰκοδομεῖν καὶ δημοσίας κεραμίδας ἐχορήγουν, αἳ μέχρι τοῦ νῦν πολιτικαὶ καλοῦνται. Ed. — *Prædibus acceptis* a magistratu, cui hujus rei cura erat mandata, qui sponderent, hos vel illos *eo anno ædificia perfecturos.*

4. *Festinatio curam exemit vicos dirigendi*, ad lineam rectam faciendi, ut *dirigere aciem*, *naves in frontem*, *fines*, etc. inf. XXXI, 27; XXXVII, 23; XXXIX, 27. Confer VI, 4; Tac. Annal. XV, 38, 43; Flor. I, 13 (qui tamen magis declamatoris, quam historici partes agit); Diodor. XIV, 116,

alienique discrimine, in vacuo ædificant. Ea est causa, ut veteres cloacæ, primo per publicum ductæ, nunc privata passim subeant tecta, formaque Urbis sit occupatæ magis, quam divisæ, similis.

et Donati Rom. vet. I, 25. — *Ea est causa, ut*, cur (v. ad XL, 26, n. 2); *veteres cloacæ primo per publicum* (v. ad II, 24, n. 6) *ductæ*, etc. Hæc verba non favent iis, qui ex forma cloacarum colligunt, ante urbem a Romulo conditam in solo ejus aliam eamque amplam exstitisse.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM.

Cap. I; Res ante incensam Urbem gestæ a Romanis obscuræ; clariores deinceps certioresque. Q. Fabius, qui legatus adversus Gallos pugnaverat, accusatur, et opportune moritur. Interregnum et comitia. Fœdera ac leges conquiruntur. Dies religiosi, xv kal. sext. (clade ad Cremeram Alliamque insignis) postridie idus, kalendas ac nonas. — II; Bella cum Volscis, Etruscis, Latinis, Hernicis, Æquisque gerenda. Camillus, dictator tertium dictus, Volscos, ac deinde Æquos vincit, — III; et Sutrium, Tuscis traditum, sociis reddit, victoribus oppressis. — IV; Tum triumphat; nova urbs stat intra annum, crescitque frequentia civium: oppida Etruscorum Cortuosa et Contenebra vi capta : Capitolium saxo quadrato substructum. — V; Leges agrariæ, et Pomptinus ager in spem ostentatus : auspiciorum renovatio et interregnum : numerum xxv tribuum explent quatuor ex novis civibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis. — VI; Antiates et Latini in armis sunt : Camillo collegæ quinque regimen omnium rerum permittunt. — VII; Is cum P. Valerio ad Satricum proficiscitur; et milites, ob multitudinem hostium trepidos, castigat. — VIII; Vincit Volscos, et Satricum scalis capit. — IX; Tum recipit Sutrium, — X; et Nepete, oppida socia, ab Etruscis capta. Ab Latinis Hernicisque, qui adjuverant Volscos, nec militem Romanis dederant, res repetitæ. — XI; M. Manlius Capitolinus, homo superbus, et Camillo invidens, primus ex Patribus fit popularis, et patronus nexorum : hinc potissimum dictator creatur A. Cornelius Cossus, etsi in speciem causæ volscum bellum jacta-

tur. — XII - XIII; Dictator vincit Volscos, sociosque eorum. — XIV; Tum accitur Romam, ubi Manlius debitores a crudelitate feneratorum tuetur, fundum in veienti subjicit præconi, et thesauros gallici auri a Patribus occultari jacit. — XV; Manlius, jussu dictatoris vocatus, agmine ingenti venit ad tribunal ejus, et causam dicit. — XVI; In carcerem ducitur; et magna plebis pars vestem mutat: jam haud procul seditione res est; cujus leniendæ causa senatus Satricum coloniam deduci jubet. — XVII; Ea gliscente ex senatusconsulto Manlius vinculis liberatur. — XVIII; Tum ille, plenior aliquanto animi iræque, seditiosis concionibus jam per se accensam plebem incitat, et cum principibus interdiu noctuque agitat consilia rerum novandarum. — XIX; Senatus decernit, ut videant magistratus, ne quid resp. detrimenti capiat: et ipsi quoque tribuni plebis, quia eumdem et suæ potestatis, quem libertatis omnium, finem cernunt, Patrum auctoritati se dedunt. Ex his duo, M. Mænius et Q. Publilius, Manlio diem dicere statuunt. — XX; Quo facto commovetur plebs, utique postquam solum reum, et ne fratres quidem proximosque sordidatos vident: et damnandi mora iis non in causa est, sed in loco, ex quo Capitolium a Manlio servatum conspici potest. Quo mutato condemnatur, et de saxo Tarpeio dejicitur: lex simul fertur, ne quis patricius in arce habitet, et gentis Manliæ decreto cavetur, ne quis deinde M. Manlius vocetur. — XXI; Pestilentia, fames et multiplex bellum: novi hostes Lanuvini et Prænestini: quinqueviri pomptino agro dividendo, et triumviri coloniæ Nepete deducendæ creati. — XXII; Veliterni victi, et bellum Prænestinis indictum: volscum bellum M. Furio Camillo, exactæ jam ætatis, sed vegeti adhuc ingenii animique viro, extra ordinem decretum, et adjutor ex tribunis milit. cons. pot. sorte L. Furius datus. — XXIII; Ardor pugnandi idem est Volscis et L. Furio, cui collega cedit. — XXIV; Acies romana jam inclinata restituitur a Camillo, et hostes funduntur. — XXV; Quia inter captivos Tusculani aliquot noscitantur, bellum his sociis indicitur mandaturque Camillo, qui contra spem omnium adjutorem optat eumdem L. Furium: Tusculani vim romanam arcent pace constanti. — XXVI; Eam et a senatu rom. impetrant, et mox civitatem. — XXVII; Censores creantur, ut censu instituto summa æris alieni et facultates civium cognoscantur; sed unus eorum moritur, et alii, vitio creati, non gerunt magistratum: tertios vero suffici, religio est. Eam esse ludificationem plebis tribuni dicunt, et ad Prænestini famam belli edictum impediunt

delectum : neque aliud ad seditionem exstinguendam, quam prope illatum Urbi bellum, valet. — XXVIII; Dictator dicitur T. Quintius Cincinnatus, et confestim hostes a mœnibus recedunt. — XXIX; Prænestini ad Alliam vincuntur, capiunturque eorum novem oppida: dictator triumphat, signumque Jovis Imperatoris, Præneste devectum, in Capitolium fert. — XXX; Tres tribuni milit. cons. pot. ex Patribus et totidem ex plebe creantur. Volsci provincia sine sorte et comparatione, extra ordinem, datur P. et C. Manliis: resque ibi, temeritate et inscitia ducum proditæ, militum virtute restituuntur. — XXXI; Æs alienum materia et causa seditionis: agri Volscorum vastantur. — XXXII; Novum fenus contrahitur tributo in murum saxo quadrato faciendum, et optatur frustra, ut jus de pecunia credita dicatur: Latini Volscique funduntur ad Satricum et Antium. — XXXIII; Antiates societatem cum Latinis dissolvunt, et Romanis dedunt urbem agrosque: Latini Satricum concremant igni, et Tusculum capiunt præter arcem : sed mox a Romanis cæduntur ad unum omnes. — XXXIV; In Urbe crescit in dies vis Patrum miseriaque plebis, fama et corpore creditoribus satisfacientis : sed parva res ingentem moliendi causa fit. Fabia minor, M. Fabii Ambusti filia, mærore affligitur, quod ipsa C. Licinio Stoloni, viro plebeio, soror autem Ser. Sulpicio, patricio et trib. mil. cons. pot. nupta est: pater filiam consolatur, consiliaque init cum genero et L. Sextio. — XXXV; Hi creantur tribuni plebis; et promulgant leges de ære alieno, de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret, et de comitiis, ne tribunorum militum comitia fiant, consulumque utique alter ex plebe creetur. Patres adversus tribunitias rogationes comparant collegas : et Licinius Sextiusque, tribuni plebis sæpius refecti, per quinquennium nullos curules magistratus creari patiuntur. — XXXVI; Octavum tribuni pl. reficiuntur latores legum, et simul tribunus milit. cons. pot. creatur M. Fabius Ambustus, auctor earumdem legum et jam suasor. — XXXVII; Tribunorum pl. orationes, et nova rogatio, ut pro duumviris sacris faciendis decemviri creentur, et pars ex plebe, pars ex Patribus fiat. — XXXVIII; Patres trepidi ad duo ultima auxilia, summum imperium ac civem, decurrunt : dictator quartum dicitur M. Furius Camillus, qui minis plebi incutit terrorem, sed ducibus ejus animos potius accendit, et, re neutro inclinata, magistratu se abdicat, putans forte, se vitio creatum esse : ei sufficitur extemplo P. Manlius. — XXXIX; Is C. Licinium, qui tribunus mil. cons. pot. fuerat,

primum magistrum equitum de plebe dicit, et se apud Patres excusat propinqua cognatione : rogationes de fenere et agro jubentur a plebe, de plebeio consulatu antiquatur : Sextius Liciniusque sibi honorem continuari nolunt, nisi conjunctim ferantur ab se promulgatæ leges. — XL-XLI; Adversus eos orationem habet Ap. Claudius Crassus, nepos decemviri. — XLII; Quæ modo valet ad proferendum tempus rogationum jubendarum. Refecti decimum iidem tribuni, Sextius et Licinius, legem perferunt de decemviris sacrorum ex parte de plebe creandis. Fama belli gallici allata, Camillus dictator quintum dicitur, et in albano agro multa cæduntur Gallorum millia : comitiis consularibus L. Sextius de plebe primus consul creatur : Patres, auctore Camillo, ea lege auctores fiunt, ut concedatur a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in Urbe dicat, ex Patribus creando. Ordinibus ita ab diutina ira in concordiam redactis, senatus decernit, ut ludi maximi fiant, et dies unus ad triduum adjiciatur : recusantibus id munus ædilibus plebis, recipitur a patriciis juvenibus ea conditione, ut ædiles fiant.

I. Quæ ab condita urbe Roma ad captam eamdem urbem [1] Romani sub regibus primum, consulibus deinde ac dictatoribus, decemvirisque ac tribunis consularibus gessere, foris bella, domi seditiones, quinque libris exposui; res quum vetustate nimia obscuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod parvæ et raræ per eadem tempora literæ [2] fuere, una custodia fidelis memoriæ rerum gestarum, et quod,

Cap. I. 1. *Ab condita urbe ad urbem*, vide ad I, 3, n. 8. — Ad hunc locum respexit haud dubie Plutarchus in lib. de Fortuna Rom. quum, in ejus extremo, de urbe a Gallis occupata, sed mirifice servata et liberata, locutus ait : ἀλλὰ τί δεῖ περὶ ταῦτα διατρίβειν ; σαφὲς οὐδὲν οὐδὲ ὡρισμένον ἔχει, τῷ καὶ τὰ πράγματα διαφθαρῆναι τῶν Ῥωμαίων, καὶ συγχυθῆναι τοὺς ὑπ' αὐτῶν ὑπομνηματισμοὺς, ὡς Λίβιος ἱστόρηκε. Ed. — Si Creverio fides, Muretus delet voc. *urbem*, quæ nullo modo necessaria est. Ed.

2. *Parvæ et raræ per eadem tempora literæ*, breviora ac minus obvia quælibet literarum vel ingenii monimenta conscripta, literisque tradita, scilic. inscriptiones, commentarii publici et scriptæ rerum gestarum narrationes, seu historiæ, quæ *memoriæ* ac *famæ* opponuntur, dicunturque h. l. per apposit. *una* (unica, sola) *custodia fidelis*, etc. Confer VII, 3, n. 3,

etiamsi quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monimentis, incensa Urbe pleræque interiere. Clariora deinceps certioraque ab secunda origine, velut ab stirpibus lætius feraciusque renatæ Urbis[3], gesta domi militiæque exponentur. Cæterum quo primo adminiculo erecta erat, eodem innisa M. Furio principe stetit; neque eum abdicare se dictatura, nisi anno circumacto, passi sunt. Comitia

et XXV, 1 extr. — *In commentariis pontificum*, v. ad IV, 3, n. 5. — *Pleræque*, scil. literæ, nisi cum Dukero leg. *pleraque* : quam lectionem tuetur noster Sorbonicus. Ed.

3. *Velut ab stirpibus lætius feraciusque renatæ*, resurgentis, *Urbis;* confer XXVI, 41, n. 10; inpr. XXIX, 3 f. *majorem semper frequentioremque pro tot cæsis exercitibus subolescentem* populum rom. quem Horat. Od. IV, 4, 57, comparat ilici, ab ipsa amputatione *lætius revirescenti*, novaque virium incrementa ab ea capienti.—*Quo primo adminiculo erecta erat, eodem innisa stetit*, scilicet Urbs : metaphora petita a vite, adjuncta, seu alligata palis ulmeis vel plataninis et populeis, qui propr. *adminicula vitis* dicuntur, ad quæ illa *se erigit* (confer Cic. Sen. XV, et Nat. Deor. II, 47); vel ab adminiculis, quæ arboribus (vide Senec. de Clem. II, 7) ædibusve ruinam minantibus applicantur, quibusque *innisæ stant*. Confer X, 22 pr. et ad Tacit. Annal. XIV, 54, n. 1.—*M. Furio* Camillo *principe*, vide ad V, 30, n. 5.—*Neque eum abdicare se dictatura passi sunt*, scil. Romani (ut *dicunt*, *ferunt*, etc.), vel *Urbs*, h. e. incolæ ejus, cives (vide ad III, 47, n. 1), *nisi anno circumacto*, h. e. peracto, exeunte, finito, ut XXVI, 40 pr. et XXVII, 30, etsi plerumque id dicitur de integro anno, qui in se, circuli instar, redit. Hac Livii aliorumve annalium locutione, male intellecta, inducti auctor fastorum capitolin. multique alii putarunt, totum annum seq. nullos militum tribunos consulesve habuisse, sed Camillum ex senatusconsulto per eum continuasse dictaturam reipub. constituendæ seditionisque comprimendæ causa. Cui sententiæ seqq. et cap. 2 adversantur, neque favent verba Plut. in Camillo, p. 144, ad quæ Pigh. in Annalibus ad annum 364 provocat : φοβηθεῖσα τὸν θόρυβον ἡ βουλὴ τὸν μὲν Κάμιλλον οὐκ εἴασε βουλόμενον ἀποθέσθαι τὴν ἀρχὴν ἐντὸς ἐνιαυτοῦ· καίπερ ἓξ μῆνας οὐδαμῶς ὑπερβάλλοντος ἑτέρου δικτάτωρος· (Ex quo loco probabile fit, h. l. pro *passi sunt* leg. esse *passus senatus*.) Camillo, qui rei gerendæ causa dictator erat dictus, ea gesta per leges non licebat magistratum retinere; sed ex senatusconsulto non deposuit ante exitum anni, quo creatus erat. Similiter errant fasti Capitol. et Pigh. ad ann. 429 et 444, qui dictaturam L. Papirii Cursoris in eos annos prorogatam, neque alios in illis magistratus curules fuisse dicunt : quod nec Livius, nec, quod sciam, alius quisquam tradidit. Conf. tamen ad IV, 33, n. 6; Periz. Anim. histor. 10; Dodwell. de cyclis X, 83.—Non anno post dictaturam acceptam, sed anno currente tandem circumacto, se abdicavit. Ed. — *Comitia in insequen-*

in insequentem annum tribunos habere, quorum in magistratu capta Urbs esset, non placuit : res ad interregnum rediit. Quum civitas in opere ac labore assiduo reficiendæ Urbis teneretur, interim Q. Fabio, simul primum magistratu abiit [4], ab C. Marcio tribuno plebis dicta dies est, quod legatus in Gallos, ad quos missus erat orator, contra jus gentium pugnasset; cui judicio eum mors, adeo opportuna, ut voluntariam magna pars crederet, subtraxit [5]. Interregnum iniit tum P. Cornelius Scipio interrex, et post eum M. Furius Camillus. Iterum is tribunos militum consulari potestate creat, L. Valerium Publicolam iterum, P. Virginium, P. Cornelium, A. Manlium, L. Æmilium, L. Postumium. Hi ex inter regno [6] quum extemplo magistratum inissent, nulla de re prius, quam de re-

tem annum tribunos habere ; in sequentem annum Leid. sec. Lovel. 1, 2, 4, 5; Harlei. sec. Portug. Haverk. et Hearnii Oxoniensis liber II. Sed prima syllaba vocis *insequentem* intercidit ob vocem præcedentem. Mox pro *quorum in magistratu, quorum magistratu* Lovel. II; reliqui autem, et inpr. Reg. et Sorbonicus nostrum tuentur. Ed.

4. *Simul* (simul ac) *primum magistratu abiit*, ut XXXV, 44; et *simul ac primum* apud Cicer. Verr. Act. II, 1, 13; et Phil. IV, 1; quibus locis τὸ *primum* majorem designat celeritatem, vel plane delendum est et librariis debetur, qui passim, ubi *simul* pro *simul ac* positum est, similia addidere, v. c. *ubi* IV, 18; *ut* V, 25; *ac, si, postquam*, etc. Confer ad III, 62, n. 4. — De *Q. Fabio* vide V, 35, 36. Duo ejus fratres eamdem in se admiserant culpam, quod tamen Gallis non tam manifestum fuerat: et ille cæde ducis hostium eos maxime exacerbaverat. Præterea Marcius pœna unius e Fabiis contentus fuisse videtur.

5. *Judicio eum mors, adeo opportuna, ut voluntariam magna pars crederet, subtraxit :* conf. Plin. Ep. II, 11, et Tac. Ann. IV, 21, n. 5. — *Interregnum iniit tum* (ut in omnibus legitur MSS et antt. edd.) *P. Cornelius Scipio interrex*, quæ vox forte delenda. (Cf. tamen ad I, 3, n. 8.) Recentiores editores substituere : *Interregnum initum. P. Cornelius Scipio interrex* (ut VIII, 3; et X, 11; sed jam paulo ante dixerat Livius: *res ad interregnum rediit*), *et post eum M. Furius Camillus iterum. Is tribunos*, etc. Sed nunquam memoratur, quoties aliquis extroardinarium gesserit magistratum, et Camillus jam bis fuerat interrex, at semel tantum interrex tribunos militum creaverat; vide V, 17 et 31. Hinc cum Strothio interpunctionem mutavi, ut *iterum* referatur ad *creat*.

6. *Ex interregno*, statim post interregnum exactum, adeoque postquam

ligionibus, senatum consuluere. In primis fœdera ac leges (erant autem eæ duodecim tabulæ et quædam regiæ leges) conquiri, quæ comparerent, jusserunt: alia ex eis edita [7] etiam in vulgus: quæ autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa. Tum de diebus religiosis agitari cœptum; diemque ante diem xv Calendas sextiles, duplici clade insignem (quo die ad Cremeram Fabii cæsi, quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum) a posteriore clade Alliensem appellarunt, insignemque rei nulli publice privatimque agendæ [8] fecerunt. Quidam, quod postridie idus quinctiles non litasset Sulpicius tribunus militum, neque inventa pace deum post diem tertium [9] objectus hosti exercitus romanus esset, etiam

creati erant, non solenni die. Confer cap. 5 extr. et ad IV, 31, n. 1. — Mox e MSS tantum non omnibus forte reponendum *erant autem æreæ*, seu *æneæ duodecim tabulæ*, unde simul intelligitur, cur non interierint incensa urbe. — *Quæ comparerent*, superessent; proprie adessent, conspici possent. Cf. ad XXV, 40, n. 3; XXVI, 30, n. 4; XXVII, 24, n. 2; XXIX, 21, n. 2; XXXII, 10, n. 1; inprim. XXXVIII, 11, n. 5.

7. *Alia ex eis edita*, h. e. reliqua (v. ad IV, 10, 2), vel quædam: *quæ autem ad sacra pertinebant, a pontificibus suppressa* ac celata, ut, eorum per partes et opportuno tempore edocendorum jure sibi reservato, auctoritatem suam firmarent, et *ut religione obstrictos haberent multitudinis animos*: confer IX, 46, et Cic. pro Murena, XI. — Mox *dies religiosi* sunt, quibus judicia vel aliud, præter sacra, agere, religiosum est (vide ad II, 5, n. 4), qui vulgo *nefasti* et *infausti* dicuntur; et, teste Gell. IV, 9, et VII, 17, tristi omine infames impeditique habentur. Hinc infr. XXXVII, 33, *dies, quibus ancilia moventur, religiosi ad iter* faciendum. Confer ad I, 19, n. 7.

8. *Insignemque rei nulli agendæ*, re nulla agenda. Confer tamen ad III, 35, n. 1. — *Non litasset* (vide ad V, 38, n. 1) *Sulpicius* (vide V, 36, 47, 48), *neque*, et non, *inventa pace deum*, vide ad III, 5, 12; et V, 38, n. 1.

9. *Post tertium diem*, id. qd. tertio die, ut *ante diem* pro *die*, vel *die ante* supra III, 8 pr. XXVII, 23; XXXVI, 4; XL, 59; XLI, 16; *ex ante diem quintum* pro *ex die ante diem quintum*, XLV, 2; *in ante diem III idus* pro *in diem ante diem III idus*, XLI, 16; *in ante IV*, XLV, 3; *usque ante diem V*, XXV, 12 pr. *post diem tertium ejus diei*, die tertio post eum diem, XXVII, 35 pr. Cf. Noris. Cenot. Pis. II, 17; Cort. ad Sall. Cat. c. 30, § 1; Ferrar. ad Cic. Phil. III,

postridie idus rebus divinis supersederi jussum : inde, ut postridie calendas quoque ac nonas [10] eadem religio esset, traditum putant.

II. Nec diu licuit quietis consilia erigendæ ex tam gravi casu reipublicæ [1] secum agitare. Hinc Volsci, veteres hostes, ad exstinguendum nomen romanum arma ceperant; hinc Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello, ad fanum [2] Voltumnæ factam, mercatores afferebant : novus quoque terror accesserat defectione Latinorum Hernicorumque, qui, post pugnam ad lacum Regillum factam, per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitiam populi romani fuerant [3]. Itaque quum tanti undique terrores circumstarent, appareretque omnibus, non odio solum apud hostes, sed contemptu etiam inter socios nomen romanum laborare; placuit eisdem auspiciis defendi rempublicam, quibus recuperata esset, dictatoremque dici M. Furium Camillum. Is dictator C. Servilium Ahalam magistrum equitum dixit : justitioque indicto, delectum juniorum habuit, ita ut se-

8; Bosius ad Cicer. ad Attic. I, 1; Intpp. juris civilis ad l. 132; D. de verb. sign., et Syll. Epist. a Burm. edit. t. II, ep. 313; Drakenb. infra ad XLI, 16, n. 5.

10. *Ut postridie calendas quoque ac nonas*, ut postridie idus, *eadem religio esset*, et ater, seu infaustus dies haberetur, *traditum* esse atque institutum. Confer Gell. V, 17; Macrob. Sat. I, 16; et Plutarch. in Qu. Rom. Opp. t. II, p. 269.

Cap. II. 1. *Erigendæ reipublicæ* genitivi esse videntur, non dativi. Conf. ad III, 35, n. 1.

2. *Ad fanum Voltumnæ*, vide ad IV, 23, n. 5. — De *pugna ad lacum Regillum* vide ad II, 19, 21. Ea ante CXII annos fuerat; sed ante *annos prope centum* Hernicis pax data, vide II, 41 pr.

3. *In amicitiam populi romani fuerant*, vide ad II, 14, n. 2. — *Quum tanti undique terrores circumstarent, appareretque.* Vox *undique*, quæ in multis antiquioribus edd. neglecta erat, jam recepta est in Tarvisina utraque, aliisque; eamdem servant omnes manu exarati. Libro XXX, capite 3, « Nec Scipio ullo tempore hiemis belli opera remiserat, quæ multa simul undique eum circumstabant. » Præterea *apparaaretque* Leid. pr. quo modo haud semel lapsi sunt scribæ, ut supr. lib. III, cap. 57, et alibi. Ed. — *Justitioque indicto*, vide ad III, 3, n. 1.

niores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in verba sua juratos centuriaret[4]. Exercitum conscriptum armatumque trifariam divisit : partem unam in agro veiente Etruriæ opposuit : alteram ante Urbem castra locare jussit; tribunus militum his A. Manlius, illis, qui adversus Etruscos mittebantur, L. Æmilius præpositus : tertiam partem ipse ad Volscos duxit, nec procul ab Lanuvio (*ad Mæcium*[5] is locus dicitur) castra oppugnare est adortus. Quibus, ab contemptu (quod prope omnem deletam a Gallis romanam juventutem crederent) ad bellum profectis, tantum Camillus auditus imperator terroris intulerat, ut vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sepirent, ne qua intrare ad munimenta hostis posset. Quod ubi animadvertit Camillus, ignem in objectam sepem conjici jussit : et forte erat vis magna venti versa in hostem; itaque non aperuit solum incendio viam, sed, flammis in castra tendentibus, vapore etiam ac fumo crepituque viridis materiæ[6] flagrantis, ita consternavit hostes, ut minor moles superantibus vallum[7] in castra Volscorum Romanis fuerit, quam transcendentibus sepem incendio assumptam fuerat. Fusis hostibus cæsisque, quum castra impetu cepisset dictator, prædam militi dedit, quo minus speratam, minime largitore duce,

4. *In verba sua juratos* (vide ad II, 32, n. 1) *centuriaret*, in centurias describeret, ut pedites mererent : nam equites *decuriabantur*. Confer X, 21; XXII, 38; XXV, 15, et XXIX, 1 pr. ubi *ordinare et centuriare* pro : in ordines et centurias describere.

5. *Ad Mæcium*, scilicet castrum, a quo et *Mæcia tribus* (vide VIII, 17 extr. et XXIX, 37) dicta, teste Festo. Al. *Mecium*, *Metium*, et *Marcium*, ut περὶ τὸν Μάρκιον ὄρος bis apud Plut. in Camillo, et Diodor. XIV, pag. 456; nisi leg. Μαίκιον· *ad Marcium* probant Cluver. et Cellar. — *Ab contemptu*, vide ad I, 1, n. 5.

6. *Fumo crepituque viridis materiæ*, ligni, ut XXVI, 9, et XXVIII, 45. Proprie est lignum, quod non comburi solet, sed ædibus, navibus, etc. faciendis adhiberi; vide ad Tacit. Ann. I, 35, n. 4.

7. *Minor moles superantibus vallum*, vide I, 38, n. 4. — *Minime lar-*

eo militi gratiorem: persequutus deinde fugientes, quum omnem volscum agrum depopulatus esset, ad deditionem Volscos septuagesimo demum anno subegit[8]; victor ex Volscis in Æquos transiit, et ipsos bellum molientes: exercitum eorum ad Bolas oppressit; nec castra modo, sed urbem etiam aggressus, impetu primo cepit.

III. Quum in ea parte, in qua caput rei romanæ Camillus erat, ea fortuna esset, aliam in partem terror ingens ingruerat. Etruria prope omnis armata Sutrium, socios populi romani, obsidebat[1]: quorum legati, opem rebus affectis[2] orantes, quum senatum adissent, decretum tulere, ut dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret. Cujus spei moram quum pati fortuna obsessorum non potuisset[3], confectaque paucitas oppidanorum, opere, vigiliis, vulneribus, quæ semper eosdem urgebant, per pactionem urbe hostibus tradita, inermes cum singulis emissi vestimentis, miserabili agmine penates relinquerent; eo forte tempore Camillus cum exercitu romano inter-

gitore duce, quum dux esset minime liberalis. Al. *a minime,* etc. Mox *militi,* quod modo præcessit, delendum videri possit; at vide ad I, 3, n. 8.

8. *Volscos septuagesimo demum anno subegit,* ut apud Oros. III, 3; et Eutrop. II, 1. Sed cum Sigonio forte leg. *septimo ac centesimo.* Confer II, 22. — *Ad Bolas,* vide ad IV, 49, n. 3. Conf. diversa narratio Diodori XIV, 117, quæ verior videtur. Confer Drak. ad h. l. et Periz. anim. hist. cap. 4.

Cap. III. 1. *Etruria prope omnis armata Sutrium, socios* (vide ad III, 47, n. 1) *populi romani, obsidebat,* h. e. Etrusci Sutrinos. Conf. ad III, 47, n. 1. *Sutrium* colonia romana et claustra Etruriæ, hodie *Sutri* ad Pozzolo flumen. Cf. IX, 32 pr. XXVII, 9. Sed jam hoc anno coloniam eam fuisse factam tradit Diodorus, XIV, 117; post septem vero annos, quam Galli Urbem cepere, Vell. I, 14; nisi *Satricum* ibi legend. ex Liv. VI, 16. *Sutrium* tamen *socios populi rom.* adhuc appellat Livius IX, 32, 35; et *coloniam* XXVII, 9; XXIX, 15.

2. *Rebus affectis,* vide ad V, 10, n. 6. — *Decretum tulere,* vide ad I, 50, n. 7.

3. *Quum pati fortuna obsessorum non potuisset,* et propterea *penates relinquerent:* in plerisque MSS est *posset;* sed quoties aliquid factum significatur, quod tempore prius fuit, quam aliud, quod inde sequeretur, semper

venit; cui quum se mœsta turba ad pedes provolvisset, principumque orationem, necessitate ultima expressam, fletus mulierum ac puerorum, qui exsilii comites trahebantur, excepisset; parcere lamentis Sutrinos jussit: Etruscis se luctum lacrymasque ferre. Sarcinas inde deponi, Sutrinosque ibi considere, modico præsidio relicto, arma secum militem ferre jubet. Ita expedito exercitu profectus ad Sutrium, id quod rebatur, soluta omnia[4] rebus, ut fit, secundis invenit: nullam stationem ante mœnia, patentes portas, victorem vagum prædam ex hostium tectis egerentem. Iterum igitur eodem die Sutrium capitur: victores Etrusci passim trucidantur ab novo hoste, neque se conglobandi coeundique in unum, aut arma capiendi datur spatium; quum pro se quisque tenderent ad portas, si qua forte se in agros ejicere possent, clausas (id enim primum dictator imperaverat) portas inveniunt[5]. Inde alii arma capere, alii, quos forte armatos tumultus occupaverat, convocare suos, ut prælium inirent; quod accensum ab desperatione hostium fuisset, ni præcones, per urbem dimissi, poni arma et parci inermi jussissent, nec præter armatos quemquam violari. Tum etiam, quibus animi in spe ultima obstinati

de illo plusquamperf. adhibendum est: unde et infr. c. 35, *Patres quum trepidassent*, dubii, seu incerti fuissent, et fluctuassent, tandem *collegas.... comparaverunt;* Strothius. Plusquamp. pro imperf. positum putabat Drakenb. per enallagen temporum, ut *ab insciis, quem interfecissent, occideretur* VII, 6 (ubi tamen in nonnullis MSS legitur *interficerent*), et infr. c. 33, n. 6. Cf. ad XXXIV, 11, n. 1. — *Exsilii comites trahebantur;* quidam, *turbabantur:* pessime. Silius, lib. VI, v. 403, *Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus.* Valer. Maxim. lib. III, cap. 2, *dextera lævaque communes filios mortem non recusantes trahens.* Tac. Ann. lib. XIV, c. 34, *ut conjuges quoque testes victoriæ secum traherent.* Virgil. Æneid. II, 447, *avo puerum Astyanacta trahebat;* nostræ Edit. vol. II, p. 267. Ed.

4. *Soluta omnia*, v. ad III, 8, n. 4.

5. *Quum pro se quisque tenderent ad portas... clausas portas inveniunt*, vide ad I, 3, n. 8; I, 59, n. 3; et IV, 19, n. 1. — *Quos tumultus occupaverat*, deprehenderat.

16.

ad decertandum fuerant[6], postquam data spes vitæ est, jactare passim arma, inermesque, quod tutius fortuna fecerat, se hosti offerre. Magna multitudo in custodias divisa[7]: oppidum ante noctem redditum Sutrinis inviolatum integrumque ab omni clade belli, quia non vi captum, sed traditum per conditiones fuerat.

IV. Camillus in Urbem triumphans rediit, trium simul bellorum victor. Longe plurimos captivos ex Etruscis ante currum duxit; quibus sub hasta venumdatis, tantum æris redactum est, ut, pretio pro auro matronis persoluto[1], ex eo, quod supererat, tres pateræ aureæ factæ sint : quas, cum titulo nominis Camilli, ante Capitolium incensum in Jovis cella constat ante pedes Junonis positas fuisse. Eo anno in civitatem accepti, qui Veientium Capenatiumque ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus assignatus : revocati quoque in Urbem senatusconsulto a Veiis, qui ædificandi Romæ pigritia[2], occupatis ibi vacuis tectis, Veios se contulerant; et primo fremitus fuit aspernantium imperium : dies deinde præstituta[3] capitalisque pœna, qui

6. *Quibus animi obstinati ad decertandum fuerant*, conf. ad V, 41, n. 1. *Decertare* h. l. non simpl. *certare*, sed ad victoriam et mortem usque certare, ut *depugnare* de gladiatoribus apud Suet. Cæs. 39.

7. *Magna multitudo* captivorum *in custodias divisa*, ut XXIII, 34; XXIV, 19; XLIII, 19; apud Suet. Cæs. 14; Cic. Cat. IV, 4, al. Captivi autem militibus custodiendi dabantur, et posteriore tempore per municipia custodiendi dividebantur. Confer Drakenb. ad h. l. et Cortium ad Sallustii Catilinam, cap. 51, § 43.

Cap. IV. 1. *Pretio pro auro matronis persoluto*, cf. V, 25. — *Cum titulo*, inscriptione. — *Ante Capitolium incensum* civili bello; vide Tac. Histor. III, 72. — De *Jovis cella* vide ad III, 19, n. 11.

2. *Ædificandi Romæ pigritia*, conf. ad V, 48, n. 2. Verba *a Veiis* delend.; Gron. Sed tum τὸ *ibi* referendum ad *Romæ*, quod sensui adversatur, et sic vel leg. *sibi*, vel *Veios, occupatis ibi vacuis tectis, se contulerant;* Drak.

3. *Dies deinde præstituta* (cf. XLV, 11; et ad II, 35, n. 1), scilic. ei, seu cuivis, *qui non remigrasset*, etc. —

non remigrasset Romam, ex ferocibus universis singulos, metu suo quemque, obedientes fecit. Et Roma quum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis, et republica impensas adjuvante, et ædilibus velut publicum exigentibus opus[4], et ipsis privatis (admonebat enim desiderium usus) festinantibus ad effectum operis, intraque annum nova urbs stetit. Exitu anni comitia tribunorum militum consulari potestate habita. Creati T. Quintius Cincinnatus, Q. Servilius Fidenas quintum, L. Julius Julus, L. Aquillius Corvus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpitius Rufus. Exercitum alterum in Æquos, non ad bellum, victos namque se fatebantur, sed ab odio ad pervastandos fines, ne quid ad nova consilia relinquerent virium, duxere: alterum in agrum tarquiniensem. Ibi oppida Etruscorum, Cortuosa et Contenebra, vi capta dirutaque. Ad Cortuosam nihil certaminis fuit; improviso adorti, primo clamore atque impetu cepere:

Singulos, metu suo quemque, pro metu cujusque, quum quisque sibi metueret.

4. *Ædilibus velut publicum exigentibus opus*, curantibus, ut ædificia, tanquam publica essent, et ocius et recte exstruerentur. *Exigere*, examinare, exquirere, dicuntur curatores alicujus rei, quum aut jubent fieri aliquid, aut factum a redemptoribus iisve, qui debebant, perspiciunt probandi causa aut reprehendendi; inprimis Censores, qui *sarta tecta*, h. e. opera publica, præcipue templa, tum *tueri* dicuntur (ut XXIV, 18), h. e. supremam eorum curam habere, eaque ab omni detrimento sincera et integra conservare ac reparare, tum *locare* redemptoribus, ut aut nova ædificentur, aut *sarciantur*, si quid in iis aut vitii sit, aut melius novumve exstruendum (v. ad V, 23, n. 6), tum *exigere* (vide XXIX, 37; XLII, 3), h. e. inspicere, si opus e lege censoria vel locationis a redemptoribus factum sit: quod Græci ῥάπτειν οἰκοδομὴν et ὑποῤῥάπτειν dicunt; Ernesti in clave Cicer. Tum ea vel *probant* vel improbant; v. ad IV, 22, n. 5. Hinc et *exactor operis*, explorator, inquisitor, XLV, 37, n. 4.— *Admonebat enim* eos, ut festinarent, *desiderium usus*, quod primo quoque tempore ædibus uti posse cupiebant. — *Exitu anni comitia tribunorum militum consulari potestate habita. Creati*, etc. vide Drakenb. ad hunc locum, ubi propositam a Gronovio emendationem refert et dilucidat. Ed. — *Ab odio*, vide ad I, 1, n. 5. — *Vi capta dirutaque.* Ultimum hoc verbum, quod Gronov. delendum suspicabatur, plures, teste Drak., omittunt, et inprimis Nostri. Ed.

direptum oppidum atque incensum est. Contenebra paucos dies oppugnationem sustinuit; laborque continuus, non die, non nocte remissus, subegit eos [5]; quum in sex partes divisus exercitus romanus senis horis in urbem succederet prælio, oppidanos eosdem integro semper certamini paucitas fessos objiceret; cessere tandem, locusque invadendi urbem Romanis datus est. Publicari prædam tribunis placebat: sed imperium, quam consilium, segnius fuit; dum cunctantur, jam militum præda erat; nec, nisi per invidiam [6], adimi poterat. Eodem anno, ne privatis tantum operibus cresceret Urbs, Capitolium quoque saxo quadrato substructum est [7]: opus vel in hac magnificentia urbis conspiciendum.

V. Jam et tribuni plebis, civitate ædificando occupata, conciones suas frequentare [1] legibus agrariis conabantur: ostentabatur in spem pomptinus ager, tum primum, post accisas a Camillo Volscorum res, possessionis haud ambiguæ. Criminabantur, *multo eum infestiorem agrum ab nobilitate* [2] *esse, quam a Volscis*

5. *Subegit eos*, Contenebranos; proprie *eam*, scil. Contenebram; vide ad III, 47, n. 1. — *Quum in urbem succederet prælio* (vide ad I, 17, n. 4), et *oppidanos*, etc. quæ copula passim omittitur. — *Publicari*, vide ad III, 31, n. 2.

6. *Nisi per invidiam*, odio militum concitato.

7. *Capitolium quoque saxo quadrato substructum est*: nam *substructio* est quodvis muri genus, quod ad fulciendum ædificium, vel aggerem, ab exteriore parte exstruitur; Strothius. Confer XXXVIII, 28; XLI, 27, n. 7; et Schelleri Lex. Tarquinius Priscus jam magnis substructionibus (ἀναλήμματα ὑψηλὰ appellat Dionys. III, 69) æquaverat et exornaverat aream Capitolii; Doer. — *Opus vel in hac* (vide ad I, 5, n. 1) *magnificentia urbis conspiciendum*, conspicuum, spectabile. Confer ad II, 5, n. 8.

Cap. V. 1. *Conciones suas*, plebis, *frequentare*, frequentes convocare. magnam plebis multitudinem cogere, — *Ostentabatur in spem*, in spem proponebatur (ut XXX, 33, n. 6 et n. 7), *pomptinus ager*, vel ejus dividendi *spes* sæpius plebi *ostentabatur* (ut IV, 36; IX, 4), seu ostendebatur, h. e. significabatur, dabatur. Confer ad IV, 30, n. 1. — *Accisas res*, quidam *abcissas, decisas, occisas;* male: vide ad III, 10, n. 9. Ed.

2. *Infestiorem agrum ab nobilitate*,

fuerit; ab illis enim tantum, quoad vires et arma habuerint, incursiones eo factas; nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec, nisi, antequam omnia præcipiant, divisus sit, locum ibi plebi fore. Haud magno opere plebem moverant, et infrequentem in foro propter ædificandi curam, et eodem exhaustam impensis, eoque agri immemorem, ad quem instruendum[3] vires non essent. In civitate plena religionum, tum etiam ab recenti clade superstitiosis principibus[4], ut renovarentur auspicia, res ad interregnum rediit[5]: interreges deinceps M. Manlius Capitolinus, Ser. Sulpicius Camerinus, L. Valerius Potitus. Hic demum tribunorum militum consulari potestate comitia habuit. L. Papirium, C. Cornelium, C. Sergium, L. Æmilium iterum, L. Menenium, L. Valerium Publicolam tertium creat; hi ex interregno[6] magistratum occepere. Eo anno ædes Martis, gallico bello vota, dedicata est a T. Quintio duumviro sacris faciundis. Tribus quatuor ex novis civibus additæ[7], Stellatina,

etc. vide ad I, 7, n. 7.—*In possessionem agri grassari*, vide ad III, 44, n. 10. — Pro *præcipiant* alii *præripiant*, majore cum vi. Nostri vulgatam tuentur. Ed. — Mox *eodem*, et *eoque*, vide ad I, 11, n. 6.

3. *Ad quem* agrum *instruendum*, scilic. rebus necessariis, *instrumentis* rusticis, de quibus vide Plin. Epist. VIII, 17. Nobis dicitur *einrichten* et *Einrichtung* vel *inventarium*. Similiter *ædes instructas (meublirte) locare* XLII, 19, n. 4; *domus, diu ad varias omnium voluptatum illecebras instructa* XXIII, 8, n. 6; et passim *classis instructa*, ut al. *ornata* et *armata;* vide ad IX, 40, n. 12.

4. *Tum etiam superstitiosis principibus*, quum et hi superstitiosi tum essent, qui vulgo minus, quam plebs, religiosi erant, *ab recenti clade*, vide ad I, 1, n. 5.

5. *Ut renovarentur auspicia*, aliis creatis tribunis, *res ad interregnum rediit*, vide ad V, 17, n. 4. — *Deinceps*, vide ad I, 21, n. 8.

6. *Ex interregno*, vide ad cap. 1, n. 6.—*Magistratum occepere;* quidam codd. *eccepere;* et alii, *accepere:* sed vulgatum recte servant plerique optimi: neque aliter habent editi, nisi quod Veneti anno 1498, dederint *occipere*. Vide de hoc verbo Drakenb. lib. V, c. 9, § 6. Ed. — *Ædes Martis dedicata est a Quintio duumviro sacris faciundis*, vide ad I, 55, n. 3; et XXIII, 30, n. 8.

7. *Tribus quatuor additæ*, etc. vide

Tromentina, Sabatina, Arniensis: eæque viginti quinque tribuum numerum explevere.

VI. De agro pomptino ab L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem jam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri, quam fuerat. Et de latino hernicoque bello mentio facta in senatu, majoris belli cura, quod Etruria in armis erat, dilata est. Res ad Camillum tribunum militum consulari potestate rediit: collegæ additi quinque, Ser. Cornelius Maluginensis, Q. Servilius Fidenas sextum, L. Quintius Cincinnatus, L. Horatius Pulvillus, P. Valerius. Principio anni aversæ curæ hominum sunt a bello etrusco, quod fugientium ex agro pomptino agmen repente illatum in Urbem attulit, Antiates in armis esse, Latinorumque populos juventutem submisisse[1] ad id bellum; eo abnuentes, publicum fuisse consilium, quod non prohibitos tantummodo voluntarios dicerent militare, ubi vellent. Desierant jam ulla contemni bella; itaque senatus diis agere gratias, quod Camillus in magistratu esset: dictatorem quippe dicendum eum fuisse, si privatus esset: et collegæ fateri, *regimen omnium rerum, ubi quid bellici terroris ingruat, in viro uno esse : si-*

ad I, 43, n. 22. — *Arniensis*, al. *Narniensis*. Eadem varietas est XXIX, 37, n. 7. Confer de harum tribuum nominibus Drakenb. ad hunc locum, et de *Arniensi* tribu etiam Manut. de Civ. rom. p. 26, ed. Græv. in Thes. Ant. rom.; Panvin. de Civ. rom. cap. 50, pag. 279; Pigh. in Annal. ad annum 549, p. 217; et Intpp. Cicer. Agrar. II, 29.

Cap. VI. 1. *Juventutem submisisse*, subsidio misisse, et h. l. clam, ut nos dicimus : *unter der Hand schikken*, Stroth. — Antiqua lectio, *juventutem suam misisse*. Rhenanus. Rectius *submisisse*, quod plerique tuentur, et inprimis Nostri : nec desunt plurima hujus locutionis exempla; v. c. lib. XLIV, cap. 4, *nec auxit copias, integros fessis submittendo*. Cæs. Bell. Gall. lib. VII, cap. 85, *Cæsar, idoneum locum nactus, quid quaque in parte geratur, cognoscit, laborantibus submittit*. *Submittere* etiam est clam mittere, apud Frontin. lib. II, Strat. cap. 5, extr. 38, et alibi; Cic. lib. I, in Verr. cap. 41. Ed. — *Eo*, ideo, *abnuentes, quod dicerent, voluntarios tantummodo militare non prohibitos, ubi vellent* militare.

bique destinatum in animo esse, Camillo submittere imperium : nec quidquam de majestate sua detractum credere, quod majestati ejus viri concessissent. Collaudatis ab senatu tribunis, et ipse Camillus, confusus animo, gratias egit. *Ingens,* inde ait, *onus a populo romano sibi, qui se dictatorem jam quartum creasset*[2], *magnum a senatu talibus de se judiciis ejus ordinis, maximum tam honoratorum collegarum obsequio injungi. Itaque si quid laboris vigiliarumque adjici possit, certantem secum ipsum annisurum, ut tanto de se consensu civitatis opinionem, quæ maxima sit, etiam constantem efficiat. Quod ad bellum atque Antiates attineat, plus ibi minarum, quam periculi, esse. Se tamen, ut nihil timendi, sic nihil contemnendi auctorem esse. Circumsederi urbem romanam ab invidia et odio finitimorum : itaque et ducibus pluribus et exercitibus administrandam rempublicam esse. Te,* inquit, *P. Valeri, socium imperii consiliique, legiones mecum adversus Antiatem hostem ducere placet : te, Q. Servili, altero exercitu instructo paratoque, in urbe castra habere; intentum sive Etruria se interim, ut nuper, sive nova hæc cura, Latini atque Hernici*[3], *moverint. Pro certo habeo, ita rem gesturum, ut patre, avo, teque ipso ac sex tribunatibus*[4] *dignum est. Tertius exercitus ex causariis senioribusque a L. Quintio scribatur, qui Urbi mœnibusque*

2. *Qui se dictatorem jam quartum creasset :* proprie tribunum milit., at non consulari tantum potestate, sed nunc pæne dictatoria, regimine omnium rerum accepto. Rei augendæ causa et gratus ita loquitur. Dictator vero jam tertium fuerat, et quartum tribunus mil. Cf. n. 6, et ad c. 7, n. 3. Τὸ *creasset* Duk. et Drak. exponunt : creaturus fuisset, scil. nisi summo in magistratu esset, vel si privatus esset.

3. *Nova hæc cura,... Hernici,* novi hostes, qui nunc quoque nos cura afficiunt. — *Pro certo habeo, ita rem gesturum,* scil. te.

4. *Sex tribunatibus ;* nam sextum creatus erat tribunus militum. — *Ex causariis,* vide ad IV, 26, n. 7. — Mox junge : *quæque alia poscent belli tempora, provideat,* hoc est, paret; ut passim *providere* pro consulere in futurum et hinc parare. Conf. XXIII,

præsidio sit. L. Horatius arma, tela, frumentum, quæque belli alia tempora poscent, provideat. Te, Ser. Corneli, præsidem hujus publici consilii, custodem religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum, collegæ facimus. Cunctis in partes muneris sui benigne pollicentibus operam[5], Valerius, socius imperii lectus, adjecit; *M. Furium sibi pro dictatore*[6], *seque ei pro magistro equitum futurum. Proinde, quam opinionem de unico imperatore, eam spem de bello haberent. Se vero bene sperare*, Patres, *et de bello, et de pace universaque republica*, erecti gaudio, fremunt : *nec dictatore unquam opus fore reipublicæ, si tales viros in magistratu habeat, tam concordibus junctos animis, parere atque imperare juxta paratos, laudemque conferentes potius in medium, quam ex communi ad se trahentes*[7].

48, n. 2; XXXIX, 25, n. 4; ad Tac. Ann. II, 14, n. 6; et IV, 25, n. 3.

5. *Benigne pollicentibus operam*, v. ad III, 26, n. 1.

6. *M. Furium sibi pro dictatore*, etc. Confer not. 2.

7. *Laudem conferentes potius in medium*, in alios, laude dignos, cum collegis communicantes, *quam ex communi* laude, cujus et alii participes sint, et quam aliis etiam jure *sibi* vindicare liceat, *ad se trahentes*, omnem, etiam alienam, laudem sibi vindicantes. Sic fere *conferre in medium* III, 34, n. 2, publicare, palam facere quid et cum omnibus communicare, omnes ejus participes reddere; *nihil relictum esse virium in medio* II, 57, n. 2, h. e. aliis, reliquis civibus; *regni crimen in medio* erit VI, 19 extr. manifestum omnibus et conspicuum; *præda est in medio administrantibus* XLV, 18, iis permissa et communis; *si in medio ponitur* regnum XL, 11, si vel nunc non nominatim in me aut fratrem confertur, sed omnino capere illud potest, qui e nobis vult, tanquam rem, cujus dominus ignoretur, *non agnosco*, non me dominum ejus esse profiteor, non eam rem, tanquam meam, vindico (vide ad III, 10, n. 1); *de medio adjicere Cornelium* XXVI, 48, e reliquis, qui aderant (nisi legend. *de* vel *e mediis*, h. e. ex iis, qui medii vel neutrius essent partis; vide ad I, 32, n. 5); *in medium* vel *in commune consulere, consultare, congredi* XXIV, 22; XXVI, 12; XXXII, 21, n. 1; Tac. Hist. II, 37, 54; expendere et curare, quæ ad salutem omnium vel reip. pertinerent, ut contra *secernere sua a publicis consilia* IV, 57 pr. et *privato consilio aliquid facere* XXVI, 12. Bauer. monet, *in medium consuli* XXIV, 22, esse vel ab omnibus pariter, æquo jure, æquo studio, vel de omnium pariter communi salute, nemine excluso, qui aut non consulere-

VII. Justitio indicto, delectuque habito, Furius ac Valerius ad Satricum profecti : quo non Volscorum modo juventutem Antiates ex nova sobole lectam, sed ingentem Latinorum Hernicorumque conciverant ex integerrimis diutina pace populis [1]; itaque novus hostis veteri adjunctus commovit animos militis romani. Quod ubi aciem [2] jam instruenti Camillo centuriones renuntiaverunt, *turbatas militum mentes esse, segniter arma capta, cunctabundosque et resistentes egressos castris esse; quin voces quoque auditas, cum centenis hostibus singulos pugnaturos; et ægre inermem tantam multitudinem, nedum armatam, sustineri posse*; in equum insilit, et, ante signa obversus in aciem, ordines interequitans, « Quæ tristitia, milites, hæc, quæ inso-« lita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? « Hostis est quid aliud, quam perpetua materia vir-« tutis gloriæque vestræ? Vos contra, me duce (ut « Falerios Veiosque captos, et in capta patria Gallorum « legiones cæsas taceam), modo trigeminæ victoriæ « triplicem triumphum ex his ipsis Volscis et Æquis « et ex Etruria egistis. An me, quod non dictator « vobis, sed tribunus, signum dedi [3], non agnoscitis « ducem? neque ego maxima imperia in vos desidero: « et vos in me nihil, præter me ipsum, intueri decet: « neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut « ne exsilium quidem ademit. Iidem igitur omnes su-« mus; et, quum eadem omnia in hoc bellum affera-« mus, quæ in priora attulimus, eumdem eventum

tur, aut de cujus salute non ageretur, pro et de commodo et reipublicæ et omnium civium. Cf. ad XL, 11, n. 4.

CAP. VII. 1. *Ex integerrimis diutina pace populis*, quibus vires erant integerrimæ. — *Commovit*, terruit, perculit pavore.

2. *Quod ubi aciem*, etc. v. ad c. 8, n. 2. — *Obversus in aciem* suorum, conversa in eam facie. Confer c. 24, et IX, 35.

3. *Quod non dictator vobis, sed tribunus, signum dedi*, cf. ad c. 6, n. 2. — *Præter me ipsum*, qualis sim dux.

« belli exspectemus. Simul concurreritis[4], quod quis« que didicit ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi « fugient. »

VIII. Dato deinde signo[1], ex equo desilit, et proximum signiferum, manu arreptum, secum in hostem rapit; *infer, miles*, clamitans, *signum*. Quod ubi videre ipsum Camillum, jam ad munera corporis senecta invalidum, vadentem in hostes[2], procurrunt pariter omnes, clamore sublato, *Sequere imperatorem* pro se quisque clamantes. Emissum etiam signum Camilli jussu in hostium aciem ferunt; idque ut repeteretur, concitatos antesignanos. Ibi primum pulsum Antiatem, terroremque non in primam tantum aciem, sed etiam ad subsidiarios perlatum. Nec vis tantum militum movebat, excitata præsentia ducis, sed quod Volscorum animis nihil terribilius erat, quam ipsius Camilli forte oblata species. Ita, quocumque se intulisset, victoriam secum haud dubiam trahebat; maxime id evidens fuit, quum, in lævum cornu, prope jam

4. *Simul concurreritis*, simul ac pugnaveritis.

Cap. VIII. 1. *Dato deinde signo*, scilicet pugnæ: quod vel vocale erat, classico, tuba, cornibus, buccina, lituo datum; vel mutum, tunica russa, s. punicea, aut vexillo supra fastigium prætorii in hasta extento: unde *signum pugnæ proponere* IX, 23; XXII, 45; et *vexillum proponere* apud Cæs. Bel. Gall. II, 20; vide Lips. Mil. rom. IV, 10 et 12.

2. *Quod ubi videre ipsum Camillum vadentem in hostes*: ut passim *quod* initio periodi vel παρέλκει, vel potius transitioni servit et ad antecedens aliquid relatum ponitur pro *in quo*, *qua in re*, *ad id quod attinet*, ut ὅ pro καθ' ὅ, δι' ὅ. Sic etiam in illis *quod si*, *quod nisi*, *quod utinam*, *quod quum*, *quod ne*, *quod ut*. Cf. cap. 7, n. 2; et XXVII, 7, n. 3; XXVIII, 3, n. 4; XXXII, 37, n. 4; XXXVII, 29, n. 2; XLII, 7, n. 3; Gronov. ad XXXVIII, 9; Drakenb. ad XXXII, 37; XLI, 10; Ernesti clav. Cic. et Intpp. Virgil. Æneid. II, 141. Similiter *id* πλεονάζει XXXVI, 26, n. 2; et XXXVIII, 9, n. 5; ubi vide Gronov. qui tamen simul monet, forsan delendum esse τὸ *id*, aut legend. *et*. (Confer ad I, 19, n. 1.) Sed Drak. ibi ad *id* ex seqq. intelligit *ut se permitterent Romanis*. — *Pro se quisque clamantes*, vide ad I, 59, n. 3. Mox *sed, qua Volscorum animis nihil terribilius erat, ipsius Camilli species* conjicit Doering.

pulsum, arrepto repente equo cum scuto pedestri, advectus, conspectu suo prælium restituit, ostentans vincentem cæteram aciem. Jam inclinata res erat, sed turba hostium et fuga impediebatur[3], et longa cæde conficienda multitudo tanta fesso militi erat; quum repente ingentibus procellis fusus imber certam magis victoriam, quam prælium, diremit[4]. Signo deinde receptui dato, nox insequuta, quietis Romanis, perfecit bellum. Latini namque, et Hernici, relictis Volscis, domos profecti sunt, malis consiliis pares adepti eventus. Volsci, ubi se desertos ab eis videre, quorum fiducia rebellaverant, relictis castris, mœnibus Satrici se includunt: quos primo Camillus vallo circumdare, et aggere atque operibus oppugnare est adortus. Quæ postquam nulla eruptione impediri videt; minus esse animi ratus in hoste, quam ut in eo tam lentæ spei victoriam[5] exspectaret, cohortatus milites, ne, tanquam Veios oppugnantes, in opere longinquo sese tererent, victoriam in manibus esse; ingenti militum alacritate mœnia undique aggressus, scalis oppidum cepit. Volsci abjectis armis sese dediderunt.

IX. Cæterum animus ducis rei majori, Antio, imminebat: id caput Volscorum, eam fuisse originem proximi belli. Sed quia nisi magno apparatu, tormentis machinisque, tam valida urbs capi non poterat; relicto ad exercitum collega, Romam est profectus, ut

3. *Sed turba*, multitudine confusa, *hostium et*, etiam, ipsa *fuga impediebatur* effusa. Conf. V, 38, n. 6; et IX, 23 extr. Verba forte sic ordinanda, vel ab ipso Livio ordinata sunt: *sed et fuga impediebatur turba hostium, et longa cæde conficienda* (confer ad II, 40, n. 8) *multitudo.*—Sunt qui dent, *fugam impediebat;* Nostri, *fuga impediebat,* sed vulgat. sequor. Ed.

4. *Imber certam magis victoriam, quam prælium, diremit,* ut infra cap. 32 med. et VII, 33 extr. Verbum *diremit* proprie modo ad *prælium,* non ad *victoriam* pertinet (vide ad I, 33, n. 7), nisi explicare malis: *diremit prælium,* quod potius jam *victoria certa,* quam *prælium,* dicendum erat; Strothius. Confer ad II, 53, n. 2.

5. *Tam lentæ spei victoriam,* obsi-

senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter sermonem ejus (credo, rem antiatem diuturniorem manere, diis cordi fuisse[1]), legati ab Nepete ac Sutrio, auxilium adversus Etruscos petentes, veniunt, brevem occasionem esse ferendi auxilii memorantes; eo vim Camilli ab Antio fortuna avertit. Namque quum ea loca opposita Etruriæ, et velut claustra inde portæque essent; et illis occupandi ea, quum quid novi molirentur, et Romanis recuperandi tuendique cura erat. Igitur senatui cum Camillo agi placuit, ut, omisso Antio, bellum etruscum susciperet. Legiones urbanæ, quibus Quintius præfuerat, ei decernuntur[2]. Quamquam expertum exercitum assuetumque imperio, qui in Volscis erat, mallet, nihil recusavit: Valerium tantummodo imperii socium depoposcit. Quintius, Horatiusque, successores Valerio in Volscis missi. Profecti ab Urbe Sutrium Furius et Valerius partem oppidi jam captam ab Etruscis invenere; ex parte altera, interseptis itineribus, ægre oppidanos vim hostium ab se arcentes. Quum romani auxilii adventus, tum Camilli nomen celeberrimum apud hostes sociosque, et in præsentia rem inclinatam sustinuit, et spatium ad opem ferendam dedit. Itaque diviso exercitu, Camillus

dionis felicem eventum; Ern. Similiter *victoria duelli* XXIII, 11; et *belli* XXXIV, 33 extr.

Cap. IX. 1. *Diis cordi fuisse*, gratum fuisse, placuisse, ut cap. 20 ext. VIII, 7; IX, 1, 8; X, 42; XXIII, 31; XXX, 17. — *Ab Nepete*, ut *Præneste sub ipsa* (urbe) apud Virg. Æn. VIII, 561. Oppidum dicitur *Nepet*, *Nepete*, *Nepis*, *Nepe*, Νέπετα, Νέπιτα, Νέπετος, Νέπα, hod. *Nepi*, vel *Nepessini*.

2. *Legiones urbanæ, quibus Quintius præfuerat, ei decernuntur*, conf. supr. c. 6. Sed causarii et senes erant; unde suspicantur viri docti, vel Livium memoria lapsum, vel h. l. *Q. Servilius* legendum, vel supra caput 6, nomina Q. Servilii et L. Quintii a librariis permutata esse, vel denique causarios interea convaluisse et seniores non fuisse prorsus decrepitos; mox vero non Servilium, sed *Quintium Horatiumque missos in Volscos* dici, quod ille senex, et hi juniores fuerint. — *In Volscis missi*, qui erant in Volscis, vel ad res in Volscis gerendas; nisi leg. *in Volscos*; Gron.

collegam, eam in partem circumductis copiis, quam hostes tenebant, mœnia aggredi jubet, non tanta spe[3], scalis capi urbem posse, quam ut, aversis eo hostibus, et oppidanis jam pugnando fessis laxaretur labor, et ipse spatium intrandi sine certamine mœnia haberet. Quod quum simul utrimque factum esset, ancepsque terror Etruscos circumstaret, et mœnia summa vi oppugnari, et intra mœnia esse hostem viderent; porta se, quæ una forte non obsidebatur, trepidi uno agmine ejecere. Magna cædes fugientium et in urbe et per agros est facta: plures a Furianis intra mœnia cæsi: Valeriani expeditiores ad persequendos fuere; nec ante noctem, quæ conspectum ademit, finem cædendi fecere. Sutrio recepto restitutoque sociis, Nepete exercitus ductus, quod per deditionem acceptum jam totum Etrusci habebant.

X. Videbatur[1] plus in ea urbe recipienda laboris fore; non in eo solum, quod tota hostium erat, sed etiam quod, parte Nepesinorum prodente civitatem, facta erat deditio. Mitti tamen ad principes eorum placuit, ut secernerent se ab Etruscis, fidemque, quam implorassent ab Romanis, ipsi præstarent. Unde quum responsum allatum esset, *nihil suæ potestatis esse, Etruscos mœnia custodiasque portarum tenere;* primo populationibus agri terror est oppidanis admotus: deinde, postquam deditionis, quam societatis, fides sanctior erat, fascibus sarmentorum ex agro collatis, ductus ad mœnia exercitus, completisque fossis scalæ admotæ, et clamore primo impetuque oppidum capitur. Nepesinis inde edictum, ut arma ponant; parcique jussum inermi. Etrusci pariter armati atque in-

3. *Non tanta spe*, non tam sperans, seu, quia sperabat.

Cap. X. 1. *Videbatur*. Noster Sorbonicus dat *videbant;* non male, sed parvi interest. Ed. — *Non in eo solum:* forte del. *in;* Gron.

ermes cæsi. Nepesinorum quoque auctores deditionis securi percussi : innoxiæ multitudini redditæ res, oppidumque cum præsidio relictum. Ita, duabus sociis urbibus ex hoste receptis, victorem exercitum tribuni cum magna gloria Romam reduxerunt. Eodem anno ab Latinis Hernicisque res repetitæ, quæsitumque, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent? Responsum frequenti utriusque gentis concilio est, *nec culpam in eo publicam, nec consilium fuisse, quod suæ juventutis aliqui apud Volscos militaverint; eos tamen ipsos pravi consilii pœnam habere, nec quemquam ex his reducem esse. Militis autem non dati causam terrorem assiduum a Volscis fuisse, quam pestem adhærentem lateri suo tot super alia aliis bellis exhauriri nequisse.* Quæ relata Patribus magis tempus, quam causam non visa belli habere[2].

XI. Insequenti anno, A. Manlio, P. Cornelio, T. et L. Quintiis Capitolinis, L. Papirio Cursore iterum, C. Sergio iterum tribunis consulari potestate, grave bellum foris, gravior domi seditio exorta : bellum a Volscis, adjuncta Latinorum atque Hernicorum defectione; seditio, unde minime timeri potuit, a patriciæ gentis viro et inclytæ famæ, M. Manlio Capitolino; qui nimius animi[1], quum alios principes sperneret, uni invideret, eximio simul honoribus atque virtutibus, M. Furio, ægre ferebat, *solum eum in magistratibus, solum apud exercitus esse; tantum jam eminere, ut iisdem auspiciis creatos non pro collegis, sed pro mi-*

2. *Quæ relata Patribus magis tempus* (temporis opportunitatem), *quam causam belli non habere* (non continere) *visa* sunt; putabant, minus opportunum esse tempus, quam gravem et justam belli causam. Verba *non habere* propr. tantum voci *causam*, non *tempus*, conveniunt. Cf. ad I, 33, n. 7. — In nostro codice Regio, priorem scripturam manus altera indocte ita corrupit : *magis belli causam, quam tempus habere visa.* Ed.

Cap. XI. 1. *Qui nimius animi*, vide ad III, 26, n. 8.

nistris habeat; quum interim, si quis vere æstimare velit, a M. Furio recuperari patria ex obsidione hostium non potuerit, nisi a se prius Capitolium atque arx[2] *servata esset: et ille, inter aurum accipiendum et spem pacis solutis animis, Gallos aggressus sit; ipse armatos capientesque arcem depulerit: illius gloriæ pars virilis*[3] *apud omnes milites sit, qui simul vicerint; suæ victoriæ neminem omnium mortalium socium esse.* His opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens et impotens, postquam inter Patres non, quantum æquum censebat, excellere suas opes animadvertit; primum omnium ex Patribus popularis factus, cum plebeiis magistratibus consilia communicare; criminando Patres, alliciendo ad se plebem, jam aura, non consilio, ferri[4], famæque magnæ malle, quam bonæ esse: et, non contentus agrariis legibus, quæ materia semper tribunis plebi seditionum fuisset, fidem moliri cœpit[5]: *acriores*

2. *Capitolium atque arx*, vide ad I, 55, n. 6. — *Inter aurum accipiendum et spem pacis solutis animis*, vide ad III, 8, n. 4. — *Et in spem pacis* Florent. quod probari posset. Ita enim *animi in spem pacis soluti* dicerentur, quemadmodum *resolvi in spectaculum* apud Frontin. lib. I, cap. 5, et *resolutus in securitatem* lib. II, cap. 9. Præterea tum præcedens *inter aurum accipiendum* dictum foret, pro *interea dum aurum accipitur*. Verum, an uni, licet optimo, codici fides hic adhibenda sit, vehementer dubitamus. Neque locutionem *solvi in aliquid* apud Liv. hoc sensu nondum notavimus. Ed.

3. *Gloriæ pars virilis*, sua, quæ cuique debeatur, quantum quisque ex ea meritus sit; Bauer. Vide ad Præfat. n. 3, et confer Cic. pro M. Marcello, cap. 2. — *Ad hoc impotens*, v. ad II, 23, n. 3; et III, 36, n. 2. — *Primum omnium*: immo *primus*, quod pæne omnes probant: nam h. l. ad ipsum hominem, propter voc. *omnium*, refertur, non, ut VIII, 15 extr. ad rem ipsam, et ad *factus*; Bauer.

4. *Jam aura* populari (vide ad III, 33, n. 2), et temerario plebis impetu, *non consilio ferri*; non ratione ducebatur, vel ad agendum impellebatur, eam sequebatur.

5. *Fidem moliri cœpit* (vide ad II, 30, n. 1), non dandis agris, ut Sp. Cassius, nec frumento, ut Sp. Mælius, sed pecunia, qua nexos ob æs alienum redemit, et prohibuit, ne debitores pecunias creditas solverent: conf. c. 14. In omnibus MSS et edd. antt. legitur inepte *idem moliri*: unde *fidem moliri* emend. Sigon. et Gron. Suspicari possis *amoliri*, vel *abolere*: sed *moliri*

quippe æris alieni stimulos esse, qui non egestatem modo atque ignominiam minentur, sed nervo ac vinculis[6] *corpus liberum territent.* Et erat æris alieni magna vis, re damnosissima etiam divitibus, ædificando contracta. Bellum itaque volscum, grave per se, oneratum Latinorum atque Hernicorum defectione, in speciem causæ jactatum, ut major potestas quæreretur[7]. Sed nova consilia Manlii magis compulere senatum ad dictatorem creandum. Creatus A. Cornelius Cossus magistrum equitum dixit T. Quintium Capitolinum.

XII. Dictator, etsi majorem dimicationem propositam domi, quam foris, cernebat; tamen, seu quia celeritate ad bellum opus erat, seu victoria triumphoque dictaturæ ipsi vires se additurum ratus, delectu habito, in agrum pomptinum, quo a Volscis exercitum indictum audierat[1], pergit. Non dubito, præter satietatem, tot jam libris assidua bella cum Volscis gesta legentibus illud quoque succursurum (quod mihi percensenti propiores temporibus harum rerum auctores miraculo fuit), unde toties victis Volscis et Æquis suffecerint milites; quod quum ab antiquis tacitum prætermissumque sit, cujus tandem ego rei præter opinionem, quæ sua cuique conjectanti esse potest,

propr. est movere, vel agere et facere, inpr. rem magnæ *molis*, seu arduam et magnam; deinde amoliri, amovere, v. c. *moliri obices, montes sede sua, onera, portam, terram*, VI, 33; IX, 3; XXIV, 46; XXV, 36, n. 6 (ubi paulo post *amoliri* synonym. dicitur); XXVII, 28; XXVIII, 44, n. 4 (*molientem hinc*, castra moventem, parantem discessum et fugam); XXVIII, 7; XXXVII, 11 (*moliuntur a terra* naves); XL, 29. Conf. ad II, 30, n. 1; XXIII, 18, n. 1; XXXIII, 5, n. 4; XXXVI, 24, n. 1.

6. *Nervo ac vinculis,* v. II, 23, n. 1. —*Ædificando, re damnosissima,* etc.

7. *In speciem causæ jactatum, ut major potestas quæreretur,* consilio dictatoris dicendi prætendebatur. Cf. ad II, 12, n. 7; et II, 32, n. 2.

Cap. XII. 1. *Quo a Volscis exercitum indictum audierat,* v. ad IV, 25, n. 4. — *Præter satietatem,* fastidium legendi, in (quod forte excidit) *tot jam libris . . . legentibus illud quoque succursurum*, vide ad V, 54, n. 2. — *Suffecerint* se, præsto, seu in promptu fuerint, superfuerint.

auctor sim[2]? Simile veri est, aut intervallis bellorum, sicut nunc in delectibus fit Romanis, alia atque alia sobole juniorum ad bella instauranda toties usos esse: aut non ex iisdem semper populis exercitus scriptos, quamquam eadem semper gens bellum intulerit : aut innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quæ nunc, vix seminario exiguo militum relicto, servitia romana ab solitudine vindicant[3]. Ingens certe (quod inter omnes auctores convenit), quamquam nuper Camilli ductu atque auspicio accisæ res erant, Volscorum exercitus fuit : ad hoc Latini Hernicique accesserant, et Circeiensium quidam, et coloni etiam a Velitris[4] Romani. Dictator, castris eo die positis, postero quum auspicato prodisset, hostiaque cæsa pacem deum adorasset[5], lætus ad milites, jam arma ad propositum pugnæ signum, sicut edictum erat, luce prima capientes, processit : « Nostra victoria

2. *Cujus tandem ego rei.... auctor sim,* quomodo eam pro certo scire, tradere et affirmare possim? Conf. ad II, 58, n. 1; et III, 47, n. 8. —*Alia atque alia sobole,* vide ad XXIV, 20, n. 5.

3. *In eis locis,* olim forte frequentissimis, *quæ nunc, vix seminario exiguo militum relicto, servitia rom. ab solitudine vindicant* (ut apud Cic. Or. I, 45 et 60), quæ nunc admodum paucis incoluntur liberis hominibus, e quibus milites conscribi queant, et prope deserta forent, nisi a servis romanis colerentur. « Eo tempore, quo hoc scribebat Livius, et dudum ante illius ætatem major erat per totam Italiam numerus servorum in agris, quam liberorum capitum, quum quod possessores agrorum ad eos colendos servorum maxime opera utebantur, tum quod largitiones frumentariæ plerosque liberos homines ex agris in Urbem alliciebant; » Dukerus. Confer Sigon. de ant. jur. civ. Rom. II, 6; Lips. Elect. II, 15; Plutarch. Gracch. pag. 827; Casaub. ad Sueton. Cæs. 42, et Aug. 42. — *Servitio romana absolutione vindicantur* sine sensu Lovel. sec. *vendicant* Voss. sec. Lovel. 3, et edd. vetustæ: pro quo, Ascensius annis 1513 et 1516, tanquam variam lectionem *vindicant* offert, a Moguntinis deinde receptum : et recte : Ita enim semper scribendum *vindico,* non *vendico,* docuerunt Dausq. in Orthogr parte II, ea voc. et Voss. in Etymol. ling. lat. voc. *vindico.* Ed. — *Accisæ res,* vide ad III, 10, n. 9. — *Ad hoc* (forte *hos*), vide ad V, 16, n. 1.

4. *Coloni a Velitris,* vide ad I, 50, n. 2. — *Auspicato,* v. ad V, 21, n. 1.

5. *Pacem deum* (vide ad III, 5, n. 12) *adorasset,* orasset, sibi exorasset,

« est, milites, inquit, si quid dii vatesque eorum in « futurum vident : itaque, ut decet certæ spei plenos, « et cum imparibus manus conserturos, pilis ante pe-« des positis, gladiis tantum dextras armemus : ne « procurri quidem ab acie velim, sed obnisos vos sta-« bili gradu[6] impetum hostium excipere. Ubi illi vana « injecerint missilia, et effusi stantibus vobis se intu-« lerint, tum micent gladii, et veniat in mentem uni-« cuique, deos esse, qui Romanum adjuvent; deos, « qui secundis avibus in prælium miserint. Tu, T. « Quinti, equitem intentus ad primum initium moti « certaminis teneas[7] : ubi hærere jam aciem collato « pede videris, tum terrorem equestrem occupatis alio « pavore infer; invectusque ordines pugnantium dis-« sipa. » Sic eques, sic pedes, ut præceperat, pugnant : nec dux legiones, nec fortuna fefellit ducem.

XIII. Multitudo hostium, nulli rei, præterquam numero, freta[1], et oculis utramque metiens aciem, temere prælium iniit, temere omisit : clamore tantum, missilibusque telis, et primo pugnæ impetu ferox, gla-

ut apud Virgil. Æn. X, 677. Confer Passer. et Broukh. ad Prop. I, 4, 27; et Burm. ad Ovid. Her. X, 141.

6. *Stabili gradu*, vide ad II, 10, n. 7.—*Secundis avibus*, faustis ominibus et auguriis, αἰσιᾶν κατ' ὀρνίχων apud Pind. Nem. θ, 43.

7. *Tu, T. Quinti, equitem... teneas*, contineas, retineas : *ubi hærere*, stare, et sibi adhærere quasi, se urgere, et confertim manibusve consertis pugnare, *jam aciem* (forte *acies*) *collato pede*, seu gradu *videris*, ut *pes* cum *pede collatus* XXVIII, 2 (ubi vide not. 4); *cum aliquo conferre gradum* VII, 33, n. 5; *conferre manus*, etc. de iis, qui cominus pugnant. Ita συστάδην μάχεσθαι, et contra σποράδην μάχεσθαι apud Polyb. III, 72, n. 10; III, 73, n. 8; XI, 32, n. 7; XIII, 3, n. 7, de stataria pugna, quæ cominus fit et collato pede, seu acie conferta. Sic et *conserta navis* ad pugnam XXI, 50 pr. *conserere manus*, vel *pugnam*, et simpl. *conserere* XLIV, 4. Cf. c. 13, n. 1; XXVI, 39, n. 9; ad Sil. IV, 352; Virg. Æn. X, 361; et Klotz. ad Tyrt. p. 101. —*Terrorem equestrem*, vide ad X, 5, n. 4.

Cap. XIII. 1. *Nulli rei... freta*, v. ad IV, 37, n. 6. — *Clamore tantum missilibusque telis : missilibusque et telis* Voss. pr. Leid. sec. et Lovel. 1 ac 2; at longe melius τὸ *et* deficit in aliis omnibus libris. Proprie quidem *tela* fuerunt, quibus eminus pugnabatur,

dios, et collatum pedem, et vultum hostis, ardore animi micantem, ferre non potuit. Impulsa frons prima [2], et trepidatio subsidiis illata; et suum terrorem intulit eques: rupti inde multis locis ordines, motaque omnia, et fluctuanti similis acies erat; deinde, postquam, cadentibus primis, jam ad se quisque perventuram cædem cernebat, terga vertunt. Instare Romanus, et, donec armati confertique abibant, peditum labor in persequendo fuit: postquam jactari arma passim, fugaque per agros spargi aciem hostium animadversum est, tum equitum turmæ emissæ, dato signo, ne, in singulorum morando cæde, spatium ad evadendum interim multitudini darent: satis esse, missilibus ac terrore impediri cursum, obequitandoque agmen teneri, dum assequi pedes, et justa cæde conficere hostem [3] posset. Fugæ sequendique non ante noctem finis fuit: capta quoque ac direpta eodem die castra Volscorum, prædaque omnis, præter libera corpora, militi concessa est.

quæ emitti in hostem solebant: usu tamen obtinuit, ut latius accipiantur, atque usurpentur etiam pro illis, quibus cominus pugnatur. Vide Voss. in Etymol. ling. lat. voc. *telum*. Et hinc telum pro hasta, pro sica, pro cornu uri, pro lapide, pro venabulo, pro funda poni, docuit Grævius ad Justin. lib. II, c. 5; et ita pro securi Livius etiam utitur supra lib. I, c. 40; atque pro cultro, lib. III, cap. 50. Hinc factum ut, distinctionis causa, dicere cœperint *missilia tela* de illis, quibus eminus pugnatur; quod ap. Nostrum frequenter occurrit; lib. II, cap. 65; IX, 24; XXII, 37; XXXVIII, 19, 22; XLII, 53; XLIV, 35; Virg. Æn. X, 773; Ovid. Epist. 16; Heroid. v. 39. Si quis tamen *missilibusque et telis* malit, per *missilia*, alia quævis manu mitti solita, ut lapides ac similia, intelligere debebit, quomodo *missiliaque saxa* memorantur supra lib. V, c. 47. Sed nobis præstare videtur recepta lectio. Ed. — *Collatum pedem*, vide ad cap. 12, n. 7. — *Vultum hostis, ardore animi micantem, ferre non potuit*, vide ad VII, 33, n. 7.

2. *Impulsa* (vide ad I, 14, n. 8) *prima frons*, acies. — *Fluctuanti similis acies*, vide ad III, 60, n. 7.

3. *Justa cæde conficere* (vide ad II, 40, n. 8) *hostem*, merita, ea, qua confici debet, Doer. vera cæde, quæ opponitur minis ac *terrori*, hosti ab equitibus injecto; vel satis magna, sufficienti (ut *justa acies, exercitus*, etc. XXII, 28; XXIII, 28 pr.), equites enim singulos trucidando non, quantum satis erat, conficere poterant; Stroth. Confer ad I, 4, n. 5; IV, 27, n. 5; et infra ad cap. 31, n. 2.

Pars maxima captivorum ex Latinis atque Hernicis fuit : nec hominum de plebe, ut credi posset mercede militasse[4], sed principes quidam juventutis inventi; manifesta fides, publica ope Volscos hostes adjutos. Circeiensium quoque quidam cogniti, et coloni a Velitris : Romamque omnes missi, percunctantibus primoribus Patrum eadem, quæ dictatori, defectionem sui quisque populi, haud perplexe indicavere.

XIV. Dictator exercitum in stativis tenebat, minime dubius, bellum cum his populis Patres jussuros; quum major domi exorta moles[1] coegit acciri Romam eum, gliscente in dies seditione, quam solito magis metuendam auctor faciebat : non enim jam orationes modo M. Manlii, sed facta, popularia in speciem[2], tumultuosa eadem, qua mente fierent, intuenda erant. Centurionem, nobilem militaribus factis, judicatum pecuniæ quum duci[3] vidisset, medio foro cum caterva sua accurrit, et manum injecit: vociferatusque de superbia Patrum, ac crudelitate feneratorum, et miseriis plebis, virtutibus ejus viri fortunaque; « Tum vero ego, inquit, nequidquam hac dextra Capitolium[4] arcemque « servaverim, si civem commilitonemque meum, tam-

4. *Ut credi posset mercede militasse*, etc. Confer cap. 10 extr. — *Coloni a Velitris*, vide ad I, 50, n. 2.

Cap. XIV. 1. *Major domi exorta moles*, vide ad I, 38, n. 4.

2. *Non enim jam orationes modo M. Manlii, sed facta* etiam, *popularia in speciem* (ut XXIV, 1, n. 5; et XXXVI, 6 pr. ubi *re vera* opponitur : confer ad II, 32, n. 2, et XXII, 3, n. 4), *tumultuosa eadem*, quæ ad populi quidem utilitatem gratiamque captandam spectare videbantur, sed re vera ad tumultum concitandum spectabant aut certe valebant, *qua mente*, quo consilio, *fierent, intuenda erant*, consideranda et perpendenda, vel pro *intuendum erat :* nisi cum Gronovio leg. *qua mente fierent intuenti*, consideranti, quo consilio fierent. — Nostri vulgatam tuentur, quæ non sollicitanda mihi videtur. Ed.

3. *Judicatum pecuniæ* (vide ad I, 26, n. 4) *quum duci vidisset*, ut mox : *in servitutem ac vincula duci.* Confer ad II, 23, n. 1. — Regius noster pro, *judicatum pecuniæ*, dat a secunda manu, *nexum ob æs alienum ;* perperam ! Ed.

4. *Capitolium arcemque*, vide ad I,

« quam Gallis victoribus captum, in servitutem ac « vincula duci videam. » Inde rem creditori palam populo solvit, libraque et ære liberatum emittit[5], deos atque homines obtestantem, *ut M. Manlio, liberatori suo, parenti plebis romanæ, gratiam referant.* Acceptus extemplo in tumultuosam turbam[6] et ipse tumultum augebat, cicatrices acceptas veienti, gallico, aliisque deinceps bellis ostentans. *Se militantem, se restituentem eversos penates, multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum fenore esse: videre lucem, forum, civium ora, M. Manlii opera: omnia parentum beneficia ab illo se habere: illi devovere corporis vitæque ac sanguinis quod super-*

55, n. 6.— *Gallis victoribus captum,* vide ad V, 12, n. 5.— *In vincula duci videam,* vide ad c. 18, n. 4.

5. *Inde rem,* pecuniam debitam *creditori palam,* coram, *populo* (ut contra *clam aliquo*) *solvit, libraque et ære liberatum emittit,* scil. debitorem e servitute, et manibus creditoris, in libertatem vindicavit, vel dimisit. Addictorum ob debitam pecuniam (v. ad III, 44, n. 5) eadem ratio erat, ac servorum pecunia emptorum, qui ab aliquo redempti, aut pretio ab ipsis soluto, manumittebantur per æs et libram, quam tenens dominus, præsentibus quinque testibus, significabat, justum sibi pro servo pretium esse solutum, adeoque hunc liberum esse; Strothius. Confer tamen Duk. ad hunc locum, et Quintil. Inst. Orat. 7, 3, et Declam. 311.

6. *In tumultuosam turbam,* vide ad I, 37, n. 4; II, 24, n. 1; et XXXIX, 49, n. 4. *Se militantem,* adeoque curam rei familiaris abjicere coactum, *se restituentem eversos penates,* reficientem ædes ab hostibus dirutas, *multiplici jam sorte exsoluta,* usuris jam tot totiesque solutis, ut triplicatam sortem quadruplicatamve æquarent, *mergentibus semper sortem usuris,* accrescentibus in immensum, et sortem superantibus (impedientibus eam solvi, quasi deprimentibus, ne emergere reddive posset; Bauer), *obrutum fenore esse.* Confer ad VII, 16, n. 1. *Sors* pecunia credita vel fenori data, mutuata usuris (ut c. 36, VII, 19), al. *creditum,* ut VI, 27; VIII, 28. *Mergi* et *obrui* synon. verba, et metaphora a navigio et fluctibus desumpta. Sic *mergi secundis rebus* IX, 18 pr. *mergere se in voluptates,* se iis ingurgitare, XXIII, 18, n. 6: *præcipitari* (in exitium) *et mergi potentia,* vel *onere jacturæ* apud Juvenal. X, 57; XIII, 8: *obruunt eum imperia* IX, 34 pr. *patriam obruit olim* (multis malis afflixit, oppressit, in perniciem traxit) *gloria paucorum* apud Juvenal. X, 142; *obrui malis,* κατακλυσθῆναι κακῶν, etc. Contra *emergere* dicitur. Confer ad II, 29, n. 7.— *M. Manlii opera,* ope: nisi *opera* est plur. num. ab *opere,* valido sane sensu; Bauer. Sic et Ern. improb. Schæf.

sit. Quodcumque sibi cum patria, penatibus publicis ac privatis juris fuerit[7], *id cum uno homine esse.* His vocibus instincta plebes quum jam unius hominis esset[8], addita alia commotioris ad omnia turbanda consilii res. Fundum in veienti[9], caput patrimonii, subjecit præconi: *Ne quem vestrum*, inquit, *Quirites, donec quidquam in re mea supererit, judicatum addictumve duci patiar.* Id vero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas sequuturi vindicem libertatis viderentur. Ad hoc domi, concionantis in modum, sermones pleni criminum in Patres[10]: inter quos, quum omisso discrimine vera an vana jaceret, *thesauros*

7. *Quodcumque sibi cum patria* et *penatibus publicis ac privatis* (vid. III, 17, n. 4) *juris fuerit*, officiorum. Se, quidquid alias his debuerit, jam uni Manlio debere, a quo omnia acceperit, quæ illorum beneficio sibi tribui possent; Stroth.

8. *Plebes quum jam unius hominis esset*, confer ad III, 36, n. 4.—*Addita alia commotioris ad omnia turbanda consilii res*, aliud consilium Manlii *commotioris*, vehementioris, incitatioris ad omnia turbanda; Doer. vel potius, *res alia consilii*, id est, aliud consilium vehementius et adeo efficacius ad turbas movendas : nam verborum passivorum participia, quæ sunt eadem adjectiva, præsertim ubi per gradus incrementa cepere, sensu activo sæpissime dicuntur, et sunt instar deponentium, vel adjectivorum nominum in *bilis* exeuntium; Ernest. Confer Cort. ad Sall. Catil. X, 5; et Bauer. ad Sanct. Min. tom. I, p. 142; Periz. tom. I, p. 159; *commodioris*, quod in uno MS et quibusdam edd. legitur; vel *accommodatioris;* recte, opinor, conj. Stroth. — Noster Reg. a prima manu *commodioris*. Ed.

9. *Fundum in veienti* agro (vide ad VIII, 12, n. 11), *caput patrimonii*, præcipuam patrimonii partem (nam *caput* est summum cujusque rei, vel quod in genere suo præstantissimum est : unde *Roma caput belli* XXVI, 7, n. 2; et *caput atque arcem hujus belli esse, ubi Hannibal sit* XXVIII, 42), *subjecit præconi*, ut al. *hastæ*, *sub præcone* (quam loquendi rationem Ernesti in clav. Cic. inde ductam monet, quod præco, quum venderentur servi, in lapide, λίθῳ πράτηρι, steterit, ut ab omnibus conspici potuerit), et *voci præconis*, hoc est, per præconem cuivis empturienti vendidit : *Ne quem vestrum, inquit, judicatum* (v. not. 3) *addictumve* (vide ad III, 44, n. 5) *duci patiar :* confer not. 3. *Ne patiar* pro *nolo pati*, ut μὴ græce optativo junctum; vel intelligi potest : *hoc facio*, ne patiar; Stroth.

10. *Ad hoc* (vide ad V, 16, n. 1), scil. accenderunt animos plebis *domi*, *concionantis in modum* (vide ad III, 47, n. 5), *sermones pleni criminum in Patres*, vide ad III, 19, n. 7.—*Inter quos, quum omisso discrimine vera an vana jaceret* (vide ad II, 12, n. 7),

gallici auri occultari a Patribus jecit : *nec jam possidendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam quoque publicam avertant : ea res si palam fiat, exsolvi plebem ære alieno posse.* Quæ ubi objecta spes est, enimvero indignum facinus videri, quum conferendum ad redimendam civitatem a Gallis aurum fuerit, tributo collationem factam [11] : idem aurum, ex hostibus captum, in paucorum prædam cessisse. Itaque exsequebantur quærendo [12], ubi tantæ rei furtum occultaretur; differenteque, et tempore suo se indicaturum dicente, cæteris omissis, eo versæ erant omnium curæ : apparebatque, nec veri indicii gratiam mediam, nec falsi offensionem fore.

XV. Ita suspensis rebus [1], dictator, accitus ab exercitu, in Urbem venit : postero die senatu habito, quum, satis periclitatus voluntates hominum, disce-

thesauros gallici auri (v. V, 48 extr.) *occultari a Patribus jecit :* extremum voc. *jecit* delendum putabat Gronov. et post *inter quos* subintell. *erat.* Conf. tamen ad I, 3, n. 8. « Aliud vitii latet in verbis *quum omisso... jaceret.* Quid enim respondet τῷ *quum?* Nam *jaceret* pendet ab *an* et omisso *ne.* Ergo aut ἀνακόλουθος oratio est, aut *quum* delendum, et post *vana* interpungendum, ut *essent* suppleatur, et *jaceret* referatur ad *quum;* aut *jecisset* pro *jecit* legendum, ut verba, *quæ ubi objecta spes est* rel. sint consequentis loco; » Bauer. Omnia plana sunt, si legeris *quum omisso* (sine) *discrimine vera ac vana jaceret.* — Nostri ambo habent *an.* Ed. — *Nec jam possidendis publicis agris contentos esse, nisi pecuniam publicam avertant* (vid. ad I, 7, n. 6), id est, sed velle, cupere, conari etiam pecuniam avertere, ut XXXIII, 47, n. 3, *non satis habere vicisse, nisi jurarent,* i. e. sed velle etiam jurare in eum; Bauer.

11. *Enimvero* (vide ad I, 51, n. 4) *indignum facinus videri, quod conferendum... aurum fuerit, tributo collatione facta* (ut in quibusdam MSS legitur), *idem aurum,* etc. emend. Doer. — *Ex hostibus captum,* receptum, recuperatum. — *In paucorum prædam cessisse,* ut *prædæ* XLIII, 19; et *pœna in vicem fidei cesserat* infr. cap. 34 pr.

12. *Itaque exsequebantur quærendo,* vide ad V, 15, n. 7. — *Mediam,* vide ad II, 49, n. 6. *Gratia* ad populum, *offensio* ad Patres spectat, et *mediam* ad utramque vocem.

Cap. XV. 1. *Ita suspensis rebus,* ut Cic. pro domo, cap. 36; *suspensa ac sollicita civitate,* et nos : *bei dieser Krisis, kritischen Lage der Sachen,* Stroth. Confer ad II, 32, n. 5. — *Satis periclitatus voluntates hominum,*

dere senatum ab se vetuisset, stipatus ea multitudine, sella in comitio posita, viatorem ad M. Manlium misit[2]: qui, dictatoris jussu vocatus, quum signum suis dedisset, adesse certamen, agmine ingenti ad tribunal venit. Hinc senatus, hinc plebs, suum quisque intuentes ducem, velut in acie constiterant. Tum dictator, silentio facto, « Utinam, inquit, mihi Patribusque « romanis ita de cæteris rebus cum plebe conveniat, « quemadmodum, quod ad te attinet eamque rem, « quam de te sum quæsiturus[3], conventurum satis « confido. Spem factam a te civitati video, fide inco- « lumi, ex thesauris gallicis, quos primores Patrum « occultent, creditum solvi posse. Cui ego rei tantum « abest ut impedimento sim, ut contra te, M. Manli, « adhorter, liberes fenore plebem romanam; et istos, « incubantes publicis thesauris[4], ex præda clandestina

vide ad I, 42, n. 4. — Pro *periclitatus*, habent quidam *percunctatus*. Verum sine dubio præferenda est recepta lectio, quam certiores ac melioris notæ codices tenent. Plautus in Amphitr. act. III, sc. 2, vers. 33, *periclitatus animum sum tuum*. Deinde *voluntatis hominum* unus. Nostri in vulgatam consentiunt, nisi quod in Regio, ut sæpe sæpius, priorem scripturam manus altera fœde corrupit. Ed.

2. *Sella* curuli *in comitio posita* (vide ad I, 36, n. 6), *viatorem ad M. Manlium misit*, vide ad II, 56, n. 10.

3. *Quam de*, ex, a, *te sum quæsiturus*. — *Fide incolumi*, ita, ut fides salva sit et incolumis. Confer ad II, 30, n. 1.

4. *Incubantes publicis thesauris*, eos prementes et occultantes, ne quidquam inde ad alios perveniat. Confer Cicer. Cluent. 26, et Virgil. Georg. II, 507; ubi vide Heyn. *Incubare* proprie de gallinis incubantibus ovis dicitur, atque, inde translatione facta, de avaris, aut aliis possessioni vel injustæ nimium tenaciter inhærentibus, ut magna demum vi eripi possit illis; cui translationi apte convenit alterum verbum *evolvere*, h. e. vi dejicere, abigere, ut apud Tacit. Ann. XIII, 15; Stroth. —Verbo *evolvere* ita quoque usus est Petronius, cap. 11, *opertum me amiculo evolvit;* et Apuleius, lib. I, p. 107 edit. Elmenh. *me quoque evolutum et excussum humi in universum cooperit ac tegit*. Ed. — « Ex fabula de cane et thesauro ducta imago. Mox in verbis *sive quod et ipse*, etc. τὸ *quod* pro *ut* e vett. libris notat Sigon. Utrumque commodum: *quod sis* veram rem et præsentem significat, *ut sis* consilium et futuram conditionem, ut tibi aliquid largiantur ac silentium redimant. Hæreo, utrum præferam. Nihil falso Sigon. codd. laudavit; » Bauer.

« evolvas. Quod nisi facis, sive quod et ipse in parte « prædæ sis, sive quia vanum indicium est, in vincula « te duci jubebo, nec diutius patiar, a te multitudi- « nem fallaci spe concitari. » Ad ea Manlius, « Nec se « fefellisse[5], ait, non adversus Volscos toties hostes, « quoties Patribus expediat, nec adversus Latinos « Hernicosque, quos falsis criminibus in arma agant, « sed adversus se ac plebem romanam, dictatorem « creatum esse. Jam, omisso bello, quod simulatum « sit, in se impetum fieri : jam dictatorem profiteri « patrocinium feneratorum adversus plebem : jam sibi « ex favore multitudinis crimen et perniciem quæri. « Offendit, inquit, te, A. Corneli, vosque, Patres « Conscripti, circumfusa turba lateri meo? Quin eam « diducitis a me[6] singuli vestris beneficiis, interce- « dendo, eximendo de nervo cives vestros, prohi- « bendo judicatos addictosque duci[7], ex eo, quod « affluit opibus vestris, sustinendo necessitates alio- « rum? Sed quid ego vos, de vestro impendatis, hor- « tor? Sortem aliquam ferte[8], de capite deducite, quod

5. *Nec*, non, *se fefellisse*, ut al. *hoc me fallit, latet, præterit, fugit.* Conf. ad III, 8, n. 2. — *Falsis criminibus*, vide ad III, 19, n. 7.

6. *Quin eam diducitis a me*, quare non vos turbam, meo lateri adhærentem, beneficiis potius quam vi a me distrahitis, separatis? Quo sensu *ab aliquo deduci* dixere etiam Cic. Invent. I, 55 extr. et Cæs. Bell. Civ. I, 7. Non est itaque quod legatur *deducitis*, vel *seducitis*. « Brevius dictum *diducitis a me* pro : diductam, divisam, a me abducitis, vel contra : a me avocatam divíditis ; » Bauerus. — Nostri vulgat. sequuntur; optime! Ed.

7. *Eximendo de nervo cives vestros, prohibendo judicatos addictosque duci*, vide ad II, 23, n. 1; III, 44, n. 5; et supra ad cap. 14, n. 3 et 9.

8. *Sortem aliquam* (ita in omnibus MSS et edd. antt. legitur pro vulg. *aliam*) *ferte*, sorte tandem aliqua contenti estote, nec eam renovate semper anatocismis; Gron. Pecuniam vobis a debitoribus numeratam non semper pro usuris, sed his remissis, *aliquam* etiam pro sorte *ferte*, h. e. accipite (vide ad I, 50, n. 7), ut hæc tandem aliquando minuatur, atque debita summa (*caput*, seu *sors*) in tantum minor fiat, quantum *usuris pernumeratum est* (*Nehmt endlich einmal das euch von euren Schuldnern bezahlte Geld als abgetragenes Capital an, und zieht so viel von der ganzen Schuldmasse ab*,

« usuris pernumeratum est : jam nihilo mea turba, « quam ullius, conspectior erit. At enim, quid ita « solus ego civium curam ago? Nihilo magis, quod « respondeam, habeo[9], quam si quæras, quid ita solus « Capitolium arcemque servaverim. Et tum universis, « quam potui, opem tuli, et nunc singulis feram. Nam « quod ad thesauros gallicos attinet, rem, suapte na- « tura facilem, difficilem interrogatio facit : cur enim « quæritis, quod scitis? cur, quod in sinu vestro est, « excuti jubetis potius, quam ponatis[10], nisi aliqua « fraus subest? Quo magis argui præstigias jubetis ve- « stras, eo plus vereor, ne abstuleritis observantibus « etiam oculos[11]. Itaque non ego, vobis ut indicem « prædas vestras, sed vos id cogendi estis, ut in me- « dium proferatis. »

XVI. Quum mittere ambages[1] dictator juberet, et

als bereits an Zinsen abbezahlt ist); Stroth. « Ego aut *sortem* pro conditione accipiam : *ferte* plebi ac date *aliam sortem*, conditionem leniorem et commodiorem, remittite severitatem exigendi æris; aut *ferte* est scribite, referte in libros vestros ac tabulas *aliam sortem*, minorem debitæ vobis pecuniæ summam ferte expensam plebi »; Bauer. « Sensus forte est : nimia a vobis exigo, hortatus, ut miseris obæratis subveniendo aliquid de vestro impendatis; *aliam* itaque non tam gravem conditionem accipite : *de capite deducite*, etc. »; Drakenb. Cf. c. 14, n. 6; et infr. c. 36 extr. inpr. c. 35; et ad VII, 16, n. 1; Suet. Cæs. 42; et Cic. in Verr. Act. II, lib. III, cap. 35, 36.—*Turba conspectior*, vide ad II, 5, n. 8.

9. *Nihilo magis, quod respondeam, habeo*, h. e. scio, *quam si quæras, quid*, cur, etc. Confer ad V, 51, n. 2; XXX, 29, n. 5; XXXVIII, 56, n. 2.

10. *Cur, quod in sinu vestro est, excuti jubetis potius, quam ponatis?* cur aurum, quod occultastis, vi potius vobis eripi vultis, quam sponte illud reddere? Metaphora desumpta a *sinu* togæ, in quo pecunia, vel marsupium e collo pendens aliæque res condebantur. *Ponitis* conj. Bauer.—De locutione *in sinu est* vide Lipsium ad Tacit. hist. lib. II, c. 92, et Brisson. in Lexico. *Ponatis*, nostri codices. Ed.

11. *Ne abstuleritis observantibus etiam oculos :* quod propr. dicitur de furibus et *præstigiatoribus*, qui summa arte spectantium, et vel Argi alicujus, oculos fallunt; Gron. qui præter alios, laudat Quintil. XII, 1; et Suid. in ψηφολόγοι, Polluc. VII, 23, seu 200; Sex. Empir. lib. II, adv. Mathem. p. 71 : καθάπερ οἱ ψηφοπαῖκται τὰς τῶν θεωμένων ὄψεις δι' ὀξυχειρίαν κλέπτουσι. — *Ut in medium proferatis*, vide supra ad cap. 6, n. 7.

Cap. XVI. 1. *Mittere ambages*, vide

aut peragere verum indicium cogeret, aut fateri facinus insimulati falso crimine senatus oblatæque vani furti invidiæ; negantem, arbitrio inimicorum se loquuturum, in vincula duci jussit. Arreptus a viatore, « Jupiter, inquit, optime maxime, Junoque Regina, « ac Minerva[2], cæterique dii deæque, qui Capitolium « arcemque incolitis, siccine vestrum militem ac præ« sidem sinitis vexari ab inimicis? Hæc dextra, qua « Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et ca« tenis erit »? Nullius nec oculi, nec aures indignitatem ferebant : sed invicta sibi quædam patientissima justi imperii civitas fecerat[3] : nec adversus dictatoriam vim aut tribuni plebis, aut ipsa plebs, attollere oculos, aut hiscere audebant. Conjecto in carcerem Manlio, satis constat, magnam partem plebis vestem mutasse[4], multos mortales capillum ac barbam promisisse, obversatamque vestibulo carceris mœstam turbam. Dicta-

ad XXX, 3, n. 3. — *Mittere* hic est *omittere:* ita Virgil. Æneid. lib. I, vers. 202, ...*revocate animos, mœstumque timorem Mittite;* ubi Servius notat : « *Mittite* pro *omittite;* et bene, quia præmiserat *revocate*, addit *mittite.* Est autem tropus *aphæresis*, quomodo *temnere* pro *contemnere* » *Remittere ambages* dixit Ovidius, Epist. VII, heroïd. vers. 149 : « Hos potius populos, ambage remissa, Accipe, et advectas Pygmalionis opes. » Ed. — *Peragere verum indicium*, vide ad I, 18, n. 9. — *Oblatæ*, motæ, injunctæ, *vani*, non facti, falsi, ficti, *furti invidiæ*, vide ad I, 51, n. 1. — Sic Terentius *vitium oblatum*, *stuprum oblatum*, et *incendium oblatum;* ac *oblatam mortem* Cicero, quæ omnia per vim, et invitis facta intelliguntur. Elegantissima locutio est. Ed. — *A viatore,* vide ad II, 56, n. 10.

2. *Jupiter optime maxime, Junoque Regina, ac Minerva,* conf. ad III, 17, n. 3. — *Præsidem*, defensorem, tutorem, vindicem. Confer ad X, 17, n. 3.

3. *Invicta sibi quædam*, hoc est, sanctissima, inviolabilia, immutabilia et insuperabilia, qualis erat dictatoria vis, *civitas fecerat*, quæ, ut omne, ita et hoc *justum imperium patientissime* ferebat. Confer VIII, 34 pr.

4. *Magnam partem plebis vestem mutasse,* vide ad II, 54, n. 5. — *Multos mortales capillum ac barbam promisisse,* ut XXVII, 34; et XLIV, 19. Ergo barba jam tum rasa, et ob dolorem vel in luctu tantum promissa? At vide V, 51, ibique not. 6. Livius ex ævi sui ritibus colores luctus desumpsit, et ornatus historicorum non ad summam subtilitatem exigendus est. (Ex more sui temporis hæc addidit, ut magis copiose ac vivide loqueretur, quum

tor de Volscis triumphavit : invidiæque magis triumphus, quam gloriæ, fuit. Quippe domi, non militiæ, partum eum [5], actumque de cive, non de hoste, fremebant : unum defuisse tantum superbiæ, quod non M. Manlius ante currum sit ductus. Jamque haud procul seditione res erat : cujus leniendæ causa, postulante nullo, largitor voluntarius repente senatus factus, Satricum coloniam duo millia civium romanorum deduci jussit [6] : bina jugera et semisses agri assignati [7]. Quod quum et parvum, et paucis datum, et mercedem esse prodendi M. Manlii interpretarentur; remedio irritatur seditio : et jam magis insignis et sordibus et facie reorum [8] turba Manliana erat, amotusque post triumphum abdicatione dictaturæ terror et linguam et animos liberaverat hominum.

XVII. Audiebantur itaque propalam voces exprobrantium multitudini, *quod defensores suos semper in præcipitem locum favore tollat, deinde in ipso discrimine periculi destituat* [1]. *Sic Sp. Cassium, in agros*

vel ipse vel certe lectores alios mœstitiæ vetustiorum ritus nescirent; Strothius.) Confer ad IX, 14, n. 8. — *Obversatamque vestibulo*, vide ad II, 54, n. 14; et XXIV, 23, n. 2.

5. *Quippe domi, non militiæ, partum eum* triumphum; Juv. VIII, 107.

6. *Satricum coloniam deduci jussit* (confer cap. 22, et IX, 16), forte et *Sutrium*, quo post annos septem, quam capta Roma est, coloniam deductam esse tradit Vellei. I, 14; nisi potius *Satricum* ibi legendum est. Nam illud anno post Romam captam factum esse probabile fit ex Diod. XIV, 117; et ipso Liv. VI, 3 pr.

7. *Bina jugera et semisses*, dimidia pars jugeri, erant *agri assignati* cuivis. Confer ad cap. 36, n. 5.

8. *Et sordibus*, sordidis vestibus, *et facie reorum*, capillo ac barba promissa; Drak. Confer n. 4. Sed *sordibus* etiam hæc continentur, nec satis accurate ita loquutus est Livius. Recte forsan multi libri omittunt τὸ *et* ante *sordibus*. Tum *sordibus et facie* dictum pro *sordida facie*, specie, habitu; vel potius τὸ *et* ante *facie* vim explicandi habet; de quo vide ad II, 42, n. 7. — *Et linguam et animos liberaverat hominum*, confer ad cap. 20, n. 8. — Post *et animos* ferunt multi *iramque;* quod minime sapit Livianam compositionem : Noster enim, in simili orationis structura, prius *et* omittit, vel dicere solitus est *linguam animosque et iram*. Ed.

Cap. XVII. 1. *In præcipitem locum*

plebem vocantem, sic Sp. Mælium, ab ore civium famem suis impensis propulsantem, oppressos; sic M. Manlium, mersam et obrutam fenore partem civitatis in libertatem ac lucem extrahentem, proditum inimicis. Saginare plebem populares suos, ut jugulentur. Hoccine patiendum fuisse, si ad nutum dictatoris non responderit vir consularis[2]*? Fingerent mentitum ante, atque ideo non habuisse, quod tum responderet : cui servo unquam mendacii pœnam vincula fuisse? Non obversatam esse memoriam noctis illius, quæ pæne ultima atque æterna nomini romano fuerit? non speciem agminis Gallorum, per Tarpeiam rupem scandentis? non ipsius M. Manlii, quales eum armatum, plenum sudoris ac sanguinis, ipso pæne Jove erepto ex hostium manibus, vidissent? Selibrisne farris*[3] *gratiam servatori patriæ relatam? et quem prope cælestem, cognomine certe Capitolino Jovi parem, fecerint, eum pati vinctum in carcere, in tenebris, obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam? Adeo in uno omnibus satis auxilii fuisse, nullam opem in tam multis esse?* Jam ne nocte quidem turba ex

favore tollat (vide ad Præf. n. 13), *deinde in ipso discrimine periculi destituat*, ut gr. ἐπὶ ἀκμῆς ξυροῦ (vide Kœppen. et Heyn. ad Hom. Iliad. X, 173), et nos : *in dem entscheidenden Augenblick, der den Ausschlag geben soll, Entscheidungspunct.* Confer VIII, 24, 27, 35; X, 14, 19; XXIII, 29, n. 4; XXVI, 39; XXIX, 7, 17; XXXI, 32; et ad I, 38, n. 2; VII, 9, n. 4; XXI, 9, n. 2. Eodem sensu mox dicitur : *Saginare plebem populares suos*, instar animalium, *ut jugulentur.* « Sed qui sunt *populares plebis?* aut cives, qui sic, nunquam dicuntur, nec vero hic locum habent; aut *defensores* ac fautores; qui simpl. *populares* dicuntur. An *suos* delebimus? an *patronos*, aut *tutelares* legemus »? Bauer. An *populares viros*, ut VI, 20? — Nostri nihil variant, et in voc. *suos* consentiunt. Ed.

2. *Hoccine patiendum fuisse*, scilicet in vincula duci virum consularem, *si ad nutum*, mandatum, arbitrium et voluntatem, *dictatoris non responderit?* « *Hoccine patiendum f.* cum seqq. cohærebunt, si legeris *puniendum*, aut *non patiendum*, id est, δεινὸν indignum facinus. Mox *ante* ferri potest; sed egregie Faber conj. *autem* »; Bauer.

3. *Selibrisne farris*, etc. vide ad IV, 15, n. 6; et V, 47, n. 6. — *Cognomine certe Capitolino Jovi parem*, cf. V, 31 pr.

eo loco dilabebatur, refracturosque carcerem minabantur; quum remisso, id quod erepturi erant[4], ex senatus consulto Manlius vinculis liberatur. Quo facto non seditio finita, sed dux seditioni datus est. Per eosdem dies Latinis et Hernicis, simul colonis Circeiensibus et a Velitris[5], purgantibus se volsci crimine belli captivosque repetentibus, ut suis legibus in eos animadverterent, tristia responsa reddita; tristiora colonis, quod cives romani patriæ oppugnandæ nefanda consilia inissent. Non negatum itaque tantum de captivis; sed, in quo ab sociis tamen temperaverant, denuntiatum senatus verbis, facesserent propere ex Urbe, ab ore atque oculis populi romani, ne nihil eos legationis jus, externo non civi comparatum, tegeret.

XVIII. Recrudescente Manliana seditione, sub exitu anni comitia habita, creatique tribuni militum consulari potestate ex Patribus Ser. Cornelius Maluginensis tertium, P. Valerius Potitus iterum, M. Furius Camillus[1], Ser. Sulpicius Rufus iterum, C. Papirius Crassus, T. Quintius Cincinnatus secundum. Cujus principio anni et Patribus et plebi peropportune externa pax data : plebi, quod non avocata delectu spem cepit, dum tam potentem haberet ducem, fenoris expugnandi; Patribus, ne quo externo terrore avocarentur animi

4. *Remisso, id quod erepturi erant:* forte del. τὸ *id*, aut pro *id* leg. *eo* cum aliis. « *Id quod* est fere *idem quod (gerade das)*, et hoc *id* semper ad sequens *quod* referendum est ita ut cum eo unicam quasi vocem efficiat, vide I, cap. 14, med. et II, 3 pr. » Strothius. Sed hæc exempla dissimilia sunt : nam hic Ablat. *remisso* impedit, cui nil plane subjiciatur, si *id quod e. erant* quasi per parenthesin, ut debet, acceperis : adeoque *id* durius redundat ante *quod*, positumque pro *eo;* Bauer. Confer ad I, 41, n. 10.

5. *Colonis a Velitris*, vide ad I, 50, n. 2. — *Ne nihil eos tegeret*, ne experirentur, nihil eos tegere, etc. Doer.

Cap. XVIII. 1. *M. Furius Camillus quintum* al. Immo *sextum*. Mox *coorta esset, jam propinquum certamen aderat; et Manlius, advocata*, etc. conj. Gron. et Bauer. Ille vero malebat *coorta*

ab sanandis domesticis malis. Igitur, quum pars utraque acrior aliquanto coorta esset, in propinquum certamen aderat et Manlius. Advocata domum plebe, cum principibus novandarum rerum interdiu noctuque consilia agitat, plenior aliquanto animorum irarumque, quam antea fuerat. Iram accenderat ignominia recens in animo ad contumeliam inexperto [2]: spiritus dabat, quod nec ausus esset idem in se dictator, quod in Sp. Mælio Cincinnatus Quintius fecisset; et vinculorum suorum invidiam non dictator modo abdicando dictaturam fugisset, sed ne senatus quidem sustinere potuisset. His simul inflatus exacerbatusque jam per se accensos incitabat plebis animos : « Quousque tan-« dem ignorabitis vires vestras, quas natura ne bel-« luas quidem ignorare voluit? numerate saltem, quot « ipsi sitis, quot adversarios habeatis. Si singuli singu-« los aggressuri essetis, tamen acrius crederem vos « pro libertate, quam illos pro dominatione, certa-« turos. Quot enim clientes [3] circa singulos fuistis « patronos, tot nunc adversus unum hostem eritis : « ostendite modo bellum; pacem habebitis : videant « vos paratos ad vim; jus ipsi remittent : audendum « est aliquid universis, aut omnia singulis patienda.

esset in prop. certamen ; Manlius, etc.

2. *Animo ad contumeliam inexperto*, ut *rudis ad aliquid;* Drak. Sic et *vir ad cætera egregius* XXXVII, 7. Confer ad IX, 16, n. 9. — *Quousque tandem ignorabitis;* vox *tandem* deficiebat in contextu Fragm. Hav. sed in margine addita conspicitur : et recte; superest enim in reliquis omnibus, et singularis etiam est elegantiæ. Hic nemini non succurrit vividum illud Tullii in Catilinam exordium : *quousque tandem abutere*, etc. Ed. — *Numerate saltem...habeatis*, hæc ex Hom. Iliad. II, 123 seq. adumbrata putabat Victor. var. lectt. XIV, 4.

3. *Quot enim clientes*, etc. « non ut causa subjicitur *proximo :* quare *enim* pro, nunc vero, at nunc. Mox *jus ipsi remittent*, hoc est sua sponte, non coacti, sine certamine » ; Bauer. — *Ostendite modo bellum*, vide ad IV, 59, n. 2. — *Jus ipsi remittent*, non suum, nec ut de suo jure decedant; non enim videri vult postulare, quod jure negent; sed vobis remittent, concedent, quod jure postuletis, quod ipsi adhuc velut jure tenuerunt; Bauer.

« Quousque me circumspectabitis? Ego quidem nulli « vestrum deero : ne fortuna mea desit, videte. Ipse « vindex vester, ubi visum inimicis est, nullus repente « fui [4] : et vidistis in vincula duci universi eum, qui « a singulis vobis vincula depuleram. Quid sperem, « si plus in me audeant inimici? an exitum Cassii Mæ- « liique exspectem? Bene facitis, quod abominamini [5]: « Dii prohibebunt hæc : sed nunquam propter me de « cælo descendent. Vobis dent mentem, oportet, ut « prohibeatis; sicut mihi dederunt armato togatoque, « ut vos a barbaris hostibus, a superbis defenderem « civibus. Tam parvus animus tanti populi est, ut sem- « per vobis auxilium [6] adversus inimicos satis sit? nec « ullum, nisi quatenus imperari vobis sinatis, certa- « men adversus Patres noritis? Nec hoc natura insitum « vobis est, sed usu possidemini [7]. Cur enim adversus

— *Ego quidem nulli vestrum deero* (vide ad III, 46, n. 3); at *ne fortuna mea desit*, mihi desit (ne propter fortunam meam vobis deesse cogar, Doer.), *videte*, curate, prospicite.

4. *Nullus repente fui*, vide ad III, 68, n. 7. — *Et vidistis;* emphasin habet et exprobrationem : lenti vidistis, passi estis, non prohibuistis, ut apud Ælian. V. H. I, 30 (ubi vide Perizon. n. 5); ῥαθύμως ἰδεῖν. Mox *qui depuleram* pro, *qui depulissem*, quia præcedit *vidistis duci eum;* Bauer. Confer ad VI, 14, n. 4; et XXII, 14, n. 5. — *Exitum Cassii*, vid. ad V, 27, n. 4.

5. *Bene facitis* quidem, *quod abominamini*, quod abominantes, abominando, *ominis avertendi*, seu averruncandi causa dicitis : *dii prohibebunt*, seu prohibeant *hæc !* Sic al. *dii avertant* omen! vel *quod abominor* et al.

6. *Tam parvus animus tanti populi est, ut semper vobis auxilium* (tribunorum pl.) *adversus inimicos satis sit*, nec unquam libertatem, vel etiam imperium in Patres (me rege creato, quo omnis tendit oratio Manlii, tecte et per ambages loquentis) consequi contendatis? *nec ullum, nisi quatenus imperari vobis sinatis, certamen adversus Patres noveritis*, utque non de eo certamen habueritis cum Patribus, ne omnino imperium tenerent, quod illis concessistis, et æquo tulistis animo, sed tantum de modo ac forma ejus? Strothius. Confer not. 8. — Pro *noveritis*, Perizon. scribendum conjecit *moveritis;* quæ sane proba locutio. Prior autem servanda, quippe quæ similem et vim et elegantiam habet, optimisque confirmatur codicibus. Sic supra lib. V, cap. 6, *nec finem ullum alium belli, quam victoriam, noverit.* Sil. Ital. lib. XIV, vers. 141, sq. « Solaque, quod superest, secum certamina norunt, Quis dextra antistet, spoliisque excellat opimis. » Ed.

7. *Usu possidemini*, ex consuetu-

« externos tantum animorum geritis, ut imperare illis « æquum censeatis? quia consuestis cum eis pro im- « perio certare, adversus hos tentare magis, quam « tueri, libertatem. Tamen qualescumque duces ha- « buistis, qualescumque ipsi fuistis, omnia adhuc, « quantacumque petistis, obtinuistis seu vi, seu for- « tuna vestra. Tempus est, etiam majora conari. Ex- « perimini modo et vestram felicitatem, et me (ut « spero) feliciter expertum : minore negotio, qui im- « peret Patribus, imponetis, quam, qui resisterent « imperantibus, imposuistis[8]. Sed æquandæ sunt dicta- « turæ consulatusque, ut caput attollere romana ple- « bes possit. Proinde adeste, prohibete jus de pecu- « niis dici : ego me patronum profiteor plebis, quod « mihi cura mea et fides nomen induit. Vos si quo « insigni magis imperii honorisve nomine[9] vestrum « appellabitis ducem, eo utemini potentiore ad obti- « nenda ea, quæ vultis. » Inde de regno agendi ortum initium dicitur; sed nec cum quibus, nec quem ad finem consilia pervenerint, sat planum traditur.

XIX. At in parte altera senatus de secessione in domum privatam plebis, forte etiam in arce positam, et imminenti mole libertati agitat[1]. Magna pars voci-

dine imperari vobis sinitis, vel Patribus concessistis jus et imperium, quod longa possessione legitimum quasi et perpetuum est factum; vide ad I, 46, n. 1. — *Etiam majora conari*, malim cum Gronov. *jam majora conari*.

8. *Minore negotio*, *qui imperet Patribus*, iis *imponetis*, præficietis, scil. regem, *quam*, *qui resisterent imperantibus*, scilic. tribunos plebis, *imposuistis*. — *Solo æquandæ sunt dictaturæ*, abrogandæ, vel prorsus tollendæ. Metaphora desumptâ ab oppido funditus evertendo.

9. *Si quo insigni magis imperii honorisve nomine*, sc. regis, quod aperte non audet dicere. Forte delend. *si*, ut *quo* non sit *aliquo*, sed *quo* et *eo*, quasi *quanto*, *tanto*; Bauer.

Cap. XIX. 1. *At in parte altera senatus agitat* consilia *de secessione plebis in domum privatam*, *forte* quadam *etiam in arce positam* (vide ad II, 7, n. 6), *et* de *mole* (h. e. multis magnisque periculis) *imminente libertati:* nisi malis cum Duk. et Drak. jungere *in arce et mole*, altissimo loco; quæ ratio magis placebit, si τῷ *et* vim tribueris

ferantur, *Servilio Ahala opus esse*[2], *qui non in vincula duci jubendo irritet publicum hostem, sed unius jactura civis finiat intestinum bellum.* Decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eamdem habentem, *ut videant magistratus*[3], *ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii respublica detrimenti capiat.* Tum tribuni consulari potestate tribunique plebis (nam et, quia eumdem et suæ potestatis, quem libertatis omnium, finem cernebant, Patrum auctoritate se dediderant), hi tum omnes, quid opus facto sit, consultant. Quum præter vim et cædem nihil cuiquam occurreret, eam autem ingentis dimicationis fore appareret; tum M. Mænius et Q. Publius tribuni plebis; « Quid Patrum et plebis certamen facimus, quod civitatis esse adversus unum pestiferum civem debet? « Quid cum plebe aggredimur eum[4], quem per ipsam « plebem tutius aggredi est, ut suis ipse oneratus viribus ruat? Diem dicere ei nobis in animo est : nihil

explicandi. Conf. ad I, 38, n. 4; II, 42, n. 7; et III, 51, n. 3. « *Moles* ad ipsum Manlium, aut perniciosa ejus consilia pertinet : sed forte leg. *imminentem molem l.* i. e. *molem,* domum, *i. l.* » Bauerus. — *Forte etiam in arce positam;* quid illud *forte* sibi velit, non plane video, quando non fuit dubium, M. Manlii domum fuisse vel in Capitolio, vel in arce. Sed videtur de his duobus dubitasse Livius; nisi quis *forte* exponat pro casu, aut Nostrum Monetæ ædem ignorasse, quod neutiquam credo, putet. Cæterum, ut Capitolium ab arce discretum, ex Livio non facile constat, sed ex Dionysio, lib. X, p. 640, ubi de App. Herdonio. Glarean. In his Glareanum hæsisse, mirum est; quum nihil notius sit, quam *forte* pro casu poni; et multi, licet non bene, dubitent, an pro particula dubitandi recte ponatur. Quemadmodum Capitolium et arx differant, vide Rycquium de Capitol. c. 5; Alex. Donat. de urbe Roma, lib. II, cap. 1; et Famian. Nardin. lib. V, cap. 14, Romæ veteris. Ed.

2. *Servilio Ahala opus esse,* etc. Cf. IV, 13, n. 14.

3. *Ut videant magistratus,* etc. vide ad III, 4, n. 4. — Mox in verbis *nam et, quia eumdem et suæ potestatis,* etc. durum est, non tam geminum *et* pro *etiam* positum, quam quod prius *et* non habeat, quo commode referatur; et vel exterminandum est primum *et,* vel intrudendum post illud pronomen *hi,* vel producenda parenthesis usque post voces *hi tum omnes;* nisi hæ a librariis transpositæ sunt et post verba *nam et* legendæ; Stroth.

4. *Quid,* cur, *cum plebe aggredimur*

« minus populare quam regnum est. Simul multitudo « illa non secum certari viderint, et ex advocatis ju- « dices facti erunt, et accusatores de plebe, patricium « reum[5] intuebuntur, et regni crimen in medio, nulli « magis, quam libertati favebunt suæ. »

XX. Approbantibus cunctis, diem Manlio dicunt; quod ubi est factum, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt[1], nec cum eo non modo Patrum quemquam, sed ne cognatos quidem aut affines, postremo ne fratres quidem A. et T. Manlios; quod ad eum diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non et proximi vestem mutarent. Ap. Claudio in vincula ducto[2], C. Claudium inimicum, Claudiamque omnem gentem sordidatam fuisse; consensu opprimi popularem virum, quod primus a Patribus ad plebem defecisset. Quum dies venit, quæ, præter cœtus multitudinis[3] seditiosasque voces et largitionem et fallax indicium, pertinentia proprie ad regni crimen, ab accusatoribus objecta sint reo, apud neminem auctorem invenio. Nec dubito

eum, et plebem et eum. — *Nihil minus populare*, populo gratum; nihil magis populo invisum, *quam regnum*, regis nomen et imperium. (Cf. II, 1, n. 2.) *Simul*, simul ac, *multitudo viderint*, etc. vide ad II, 9, n. 3. *Simul illa multitudo*, aut *simul ac multitudo illa* conj. Bauer., quoniam illa *simul mult.* aurem lædant.

5. *Et accusatores* (est quartus casus) *de plebe, patricium reum;* quæ duo membra seorsim spectata parum valent, sed juncta unum quoddam fortissimum momentum efficiunt, et fortius junguntur omisso *et*, quod in iis magis distributivum quam copulativum foret; Stroth. Illud *et* ante *patricium* excidisse suspicabatur Dukerus; certe hic non minus emphaseos habiturum fuisse, quam ante cætera, et prohibiturum, ne *accusatores intuebuntur reum* jungerentur. — *Regni crimen in medio*, vide ad cap. 6, n. 7.

Cap. XX. 1. *Utique* (v. ad II, 30, n. 1) *postquam sordidatum reum viderunt*, ut mox *proximi vestem mutarunt*, v. ad II, 54, n. 5. — *Postremo ne fratres quidem*, quin etiam, *ja sogar;* Bauer.

2. *Ap. Claudio in vincula ducto*, etc. vide III, 58 pr. — *Sordidatam fuisse* et *opprimi*, scil. fremebant, dicebant. — *Quum dies venit*, sc. judicii, seu ei dictus.

3. *Cœtus multitudinis*, conf. cap. 19 pr. — *Largitionem*, vide cap. 14. Mox

haud parva fuisse, quum damnandi mora plebi non in causa, sed in loco [4], fuerit. Illud notandum videtur, ut sciant homines, quæ et quanta decora, fœda cupiditas regni, non ingrata solum, sed invisa etiam, reddiderit. Homines prope quadringentos produxisse dicitur, quibus sine fenore expensas pecunias [5] tulisset, quorum bona venire, quos duci addictos prohibuisset. Ad hæc, decora quoque belli non commemorasse tantum, sed protulisse etiam conspicienda; spolia hostium cæsorum ad triginta, dona imperatorum ad quadraginta; in quibus insignes duas murales coronas, civicas octo [6]. Ad hæc servatos ex hostibus cives produxisse; inter quos C. Servilium magistrum equitum absentem nominatum : et quum ea quoque, quæ bello gesta essent, pro fastigio rerum oratione etiam magnifica, facta dictis æquando [7], memorasset; nudasse pectus

fallax indicium spectat ad aurum gallicum, quod a Patribus occultari dixerat Manlius; vide cap. 14, 15, 16.

4. *Damnandi mora plebi in loco*, in campo Martio, ex quo, scil. Capitolium, ei imminens et a Manlio servatum, spectare licebat; quare mox legimus, *in Pœtelinum lucum, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum esse.*

5. *Quibus sine fenere expensas pecunias tulisset,* h. e. dedisset, propr. in tabulas expensorum retulisset: nam pecunia aliæque res datæ et acceptæ scribi solebant in tabulis acceptorum et expensorum. Conf. Cic. Verr. I, 57; pro Roscio Com. I; et ad Div. VIII, 4; Salmas. de Usuris, cap. 2, p. 32; Gron. Mantissa, pec. veter. cap. 1. — *Bona venire*, venum ire, vendi, publicari; *duci addictos*, vide ad cap. 14, n. 9.

6. *Duas murales coronas, civicas octo*, cf. X, 46; XXVI, 48; Aurel. Vict. vir. illust. c. 24; Plin. VII, 28, seu 29 (quo teste Manlius *primus omnium eques coronam muralem accepit, sex civicas, triginta septem dona, triginta tres cicatrices adverso corpore excepit*), et de *coronis civicis, muralibus, triumphalibus, obsidionalibus, castrensibus, navalibus* loc. class. Gell. V, 6. De *obsidionali* vide ad VII, 37, n. 2; et de *vallari* ad X, 46, n. 1. *Civica* cæteris honoratior. Cf. XXIII, 23; et ad Tac. Ann. II, 83, 3. — *Pro fastigio*, magnitudine, excellentia, *rerum* gestarum.

7. *Facta dictis æquando*, pro *dicta factis æquando*. Sed *dictis* est ablativus: *æquabat facta*, assequebatur, pro ipsorum magnitudinem exprimebat *dictis*, per dicta, oratione, *er kam ihnen gleich;* Bauerus. — Sic Sallust. Catilin. c. 3, *quod facta dictis sunt exæquanda.* Vide ibi Rivium et Wassium, et nost. Sallust. vol. XX Collect. pag. 11 Catilin. Ed.

insigne cicatricibus bello acceptis : et idemtidem, Capitolium spectans, Jovem deosque alios devocasse ad auxilium fortunarum suarum, precatusque esse, ut, quam mentem sibi, Capitolinam arcem protegenti, ad salutem populi romani dedissent, eam populo romano in suo discrimine darent; et orasse singulos universosque, ut Capitolium atque arcem intuentes, ut ad deos immortales versi, de se judicarent. In campo martio quum centuriatim populus citaretur, et reus, ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad deos preces avertisset, apparuit tribunis [8], nisi oculos quoque hominum liberassent ab tanti memoria decoris, nunquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum. Ita prodicta die, in Pœtelinum [9] lucum extra portam Nomentanam, unde conspectus in Capitolium non esset, concilium populi indictum est; ibi crimen valuit, et obstinatis animis triste judicium invisumque etiam judicibus factum. Sunt qui per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos, auctores sint damnatum [10]. Tribuni de saxo Tarpeio dejecerunt [11] : locusque idem in uno homine et exi-

8. *Apparuit tribunis* pl., in oculos incurrit, perspicuum, seu perspectum fuit. — *Oculos hominum liberassent ab tanti memoria decoris*, removissent ab oculis hominum aspectum Capitolii, quo gloriosissimum Manlii facinus in memoriam iis revocaretur. Confer ad cap. 16, n. 8. — *Nunquam fore vero crimini locum*, rei crimine convincendi, vel damnandi, et veritatis criminis probandæ facultatem. Confer ad III, 46, n. 1. Sic contra mox dicitur *crimen valuit*, accusatio non sine vi fuit, et populo persuasum, crimen verum esse.

9. *Ita*, itaque, *prodicta die* (vide ad II, 61, n. 6), *in Pœtelinum lucum*, (al. *Petelinum*, ut VII, 41, n. 2; apud Plutarch. in Camillo Πετηλῖνον ἄλσος, apud Varr. Ling. Lat. IV, 8; *Petilium*, vel *Pœtilium*), *extra portam Nomentanam*, vide ad III, 52, n. 3.

10. *Sunt qui auctores sint*, dicant, *damnatum* eum, Manlium, esse *per duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos*, vide ad I, 26, n. 4 et 5; II, 52, n. 6; et XXVI, 3, n. 3.

11. *Tribuni de saxo* (al. *monte*, seu *rupe*) *Tarpeio* parte montis Capitolii, quæ etiam simpl. *saxum* dicebatur, ut XXIV, 20, n. 4; et XXV, 7, 8) *dejecerunt*, dejici eum jusserunt, decreverunt : quam pœnam ille pri-

miæ gloriæ monimentum et pœnæ ultimæ fuit. Adjectæ mortuo notæ sunt : publica una ; quod, quum domus ejus fuisset, ubi nunc ædes atque officina Monetæ est [12], latum ad populum est, ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret : gentilitia altera; quod gentis Manliæ decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur [13]. Hunc exitum habuit vir, nisi in libera civitate natus esset, memorabilis. Populum brevi, postquam periculum ab eo nullum erat, per se ipsas recordantem virtutes [14], desiderium ejus tenuit; pestilentia etiam brevi consequuta, nullis occurrentibus tantæ cladis causis, ex Manliano supplicio magnæ parti videri orta : violatum Capitolium esse sanguine servatoris : nec diis cordi fuisse [15] pœnam ejus oblatam prope oculis suis, a quo sua templa erepta e manibus hostium essent.

XXI. Pestilentiam inopia frugum et vulgatam utrius-

mus, et multi post eum luerunt, inpr. Cæsarum temporibus. Manlium vero verberando necatum esse tradidit Cornelius Nepos, teste Gell. XVII, 21. — *Pœnæ ultimæ,* vide ad III, 58, n. 11. —*Adjectæ notæ,* ignominia injuncta, addita, *mortuo* Manlio, vel præter mortem.

12. *Ubi nunc ædes* Junonis *Monetæ est,* vide infr. VII, 28 ; Cicer. Div. I, 45 ; II, 32 ; Ovid. Fast. I, 637 seq. VI, 183 seq. Suidas voc. Μονῆτα, et Macrob. Sat. I, 12 ; *officina Monetæ,* in qua tum cudi, vel percuti solebant nummi, tum vultu Monetæ signari, et hinc quoque dici *monetæ.* — *Ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret,* ut Manlius : quod tum in hujus ignominiam decretum, tum ob eam causam, de qua vide ad II, 7, n. 6. — Plutarch. in Camillo, p. 148, τὸ λοιπὸν ἐψηφίσαντο, μηδένα τῶν πατρικίων ἐπὶ τῆς ἄκρας κατοικεῖν. Ed.

13. *Ne quis deinde M. Manlius vocaretur,* cf. Plutarch. t. II, p. 285 ; Fest. v. Manlia, Cicer. Phil. I, 13 ; Quintil. III, 7 ; et de M. Antonio Dio Cass. lib. LI. In Epit. Liv. et apud Aur. Vict. de vir. ill. c. 24 perperam *Marci cognomen* legitur pro *M. nomen,* vel *prænomen.* Similia vide apud Suet. Tib. I ; et Tac. Ann. II, 32, 4.

14. *Per se* spectatas *ipsas recordantem virtutes,* h. e. eas solas, nulla vitiorum ratione habita, *an und für sich selbst ;* ut fere IX, 45, n. 13, *haud memorabilem rem per se,* si eam ipsam spectes. Confer ad I, 10, n. 2. Pro *sponte* dicitur II, 42 ; VI, 18, 23 ; XXII, 60 ; XXXV, 26 ; XXXVIII, 26 ; XXXIX, 12, 51. — *Pestilentia,* vide ad I, 31, n. 4.

15. *Nec diis cordi fuisse,* vide ad cap. 9, n. 1.

que mali famam anno insequente multiplex bellum excepit[1], L. Valerio quartum, A. Manlio tertium, Ser. Sulpicio tertium, L. Lucretio, L. Æmilio tertium, M. Trebonio, tribunis militum consulari potestate. Hostes novi, præter Volscos, velut sorte quadam[2] prope in æternum exercendo romano militi datos, Circeiosque et Velitras colonias jam diu molientes defectionem, et suspectum Latium, Lanuvini etiam, quæ fidelissima urbs fuerat, subito exorti. Id Patres rati contemptu accidere, quod Veliternis civibus suis tam diu impunita defectio esset, decreverunt, ut primo quoque tempore ad populum ferretur de bello eis indicendo; ad quam militiam quo paratior plebes esset, quinqueviros pomptino agro dividendo et triumviros Nepete coloniæ deducendæ creaverunt. Tum, ut bellum juberent, latum ad populum est : et, nequidquam dissuadentibus tribunis plebis, omnes tribus bellum jusserunt. Apparatum eo anno bellum est; exercitus propter pestilentiam non eductus; eaque cunctatio colonis spatium dederat deprecandi senatum; et magna hominum pars eo, ut legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat[3], ni privato, ut fit, periculo publicum implicitum esset, auctoresque defectionis ab Romanis, metu ne, soli crimini subjecti, piacula iræ Romanorum dederentur, avertissent colonias a consiliis pacis. Neque in senatu solum per eos legatio im-

Cap. XXI. 1. *Pestilentiam inopia frugum excepit*, ut IV, 52. — Codices bene multi *inopiam* præferunt; sed nostrum omnino servandum. Ed.

2. *Sorte quadam*, fato quodam, ut XXX, 30, n. 1; et XXXVI, 35. — *Exercendo rom. militi datos*, ut mox *quinqueviros pomptino agro dividendo, et triumviros Nepete* (conf. ad c. 9, n. 1) *coloniæ deducendæ creaverunt;* vide ad III, 35, n. 1. — *Lanuvini*, seu *Lanivini;* vide ad Silium, XIII, 364.

3. *Et magna hominum pars eo..... inclinabat*, jam in eo erat ut inclinaret (actus pro conatu), et inclinasset, *ni privato periculo publicum implicitum esset* (forte *fuisset*), etc. Confer ad II, 50, n. 10. — *Piacula dederentur*, vide ad XXI, 10, n. 14.

pedita est, sed magna pars plebis incitata, ut prædatum in agrum romanum exirent; hæc nova injuria exturbavit omnem spem pacis[4]. De Prænestinorum quoque defectione eo anno primum fama exorta: arguentibusque eos Tusculanis et Gabinis et Lavicanis, quorum in fines incursatum erat, ita placide ab senatu responsum est, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera esse, appareret.

XXII. Insequenti anno, Sp. et L. Papirii, novi tribuni militum consulari potestate, Velitras legiones duxere, quatuor collegis, Ser. Cornelio Maluginense quartum, Q. Servilio, Ser. Sulpicio, L. Æmilio quartum tribunis ad præsidium Urbis, et si qui ex Etruria novi motus nuntiarentur (omnia enim inde suspecta erant) relictis. Ad Velitras adversus majora pæne auxilia Prænestinorum, quam ipsam colonorum multitudinem, secundo prælio pugnatum est; ita ut propinquitas urbis hosti et causa maturioris fugæ, et unum ex fuga receptaculum esset. Oppidi oppugnatione tribuni abstinuere, quia et anceps erat, nec in perniciem coloniæ pugnandum censebant. Literæ Romam ad senatum cum victoriæ nuntiis, acriores in Prænestinum, quam in Veliternum hostem, missæ. Itaque ex senatusconsulto populique jussu bellum Prænestinis indictum; qui, conjuncti Volscis, anno insequente Satricum, coloniam populi romani pertinaciter a colonis defensam, vi expugnarunt, fœdeque in captis exercuere victoriam[1]. Eam rem ægre passi Romani,

4. *Hæc nova injuria exturbavit omnem spem pacis*, turbavit, ademit, eripuit.

Cap. XXII. 1. *Fœde*, turpiter crudeliterque, *in captis*, in captos, adversus *captos*, h. e. captivos, *exercuere victoriam*. Conf. IX, 43 pr. Similiter vero τὸ *in* passim dicitur, vide Cort. ad Sall. Cat. LII, 3 et 12; Burm. ad Ovid. Met. IX, 274. Sic *qua ferocia animi usus erat in Liguribus*, h. e. erga, seu adversus Ligures XLII, 9, n. 1. Confer ad II, 14, n. 2; V, 11, n. 9; XXVIII, 4, n. 4; XXX, 12,

M. Furium Camillum septimum militum tribunum creavere; additi collegæ A. et L. Postumii Regillenses, ac L. Furius cum L. Lucretio et M. Fabio Ambusto: volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum[2]; adjutor ex tribunis sorte L. Furius datur; non tam e republica, quam ut collegæ materia ad omnem laudem esset; et publice, quod rem temeritate ejus prolapsam restituit; et privatim, quod ex errore gratiam potius ejus sibi, quam suam gloriam, petiit. Exactæ jam ætatis Camillus erat, comitiisque jurare parato in verba excusandæ valetudini solita[3] consensus populi restite-

n. 3; et Heyn. ad Virg. Æn. II, 541. —*In captivis* Sigonii vet. lib. consentiens Haverk. Reliqui *captis* tuentur. Similem lectionum varietatem invenerunt viri docti in MSS Vopisci in Aurelio, cap. 20. Proprie quidem *captæ* sunt res, *captivi* homines. Ea tamen distinctio sæpissime negligitur. Ovid. Her. epist. IX, vers. 104, *Et tulit e capto nota tropæa viro;* vers. 125, *Non venit incultis, captarum more, capillis;* lib. III de Ponto, vers. 109, *Barbara jam capti poscunt insignia reges.* Contra *captivæ res* apud Livium, lib. II, cap. 48, *captivum agrum plebi... darent;* lib. VII, cap. 14, *partim captivis, partim ægrorum armis ornatos imponit;* lib. X, cap. 11, *captiva navigia armatis complent.* Ed. — *M. Furium Camillum septimum tribunum mil. creavere,* confer Drakenb. ad V, 1, n. 2; et Periz. anim. hist. cap. 2, p. 43 seq.

2. *Volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum,* vide ad III, 2, n. 1. *Adjutor L. Furius datus,* ut apud Justin. XIII, 6; Suet. Tib. 63; et Tac. Ann. III, 12 pr.—*Non tam e republica,* in ejus salutem et commodum, quod ei hoc utile esset (vide ad I, 27, n. 5), *quam ut collegæ,* Camillo, *materia ad omnem laudem esset* L. Furius (ut *Clodius seges et materia gloriæ Milonis* apud Cic. pro Mil. c. 13. Confer ad I, 39, n. 4); *et publice,* tum ad publicam laudem, *quod rem temeritate ejus,* L. Furii, *prolapsam restituit* Camillus (v. mox cap. 23 et 24), *et privatim,* tum ad privatam laudem, *quod ex errore,* quo ductus L. Furius male pugnavit, *gratiam potius ejus sibi, quam suam gloriam, petiit,* seu quæsivit, ejusque infamiam eo levavit, quod illum adjutorem sibi ad novam expeditionem peteret, seu optaret; vide caput 25. Monuit jam Strothius, Livium in his eventum, non consilium, respexisse, eaque sic explicanda esse: Quæ res non tam ad commodum reip., quam ad gloriam Camilli evasit, etc.

3. *Comitiisque jurare parato in verba excusandæ valetudini solita,* h. e. formulam, qua senes et causarii se excusare solent in comitiis propter valetudinem infirmam, vel rogare, ut non creentur. Sic *excusare oculorum valetudinem* XXVI, 22; *ætatem* XXII, 40, n. 7 (scilicet ut imperium deponere liceat), et passim *excusare aliquid* pro *excusare se propter aliquid.* Similiter XXXVIII, 52, *mor-*

rat[4]: sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sensibus, et civiles jam res haud magnopere obeuntem bella excitabant. Quatuor legionibus quaternum millium scriptis, exercitu indicto ad portam Esquilinam in posterum diem, ad Satricum profectus; ibi eum expugnatores coloniæ haudquaquam perculsi, fidentes militum numero, quo aliquantum præstabant, opperiebantur; postquam appropinquare Romanos senserunt, extemplo in aciem procedunt, nihil dilaturi, quin periculum summæ rerum facerent[5]: ita paucitati hostium nihil artes imperatoris unici, quibus solis confiderent, profuturas esse.

XXIII. Idem ardor et in romano exercitu erat, et in altero duce[1]: nec præsentis dimicationis fortunam ulla res, præterquam unius viri consilium atque imperium, morabatur: qui occasionem juvandarum ratione virium trahendo bello quærebat. Eo magis hostis instare; nec jam pro castris tantum suis explicare aciem, sed procedere in medium campi, et, vallo prope hostium signa inferendo, superbam fiduciam virium ostentare. Id ægre patiebatur romanus miles; multo ægrius alter ex tribunis militum L. Furius, ferox quum ætate et ingenio, tum multitudinis, ex incer-

bum causam esse excusabat, hoc est, excusationis loco, excusandi causa dicebat. Conf. ad II, 32, n. 1; III, 35, n. 1; XLI, 15, n. 5; et ad Tac. Ann. III, 11, 3. — Vide etiam Horatium, epist. I, 7, 66, seq. « Ille Philippo Excusare laborem et mercenaria vincla. » Ed.

4. *Consensus populi restiterat*, vide ad III, 34, n. 3.

5. *Quin periculum summæ rerum facerent*, vide ad I, 38, n. 2; et III, 5, n. 6. — *Ita paucitati hostium nihil artes imperatoris unici* (vide ad I, 21, n. 3)... *profuturas esse*, sc. rati, ut XLIV, 36, n. 5. Confer ibi et ad hunc locum Drakenb.

Cap. XXIII. 1. *In altero duce*, L. Furio. — *Unius viri*, Camilli. — *Sed procedere in medium campi; producere* Hearnii Oxoniensis I; male. Noster enim lib. IV, cap. 18, *utrimque acies inter bina castra in medium campi procedunt*; lib. XXXVII, cap. 38, *quinto die Romani processere in medium campi*; lib. I, cap. 23, *cum paucis procerum in medium duces procedunt*; ubi vide quæ notavit Drakenborch. Ed.

tissimo sumentis animos, spe inflatus[2]. Hic per se jam milites incitatos insuper instigabat elevando, qua una poterat, ætate auctoritatem collegæ : *Juvenibus bella data,* dictitans, *et*[3] *cum corporibus vigere et deflorescere animos; cunctatorem ex acerrimo bellatore factum; et, qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere : quid accessurum suis, decessurumve hostium viribus sperantem? quam occasionem, quod tempus, quem insidiis instruendis locum? frigere ac torpere senis consilia. Sed Camillo quum vitæ satis, tum gloriæ esse : quid attinere*[4], *cum mortali corpore uno, civitatis, quam immortalem esse deceat, pati consenescere vires?* His sermonibus tota in se averterat castra; et, quum omnibus locis posceretur pugna, « Sustinere, inquit, M. Furi, non possumus « impetum militum : et hostis, cujus animos cunctando « auximus, jam minime toleranda superbia insultat. « Cede unus omnibus, et patere te vinci consilio, ut « maturius bello vincas. » Ad ea Camillus : « Quæ bella « suo unius auspicio gesta ad eam diem essent, ne-

2. *Multitudinis spe inflatus,* militum gregariorum, ut al. plebis. — *Per se jam incitatos*, vide ad cap. 20, n. 14. — *Elevando auctoritatem collegæ,* v. ad III, 21, n. 5.

3. *Juvenibus bella data* esse, *dictitans, et,* etc. quod *et* cur alieno loco positum putet Doer., non assequor. — *Castra urbesque primo impetu rapere,* al. *capere :* sed *rapere,* ut *corripere* et ἁρπάζειν, v. c. nuptias XXX, 14, n. 3; triumphum XXXI, 48, n. 2; viam, iter, gradum, campum, pugnam, urbem, etc. est *raptim,* vel facere, seu perficere (festinare, properare, præcipitare), vel capere, vel, ut XXIII, 36, n. 3, ducere. Confer ad V, 43, n. 5.—Ita *rapere tempus,* pro non negligere oblatam occasionem, sed ea celeriter uti, dixit Silius Italic. lib. I, vers. 569, *tempore Martis Utendum est rapto, et grassandum ad clara periclis. Rapere fugam* Ovidius Fast. lib. III, vers. 867, *Utque fugam rapiant, aries nitidissimus auro Traditur.* Ed.

4. *Quid attinere,* vide ad II, 41, n. 4.—*Tota in se averterat castra,* averterat a Camillo et in se converterat; ut passim *avertere in aliquem, in aliquid, alio,* aut *ab aliis in se,* v. c. I, 58; II, 5; II, 48, n. 7; VI, 20 al. Confer Drak. *adverterat* quidam MSS probante Doeringio.

« gare in eis neque se, neque populum romanum, « aut consilii sui, aut fortunæ pœnituisse : nunc scire, « se collegam habere jure imperioque parem, vigore « ætatis præstantem. Itaque se, quod ad exercitum « attineat, regere consuesse, non regi; collegæ impe- « rium se non posse impedire. Diis bene juvantibus « ageret, quod e republica duceret[5]. Ætati suæ se « veniam etiam petere, ne in prima acie esset. Quæ « senis munia in bello sint, iis se non defuturum. Id « a diis immortalibus precari, ne qui casus suum con- « silium laudabile efficiat. » Nec ab hominibus salutaris sententia, nec a diis tam piæ preces auditæ sunt; primam aciem auctor pugnæ instruit, subsidia Camillus firmat[6], validamque stationem pro castris opponit; ipse edito loco spectator intentus in eventu alieni consilii constitit.

XXIV. Simul primo concursu concrepuere arma[1], hostis dolo, non metu, pedem retulit; lenis ab tergo clivus erat inter aciem et castra, et, quod multitudo suppeditabat, aliquot validas cohortes in castris armatas instructasque reliquerant, quæ inter commissum jam certamen, ubi vallo appropinquasset hostis, erum-

5. *Quod e republica*, ei utile, scil. esse, *duceret*, conf. ad cap. 22, n. 2. — Mox *piæ preces* ad patriam spectant, cujus salutem potius malebat, quam suam sententiam veram reperiri. Stroth.

6. *Subsidia Camillus firmat*, vide ad II, 20, n. 2; et II, 31, n. 1. — *Stationem pro castris opponit*, ante castra ponit. Confer X, 36; XXIII, 29, n. 3, et al. Mox junge *spectator intentus constitit*, vel potius lege *intentus in eventum*.

Cap. XXIV. 1. *Simul*, simul ac, *primo concursu concrepuere arma*, sonuere, scutis a gladiis pulsis, vel his ad illa allisis; quod h. l. est signum ardoris pugnandi, ut apud Polybium, XV, 12, n. 8, sed approbationis XXVIII, 29, n. 3 (*exercitus gladiis ad scuta* allisis *concrepuit*, sonum edidit); et ap. Polybium, XI, 30, n. 1, συνεψόφησαν ταῖς μαχαίραις τοὺς θυρεούς, quæ verba Livius expressit. Cf. ad X, 26, n. 8. — *Lenis clivus*, vide ad II, 50, n. 9. — *Multitudo suppeditabat*, suppetebat, sufficiebat, abundabat, ut I, 55; VIII, 13; XXII, 39; XXVI, 44; XXVIII, 22, 27; XXX, 25; XXXI, 39.

perent. Romanus, cedentem hostem effuse sequendo in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit[2]; versus itaque in victorem terror, et novo hoste, et supina valle romanam inclinavit aciem. Instant Volsci recentes, qui e castris impetum fecerant; integrant et illi pugnam, qui simulata cesserant fuga. Jam non recipiebat se romanus miles[3]; sed, immemor recentis ferociæ veterisque decoris, terga passim dabat, atque effuso cursu castra repetebat: quum Camillus, subjectus a circumstantibus in equum, et raptim subsidiis oppositis, « Hæc est, inquit, milites, pugna, « quam poposcistis? Quis homo, quis deus est, quem « accusari possitis? Vestra illa temeritas, vestra ignavia « hæc est. Sequuti alium ducem, sequimini nunc Ca- « millum, et, quod ductu meo soletis, vincite. Quid « vallum et castra spectatis? neminem vestrum illa, « nisi victorem, receptura sunt. » Pudor primo tenuit effusos: inde, ut circumagi signa, obvertique aciem viderunt in hostem[4], et dux, præterquam quod tot insignis triumphis, etiam ætate venerabilis, inter prima

2. *Opportunus huic eruptioni*, vide ad I, 54, n. 4. — *Et novo hoste*, et propter recentem hostem. *Supina vallis* est, quæ a tergo est iis, qui ex valle in collem (*clivum lenem ab tergo inter aciem et castra*) succedunt, ex qua igitur adversus montem post hanc situm difficillimus regressus, ut contra facilis in pronam vallem decursus; Gronovius et Strothius. Confer ad IV, 46, n. 4.

3. *Jam non recipiebat se romanus miles*, ut X, 28; et *recepere animum* II, 50; XXI, 5.—*Subjectus in equum*, vide ad IV, 19, n. 3. — Pall. MSS tres *subvectus* exhibent; alii *sublatus;* melius nostrum: sic Virg. Æneid. lib. XII, vers. 287, *et corpora saltu Subjiciunt in equos.* Livius, lib. XXXI, cap. 37, *saluti fuit eques, qui raptim ipse desiluit, pavidumque regem in equum subjecit.* Stat. Thebaid. lib. II, vers 203, *Correptumque injecit equo.* Ed. — *Raptim subsidiis oppositis*, cf. ad cap. 23, n. 6.

4. *Obverti aciem in hostem*, confer ad c. 7, n. 2. — Mox suspicari possis: *non castigare, ad quam rem leviorem auctorem* (vide ad I, 16, n. 7) *eum culpæ societas fecerat, sed.....* *orare*, etc. At passim obvia sunt ἀνακόλουθα et ἀνανταπόδοτα, quæ ad gratam orationis negligentiam refert Ernest. Opusc. philol. p. 131. Confer ad III, 28, n. 4; XXVII, 49, n. 5; XXXVII, 56, n. 1.

signa, ubi plurimus labor periculumque erat, se offerebat, increpare singuli se quisque et alios, et adhortatio in vicem totam alacri clamore pervasit aciem. Neque alter tribunus rei defuit; sed, missus a collega restituente peditum aciem ad equites, non castigando (ad quam rem leviorem auctorem eum culpæ societas fecerat) sed ab imperio totus ad preces versus, orare singulos universosque, *ut se, reum fortunæ ejus diei, crimine eximerent. Abnuente ac prohibente collega, temeritatis me omnium potius socium, quam unius prudentiæ, dedi*[5]. *Camillus in utraque vestra fortuna suam gloriam videt*[6]: *ego, ni restituitur pugna, quod miserrimum est, fortunam cum omnibus, infamiam solus sentiam.* Optimum visum est, in fluctuantem aciem tradi equos[7], et pedestri invadere hostem. Eunt insignes armis animisque, qua premi parte maxime peditum copias vident; nihil, neque apud duces, neque apud milites, remittitur a summo certamine

5. *Temeritatis me omnium potius socium... dedi*, ut apud Cic. de Amic. cap. 11, *nec se comitem illius furoris, sed ducem præbuit.* Non minus recte in 8 MSS legitur *temeritati*, quod recepit Stroth. *dedi*, v. ad I, 13, n. 4.

6. *Camillus in utraque vestra fortuna suam gloriam videt;* in mala enim prudentiæ et verissimi judicii, in bona summæ fortitudinis, si rem a me male gestam restituerit, gloriam laturus est; Stroth.

7. *Optimum visum est, in fluctuantem aciem tradi equos*, h. e. equitatum, seu equites (vide ad V, 37, n. 3), in fluctuantem peditum romanorum turbam (vide ad III, 60, n. 7) quasi transferri, h. e. ei inseri, seu immisceri, *et pedestri* pugna, pedibus, seu degressos ad pedes, *invadere hostem,* ut II, 20; III, 62; IV, 38; VI, 24; XXI, 46 al. Duriores videntur aliorum rationes, qui interpretandi *tradi equos*, scil. lixis, seu calonibus, vel immitti equites, et vel jungunt *optimum visum est in fluctuantem aciem,* h. e. contra eam, quod ad eam restituendam fieri possit, vel legi jubent *inter fluctuantem aciem* (vide ad IV, 18, n. 2), aut *in fluctuante acie,* dum hæret fluctuatque ambigua utrimque acies, aut, quum, acie inclinata, jam fluctuare inciperent et turbari ordines. Durissima est explicatio Strothii: *equos tradi* calonibus, eosque liberos passim vagari in *fluctuantis aciei* speciem (confer VII, 14, 15), ut fere *fugerat in legationem* X, 46 extr. aut *formare lignum in Mercurium*, et *tradere alicui librum in pignus amicitiæ,* h. e. ut sit pignus amicitiæ. — Pro *tradi, trudi* unus: pessime. Ed.

animi. Sensit ergo eventus virtutis enisæ opem[8]; et Volsci, qua modo simulato metu cesserant, ea in veram fugam effusi: magna pars et in ipso certamine, et post in fuga cæsi; cæteri in castris, quæ capta eodem impetu sunt, plures tamen capti, quam occisi.

XXV. Ubi[1] in recensendis captivis quum Tusculani aliquot noscitarentur, secreti ab aliis ad tribunos adducuntur, percunctantibusque fassi, publico consilio se militasse; cujus tam vicini belli metu Camillus motus, *extemplo se Romam captivos ducturum*, ait, *ne Patres ignari sint, Tusculanos ab societate descisse: castris exercituique interim, si videatur, præsit collega.* Documento unus dies fuerat, ne sua consilia melioribus præferret; nec tamen aut ipsi, aut in exercitu cuiquam satis placato animo Camillus laturus culpam ejus videbatur[2], qua data in tam præcipitem casum respublica esset; et tum in exercitu, tum Romæ constans omnium fama erat, quum varia fortuna in Volscis gesta res esset, adversæ pugnæ fugæque in L. Furio culpam, secundæ decus omne penes M. Furium esse. Introductis in senatum captivis, quum

8. *Sensit ergo eventus virtutis enisæ opem* paulo obscurius dictum pro: ex eventu pugnæ intellectum est, quantum valeat *virtus enixa*, contentior, acrior. — *Eventu*, pro *eventus* Klokian. quasi displiceret librario, *sentire* de re inanimata atque incorporea dici: sed ita infra lib. IX, cap. 37; lib. XXVI, cap. 12; et apud poetas nihil frequentius. Ed. — *Volsci, qua* parte *modo*, etc. — *Magna pars cæsi*, vide ad I, 41, n. 1.

Cap. XXV. 1. *Ubi*, in his castris, *in recensendis*, etc. — *Secreti ab aliis*, cæteris (vide ad IV, 10, n. 2), scil. captivis, soli, seorsum: ut XXV, 30, n. 3. — *Percunctantibusque fassi;* alia orthographia *perconctantibus* in optimo Flor. legi, ejus excerpta docent. Verum *percontari*, vel *percunctari*, scribendum esse etymologia ostendit, prout vel a *contus*, vel a *cunctus* deducatur. Vide Festum in voce *Percunctatio*, et Donat. ad Terent. Hecyr. act. I, sc. 2, vers. 2. Ed. — *Documento unus dies fuerat*, sc. collegæ, L. Furio.

2. *Nec tamen aut ipsi.... videbatur*, nec ipse putabat, Camillum laturum esse, etc. — *Data in tam præcipitem casum resp.* vide ad Præf. n. 13. — *Et tum in exercitu* Gron. et Crev. et nostri Regii; forte rectius, certe gratius, quoniam *quum* mox repetitur, etsi alio sensu: itaque admisi. Ed.

bello persequendos Tusculanos Patres censuissent, Camilloque id bellum mandassent, adjutorem sibi ad eam rem unum petit: permissoque, ut ex collegis optaret[3], quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit; qua moderatione animi quum collegæ levavit infamiam, tum sibi gloriam ingentem peperit. Nec fuit cum Tusculanis bellum: pace constanti vim romanam arcuerunt[4], quam armis non poterant. Intrantibus fines Romanis, non demigratum ex propinquis itineris locis, non cultus agrorum intermissus: patentibus portis urbis togati obviam frequentes imperatoribus processere: commeatus exercitui comiter in castra ex urbe et ex agris devehitur. Camillus, castris ante portas positis, eademne forma pacis, quæ in agris ostentaretur, etiam intra mœnia esset, scire cupiens, ingressus urbem, ubi patentes januas et tabernis apertis proposita omnia in medio[5] vidit, intentosque opifices suo quemque operi, et ludos literarum strepere discentium vocibus, ac repletas semitas, inter vulgus aliud, puerorum et[6] mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum causæ ferrent, nihil usquam, non pavidis modo, sed ne mirantibus quidem simile, circumspiciebat omnia,

3. *Ut ex collegis optaret*, vide ad III, 64, n. 5. — *Collegæ levavit infamiam*, vide ad III, 21, n. 5.

4. *Pace constanti vim romanam arcuerunt* Tusculani, h. e. pace vera ac certa; vel immutabili nec turbata adventu Romanorum; vel potius perpetua. Conf. extrema hujus cap. verba. Glareanus hæc notavit: Valerius Max. VII, 3 manifeste fatetur, consilii acumen fuisse in Tusculanis; et mirum, Romanos tam facile ignovisse, immo civitatem eis dedisse: forte vicinitas terruit. — Mox *ex propinquis itineri locis* Gron. et Crev. forte rectius: sed in nullo MSS legitur.

5. *Tabernis apertis proposita omnia* (omnes merces) *in medio*, palam et venalia. Cf. ad VI, 6, n. 7. — *Ludos literarum strepere*, scil. audivit. Conf. ad I, 33, n. 7. Verba quoque sensuum sæpius permutantur (vide ad Sil. VI, 179), et *videre* passim est sentire.

6. *Repletas semitas puerorum et mulierum*, pro *pueris*, etc. noto verborum copiæ usu. — *Suorum usuum*, necessitatum, ut *belli usus* XXVI, 43, n. 2. Conf. Cort. ad Sall. Catilin. 48. — *Ita*

inquirens oculis, ubinam bellum fuisset : adeo nec amotæ rei usquam, nec oblatæ ad tempus vestigium ullum erat : sed ita omnia constanti tranquilla pace, ut eo vix fama belli perlata videri posset.

XXVI. Victus igitur patientia hostium, senatum eorum vocari jussit. « Soli adhuc, inquit, Tusculani, « vera arma verasque vires, quibus ab ira Romano- « rum vestra tutaremini, invenistis : ite Romam ad « senatum; æstimabunt Patres, utrum plus ante pœ- « næ, an nunc veniæ meriti sitis; non præcipiam gra- « tiam publici beneficii [1]; deprecandi potestatem a « me habueritis; precibus eventum vestris senatus, « quem videbitur, dabit. » Postquam Romam Tusculani venerunt, senatusque paulo ante fidelium sociorum mœstus in vestibulo curiæ est conspectus, moti extemplo Patres, vocari eos jam tum hospitaliter magis, quam hostiliter, jussere. Dictator [2] Tusculanus ita verba fecit : « Quibus bellum indixistis intulistisque, « Patres conscripti, sicut nunc videtis nos stantes in ve- « stibulo curiæ vestræ, ita armati paratique obviam im- « peratoribus legionibusque vestris processimus. Hic « noster, hic plebis nostræ habitus fuit, eritque sem- « per, nisi si quandò a vobis, proque vobis, arma « acceperimus. Gratias agimus et ducibus vestris et « exercitibus, quod oculis magis, quam auribus, cre-

omnia tranquilla erant *constanti pace*, conf. n. 4.

Cap. XXVI. 1. *Non præcipiam gratiam publici beneficii*, nolo, quidquid inest huic beneficio publico gratiæ quasi præripere et mihi tribuere; sed et hæc publica sit; Stroth. — *Precibus eventum senatus, quem videbitur, dabit :* non id. qd. preces exaudiet, sed decernet aliquid ad preces auditas, qualecumque tandem sit; Ern. Cf. ad I, 29, n. 4. — *Quem videbitur :* hanc loquendi formam miratur Glareanus, cui non succurrit supplendum, *dandum esse ;* XXIX, 20, *sibi placere... consules decem legatos, quos iis videretur, ex senatu legere*, sc. legendos esse. Et sic compluribus aliis locis Livius. Vide Drak. ad hunc locum. Ed.

2. *Dictator tusculanus* (vide ad I, 23, n. 3) *ita verba fecit : nos, quibus bellum indixistis*, etc.

« diderunt; et, ubi nihil hostile erat, ne ipsi quidem « fecerunt. Pacem, quam nos præstitimus, eam a vobis « petimus: bellum eo, sicubi est, avertatis, precamur. « In nos quid arma polleant vestra, si patiendo ex- « periundum est, inermes experiemur. Hæc mens « nostra est; dii immortales faciant, tam felix, quam « pia[3]. Quod ad crimina attinet, quibus moti bellum « indixistis, etsi revicta rebus verbis confutare nihil « attinet, tamen, etiamsi vera sint, vel fateri nobis ea, « quum tam evidenter pœnituerit, tutum censemus. « Peccetur in vos, dum digni sitis, quibus ita satis « fiat. » Tantum fere verborum ab Tusculanis factum. Pacem in præsentia, nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt[4]; ab Tusculo legiones reductæ.

XXVII. Camillus consilio et virtute in volsco bello, felicitate in tusculana expeditione, utrobique singulari adversus collegam patientia et moderatione insignis, magistratu abiit; creatis tribunis militaribus in insequentem annum, L. et P. Valeriis, Lucio quintum, Publio tertium, et C. Sergio tertium, L. Menenio secundum, Sp. Papirio, Ser. Cornelio Maluginense. Censoribus quoque eguit annus[1], maxime propter incer-

3. *Dii immortales faciant*, ut sit *tam felix, quam pia*. Talia omittuntur tum in affectu, tum in precandi optandique formulis. — *Etsi revicta*, convicta, refutata, *rebus, verbis confutare nihil attinet*, vide ad II, 41, n. 4. — *Vel*, adeo, *fateri ea tutum nobis censemus*, freti pœnitentia nostra, et vestra, tanquam parentum, non judicum, clementia. Livius forsan imitatus est Cic. pro Ligar. c. 10. Stroth.

4. *Nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt* Tusculani, sed sine suffragio, quod ex iis, quæ de aliis populis VIII, 14, 17; IX, 43; XXXVIII, 36 dicitur, et inpr. ex Festo voc. *municipium* intelligitur. Sed non ita multo post eos accepisse jus suffragii et magistratuum Romæ capiendorum, Drakenb. ad VIII, 37, n. 12, inde probat, quod Ti. Coruncanius tusculanus (vide Cic. Planc. c. 8, et Sull. c. 7) an. Urb. 472 Romæ consulatum gesserit. Conf. VIII, 14 et 37; et Periz. anim. hist. c. 5, p. 198.

Cap. XXVII. 1. *Censoribus quoque eguit annus*, ut, scilic. censu instituto cognosceretur magnitudo tum rei familiaris civium, tum *æris alieni*, quum *summam invidiæ ejus*, h. e. æris hujus

tam famam æris alieni; aggravantibus summam etiam invidiæ ejus tribunis plebis, quum ab iis elevaretur, quibus fide magis, quam fortuna, debentium laborare creditum videri expediebat. Creati censores C. Sulpicius Camerinus, Sp. Postumius Regillensis; cœptaque jam res morte Postumii, quia collegam suffici censori religio erat[2], interpellata est. Igitur quum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alii, vitio creati, non gesserunt magistratum; tertios creari (velut diis non accipientibus in eum annum censuram) religiosum fuit. Eam vero ludificationem plebis tribuni ferendam negabant. *Fugere senatum testes, tabulas publicas, census cujusque, quia nolint conspici summam æris alieni, quæ indicatura sit, demersam partem a parte civitatis; quum interim obæratam plebem objectari*[3] *aliis atque aliis hostibus. Passim jam sine ullo*

alieni, rei invidiosæ (ut apud Virgil. Æn. IV, 350; et Cicer. pro Milone, c. 27), *aggravarent* (vide ad III, 21, n. 5) *tribuni plebis*, et contra *elevarent* (vide ad III, 21, n. 5) feneratores, *quibus expediebat*, utile erat, *creditum*, creditam pecuniam (conf. ad cap. 14, n. 6), *magis videri laborare fide* (vide ad II, 30, n. 1; et III, 31, n. 1), *quam fortuna debentium*, facultatibus debitorum. Hujusmodi vero causam in altero membro opposito desiderari, non male monuere Perizonius et Stroth. unde ille emend. *invidiæ causa*, hic vero *invidiæ ergo* (h. e. causa, ἕνεκα, ut XXII, 38; XXV, 7, 12 al.), vel *in invidiam ejus*, quod minus a vulg. scriptura recedit. Dukerus conj. *etiam invidiose tribunis*, et Klockius in ora MS sui invenit, *etiam summæ ejus invidiam*. — Ad hæc optime Drakenb. « Sed vulgatum sine auctoritate MSS mutari temerarium est, si commodo sensu recepta scriptura exponi possit. Puto igitur *invidiam* hic accipi debere rem invidiosam, id quod est causa invidiæ: ita odium pro homine odioso, qui est objectum odii. Plaut. in Bacchid. act. IV, sc. 7, vers. 20, *Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem, Plus jam viginti mortuum esse oportuit. Terræ odium ambulat.* Justinus, lib. XI, c. 3, *odium eos omnium populorum esse*; et hoc sensu Titus imperator *amor ac deliciæ generis humani* vocatur, Suet. in ejus vita, cap. 1, et ita *amor* dicitur, qui, vel quæ amatur. Ed.

2. *Quia collegam suffici censori religio* (vel, ut mox dicitur, *religiosum*) *erat*, vide ad V, 31, n. 4. — *Censores alii*, novi, *vitio creati*, vide ad V, 17, n. 4. — *Accipientibus*, probantibus.

3. *Quum interim plebem objectari*, vide I, 35, n. 1. — Doujatius monet sensum expeditiorem fore deleto *quum*, cui nullum verbum respondet, nisi *objectari* sit pro *objectaretur*. Ed.

discrimine bella quæri; ab Antio Satricum, ab Satrico Velitras, inde Tusculum legiones ductas; Latinis, Hernicis, Prænestinis jam intentari arma, civium magis quam hostium odio; ut in armis terant plebem, nec respirare in Urbe, aut per otium libertatis meminisse sinant, aut consistere in concione, ubi aliquando audiant vocem tribunitiam, de levando fenere et fine aliarum injuriarum agentem. Quod si sit animus plebi memor patrum libertatis, se nec addici quemquam civem romanum ob creditam pecuniam[4] *passuros, neque delectum haberi; donec, inspecto ære alieno, initaque ratione minuendi ejus, sciat unusquisque, quid sui, quid alieni sit; supersit sibi liberum corpus, an id quoque nervo debeatur.* Merces seditionis proposita confestim seditionem excitavit: nam et addicebantur multi, et ad Prænestini famam belli novas legiones scribendas Patres censuerant; quæ utraque simul auxilio tribunitio et consensu plebis impediri cœpta. Nam neque duci addictos tribuni sinebant, neque juniores nomina dabant. Quum Patribus minor præsens cura creditæ pecuniæ juris exsequendi[5], quam delectus, esset; quippe jam a Præneste profectos hostes in agro gabino consedisse nuntiabatur; interim

4. *Addici ob creditam pecuniam*, vide ad III, 44, n. 5. — *Inspecto ære alieno*, propr. inspectis tabulis, et cognita ex iis magnitudine æris alieni, ut forte *feneris cernendi ratio* XXXVI, 7, n. 2, ubi ita legitur in omnibus fere libris et mox eodem sensu dicitur *detegere magnitudinem æris alieni:* nisi *cernere* est curare, h. e. minuere, vel, ut forte h. l. *inspicere*, solertius examinare (vide ad III, 25, n. 4; et XXVI, 2, n. 8); aut infr. XXXVI, 7, n. 2, cum Drak. (quidquid contra dixerint Sigon. et Gronov.), servare malis lect. cod. Mogunt. *coercendi*, quod omnino placere potest, et firmatur loco simili XXXII, 27. — *Nervo debeatur*, tradendum sit vinculis. Cf. ad II, 23, n. 1. — *Duci addictos*, vide ad cap. 14, n. 9. — *Nomina dabant*, vide ad I, 11, n. 3.

5. *Quum Patribus minor cura esset juris exsequendi creditæ pecuniæ*, juris de ea dicendi (*quippe jam... nuntiabatur*); *interim tribunos pleb.* etc. Pro *minor præsens* leg. vel *minus præsens* cum Gronovio (vide ad I, 12, n. 6), vel *minor in præsens* cum Stroth. qui

tribunos plebis fama ea ipsa irritaverat magis ad susceptum certamen, quam deterruerat : neque aliud ad seditionem exstinguendam in Urbe, quam prope illatum mœnibus ipsis bellum, valuit.

XXVIII. Nam quum esset Prænestinis nuntiatum, nullum exercitum conscriptum Romæ, nullum ducem certum esse, Patres ac plebem in semet ipsos versos; occasionem rati duces eorum, raptim agmine acto [1], pervastatis protinus agris, ad portam Collinam signa intulere. Ingens in Urbe trepidatio fuit; conclamatum *ad arma*, concursumque in muros atque portas est; tandemque, ab seditione ad bellum versi, dictatorem T. Quintium Cincinnatum creavere. Is magistratum equitum A. Sempronium Atratinum dixit. Quod ubi auditum est (tantus ejus magistratus terror erat), simul hostes a mœnibus recessere, et juniores Romani ad edictum sine retractatione [2] convenere. Dum conscribitur Romæ exercitus, castra interim hostium haud procul Allia flumine posita : inde agrum late populantes, *fatalem se urbi romanæ locum cepisse*, inter se jactabant : *similem pavorem inde ac fugam fore, ac bello gallico fuerit. Etenim, si diem, contactum religione* [3], *insignemque nomine ejus loci, timeant Romani, quanto magis Alliensi die Alliam ipsam, monimentum tantæ cladis, reformidaturos? Species profecto his ibi truces Gallorum sonumque*

monet hoc *in* etiam ante *præsens* excidisse VII, 30 pr. (ubi in uno tantum MS et sola ed. Ven. reperitur) et centies ante alias voces, de quibus vide Drak. ad X, 13. — Mox recte, opinor, *profectus hostis* recepere Gronov. et Crev. e 6 MSS, et *in agro gabino* pro *sabino* Drak. ex conj. Jac. Gron. *Gabii* inter Præneste et Romam siti.

CAP. XXVIII. 1. *Raptim agmine acto*, exercitu celeriter moto et admoto, ut XXI, 61; XXIII, 36; XXV, 19. Mox *concursumque in muros adque portas est* conj. Gron.

2. *Sine retractatione*, v. III, 49, n. 1.

3. *Etenim si diem* Alliensem, *contactum religione quanto magis Alliensi die*, quam Alliensem diem *Alliam ipsam*, etc. Conf. sup. cap. 1, *religione contactum*, turpiter notatum :

vocis in oculis atque in auribus fore. Has inanium rerum inanes ipsas volventes cogitationes, fortunæ loci delegaverant spes suas [4]. Romani contra, *Ubicumque esset Latinus hostis, satis scire, eum esse, quem, ad Regillum lacum devictum, centum annorum pace obnoxia tenuerint* [5]. *Locum, insignem memoria cladis, irritaturum se potius ad delendam memoriam dedecoris, quam ut timorem faciat, ne qua terra sit nefasta victoriæ suæ* [6]. *Quin ipsi sibi Galli si offerantur illo loco, se ita pugnaturos, ut Romæ pugnaverint in*

nam *contingi,* quod de hominibus, vel morbo contagioso, vel veneficio, vel fulmine, vel numine tactis dicitur, ad alias res male et graviter affectas, contaminatas, pollutas, transfertur, v. c. VII, 6 extr. *contacta ab eo auspicia;* Doer. Confer ad II, 5, n. 3 et n. 4; et VIII, 17, n. 1.

4. *Fortunæ loci delegaverant,* permiserant, *spes suas,* spem omnem in loco Romanis fatali collocaverant, non in virtute sua. *Delegare alicui,* vel *ad aliquem quid* est committere illi, quod tibi ipsi faciendum sit, ut in re pecuniaria, si quando alii solvendum committimus, quod nobis solvendum est; Stroth. Sic et passim pro attribuere alicui et ad eum referre. Conf. V, 20, n. 25; VII, 8; IX, 13; X, 19, 27; XXI, 46 extr. XXXIV, 57; XXXIX, 28; Gron. et Drak. ad XXVIII, 42; Ernesti Exc. ad Suet. Tib. 16.

5. *Quem ad Regillum lacum devictum* (vide II, 19, 20), *centum annorum pace* (conf. II, 33, et VI, 2) *obnoxia tenuerint,* hoc est, pace, iis conditionibus facta, ut *obnoxii* essent Romanis (eorum imperio subjecti) Latini, Stroth. qui etiam monet propr. dicendum fuisse *obnoxium,* sed sæpe adjectivum ad aliud substant. conformari, quam ad quod referendum sit; vide ad I, 1, n. 6; II, 64, n. 2. « *Obnoxia* vocatur *pax* illa, quoniam per illam Latini quasi in potestatem Romanorum venerint et sub ditione eorum venerint; unde *subjectus* et *obnoxius* junguntur VII, 30, et paci obnoxiæ opponitur *pax æqua* sive *æquum fœdus* IX, 20, et al. » Drak. Alii *obnoxiam pacem* h. l. et IX, 10 pr. dici putant vel turpem et ignominiosam, vel iniquam, velut vincentis arbitrio circumscriptam, et in qua timor alterius relictus sit. Forte h. l. leg. *obnoxium.* Cf. ad III, 39, n. 1.

6. *Ne qua,* aliqua, *terra sit nefasta victoriæ suæ,* ne, quemadmodum Romanis *dies nefasti* esse possint, in quibus agere aliquid religioni sibi ducant, sic et terra sit ulla, in qua se vincere non posse putent. Ita Stroth. qui recte jam monuit, hæc verba spectare ad illa Latinorum, de quibus vide not. 2, et in vocabulo *nefasta,* a die ad terram translato, ut in plerisque vocibus translatis, hanc virtutem esse, ut simul imaginem excitet ejus rei, a qua ductum sit, eoque simul efficacius ad rem vividius depingendam exsistere. Nota Drak. est : « *Terra nefasta victoriæ suæ* notat terram, qua sibi non liceat, nefas sit vincere : ut *nefastus* pro *illicitus* apud Curtium, VII, 5, *Nihil ulli*

repetenda patria, ut postero die ad Gabios; tunc, quum effecerint, ne quis hostis, qui mœnia romana intrasset, nuntium secundæ adversæque fortunæ domum perferret.

XXIX. His utrimque animis, ad Alliam ventum est. Dictator romanus, postquam in conspectu hostes erant instructi intentique; «Videsne tu, inquit, A. Semproni, « loci fortuna illos fretos ad Alliam constitisse? nec illis « dii immortales certioris quidquam fiduciæ, majorisve « quod sit auxilii, dederint. At tu, fretus armis ani« misque, concitatis equis invade mediam aciem : ego « cum legionibus in turbatos trepidantesque inferam « signa. Adeste, dii testes fœderis, et expetite [1] pœnas, « debitas simul vobis violatis, nobisque per vestrum « numen deceptis.» Non equitem, non peditem sustinuere Prænestini : primo impetu ac clamore dissipati ordines sunt. Dein, postquam nullo loco constabat acies, terga vertunt; consternatique, et præter castra etiam sua pavore prælati [2], non prius se ab effuso cursu sistunt, quam in conspectu Præneste fuit. Ibi ex fuga dissipati, locum, quem tumultuario opere communirent, capiunt; ne, si intra mœnia se recepissent, extemplo ureretur ager, depopulatisque omnibus obsidio urbi inferretur. Sed postquam, direptis ad Alliam castris, victor Romanus aderat, id quoque munimentum relictum : et, vix mœnia tuta rati, oppido

nefastum in Bessum interfectorem regis sui videbatur; Stat. Theb. IV, 517, *Et triplicis mundi summum quem scire nefastum est;* et Plin. lib. XIV, cap. 19, *prolibare diis nefastum habetur vina, præter imputatæ vitis, fulmine tactæ.* In 6 MSS non male legitur *terra sit nefasta victoria sua,* hoc est, infelix, ominosa propter victoriam de se, Romanis, partam; quo modo *dies nefastus* pro religioso, infausto ponitur apud Sueton. Tib. 53; Hor. Od. III, 13, 1, *Ille et nefasto te posuit die;* et alios, etsi id *prave et perperam* fieri existimaverit Gell. 4, 9. » Conf. ad II, 61, n. 3.

CAP. XXIX. 1. *Expetite pœnas,* vide ad I, 22, n. 8. — *Nullo loco constabat acies,* vide ad I, 30, n. 8.

2. *Præter castra pavore prælati,*

se Præneste includunt. Octo præterea oppida erant sub ditione Prænestinorum : ad ea circumlatum bellum; deincepsque, haud magno certamine[3] captis, Velitras exercitus ductus. Eæ quoque expugnatæ; tum ad caput belli Præneste ventum. Id non vi, sed per deditionem, receptum est. T. Quintius, semel acie victor, binis castris hostium, novem oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam revertit; triumphansque signum, Præneste devectum, Jovis Imperatoris in Capitolium tulit[4]. Dedicatum est inter cellam Jovis ac Minervæ[5]; tabulaque sub eo fixa, monimentum rerum gestarum, his ferme incisa literis fuit : *Jupiter, atque divi omnes hoc dederunt, ut T. Quintius dictator oppida novem caperet.* Die vicesimo, quam creatus erat, dictatura se abdicavit.

XXX. Comitia inde habita tribunorum militum consulari potestate; quibus æquatus patriciorum plebeiorumque numerus. Ex Patribus creati P. et C. Manlii, cum L. Julio : plebes C. Sextilium, M. Albinium, L. Antistium dedit. Manliis, quod genere plebeios, gratia

vide ad II, 14, n. 3. — *Octo præterea oppida erant sub ditione Prænestinorum.* Conjicio scripsisse Livium non *præterea*, sed *per ea tempora*. TAN. FABER. Codices nihil mutant, nisi quod *propterea* legant Leid. pr. et Fragm. Hav. a manu prima. Sed ita sæpe *præter* et *propter* in manuscriptis commutantur. ED.

3. *Deincepsque* iis *haud magno c. c.*, vide ad I, 21, n. 8.

4. *Signum, Præneste devectum, Jovis Imperatoris in Capitolium tulit :* quod tamen a T. Quintio Flaminio ex Macedonia Romam devectum et in Capitolio positum fuisse refert Cic. Verr. IV, 58. Id vero *Jovis* potius Οὐρίου, *Imperatoris*, vel *Temperatoris*, vel *Imbricitoris*, vel *Impuberis* signum fuisse suspicantur viri docti. Confer Duk. et Drak. ad hunc locum, Lips. ad Plin. Pan. 5; Ryck. de Capitol. c. 24; Alex. Donat. de urbe Roma II, 7.

5. *Inter cellam Jovis ac Minervæ*, vide ad III, 17, n. 3. — *His ferme incisa literis fuit,* confer Fest. voc. *Trientem*, ex quo Pighius plura adjecit verba, quæ Gruterus etiam in exemplaria Livii retulit. Sed ea in nullo reperiri libro ant., et Livium hoc loco dixisse *ferme*, adeoque totum titulum vel ignorasse, vel memorare noluisse, jam monuit Gron. — Mox *Duodevicesimo die* MSS quidam exhibent. Conf. Eutrop. II, 2, et Pigh. in Annal. ad ann. 374, p. 240.

Julium anteibant, Volsci provincia, sine sorte, sine comparatione, extra ordinem data[1]: cujus et ipsos postmodo et Patres, qui dederant, pœnituit. Inexplorato pabulatum cohortes misere; quibus velut circumventis, quum id falso nuntiatum esset, dum, præsidio ut essent, citati feruntur, ne auctore quidem asservato, qui eos, hostis Latinus pro milite romano, frustratus erat, ipsi in insidias præcipitavere[2]. Ibi dum iniquo loco sola virtute militum restantes[3] cæduntur cæduntque, castra interim romana, jacentia in campo, ab altera parte hostes invasere. Ab ducibus utrobique proditæ temeritate atque inscitia res; quidquid superfuit fortunæ populi romani, id militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est. Quæ ubi Romam sunt relata, primum dictatorem dici placebat: deinde, postquam quietæ res ex Volscis afferebantur, et apparuit, nescire eos victoria et tempore uti, revocati etiam inde exercitus ac duces: otiumque inde, quantum a Volscis, fuit; id modo extremo anno tumultuatum, quod Prænestini concitatis Latinorum populis rebellarunt. Eodem anno Setiam, ipsis querentibus

Cap. XXX. 1. *Manliis ... Volsci provincia sine sorte, sine comparatione, extra ordinem data*, v. ad II, 40, n. 9; et III, 2, n. 1. — *Et ipsos*, Manlios. — *Sine sorte, sine comparatione;* ita ut tribuni militum nec sortirentur, nec compararent, id est, communi consensu inter se constituerent, quis ad bellum egredi, quis Romæ manere deberet. Ed.

2. *Quibus velut circumventis*, etc. quas ubi circumventas esse falso nuntiatum est, et Manlii, *præsidio*, auxilio, *ut* iis essent, *citati feruntur*, devolant (ut φέρεσθαι pro ire, vel irruere), *ne auctore quidem* nuntii *asservato* et retento, *qui eos frustratus erat*, quum *hostis Latinus* fuisset, non *miles romanus; ipsi in insidias præcipitavere* scilicet se: vide ad II, 3, n. 2. Sententia verbis parum concinnis expressa.

3. *Sola virtute restantes*, vide ad IV, 58, n. 5. — *Proditæ res* (vide ad II, 43, n. 5) *utrobique*, et illo loco, quo temere in insidias se præcipitaverant, et quo castra haud satis præsidio firmaverant; Stroth. Idem monet, mox *fortunam* non esse facultates seu vires, sed fortunam belli hujus exercitus, ad quam omne faustum præter virtutem pertineat, parum autem fausti, post tam infelicem pugnam, contingere potuisse. At sic quoque verba *populi*

penuriam hominum, novi coloni adscripti[4]: rebusque haud prosperis bello, domestica quies, quam tribunorum militum ex plebe gratia majestasque inter suos obtinuit, solatium fuit.

XXXI. Insequentis anni principia statim seditione ingenti arsere, tribunis militum consulari potestate Sp. Furio, Q. Servilio secundum, C. Licinio, P. Clœlio, M. Horatio, L. Geganio. Erat autem et materia et causa seditionis æs alienum : cujus noscendi gratia Spur. Servilius Priscus, Q. Clœlius Siculus censores facti[1], ne rem agerent, bello impediti sunt: namque trepidi nuntii primo, fuga deinde ex agris, legiones Volscorum ingressas fines popularique passim romanum agrum, attulere. In qua trepidatione tantum abfuit, ut civilia certamina terror externus cohiberet, ut contra eo violentior potestas tribunitia impediendo

rom. parum apte adjecta videntur, neque spernenda emendatio Gronov. *Quidquid superfuit* scilicet de his exercitibus, *fortuna populi Rom. et militum...virtus tutata est.* Confer I, 46, n. 7; II, 40, n. 8; VII, 34, n. 4; XXVI, 41, n. 3; et XXXV, 6 extr. His et aliis locis inopinata salus in magnis periculis *fortunæ populi rom.* tribuitur. Confer ad Tac. Ann. XIV, 11, n. 5.

4. *Eodem anno Setiam* (opp. Latii, hodie *Sezza*), *ipsis querentibus* (vide ad III, 47, n. 1) *penuriam hominum, novi coloni adscripti;* ita legitur ex conjectura Sigonii, qui pro vulgato *etiam* ingeniose reposuit *Setiam:* nam hujus coloniæ mentio fit inf. VII, 42 extr. VIII, 1 pr. et 3 extr., quo autem anno deducta vel *novis colonis* aucta sit, non alibi traditur, nisi forte hoc loco et apud Vellei. I, 14, qui dicit, *post septem annos, quam Galli Urbem ceperint, Sutrium* (forte *Satricum;* vide supra ad cap. 16, n. 6) *deductam esse coloniam, et post annum Setiam, novemque interjectis annis Nepe*, vel Nepete (vide ad c. 21, n. 2). Hinc etiam *novi coloni* hoc loco proprie dicti videntur (ut VIII, 14; XXXV, 9 extr. et al.), non qui tum primum deducti sunt, quo sensu Sigonius verba illa hoc et aliis locis (vid. cap. II, 34, ubi vide tamen n. 8) accipienda putabat. Cæterum et alius coloniæ nomen post *etiam* aut *hominum* excidisse suspicari possis, ut affirmat Glareanus, qui de Veliternis intelligere mavult, aut legendum esse *Pometiam,* seu potius *Antium* pro *etiam*, vel *Circeiis* pro *ipsis.* Inter Livium certe et Velleium non satis convenire de anno coloniæ, Setiam deductæ, jam monuit Drak.

Cap. XXXI. 1. *Æs alienum, cujus noscendi gratia... censores facti,* cf. cap. 27. — *Eo violentior impediendo delectui*, confer cap. 27; et ad II, 9,

delectui esset; donec conditiones impositæ Patribus, ne quis, quoad bellatum esset, tributum daret, aut jus de pecunia credita diceret. Eo laxamento plebi sumpto, mora delectui non est facta. Legionibus novis scriptis, placuit, duos exercitus in agrum volscum legionibus divisis duci. Sp. Furius, M. Horatius dextrorsus maritimam oram atque Antium, Q. Servilius et L. Geganius læva ad montes Ecetram pergunt. Neutra parte hostis obvius fuit. Populatio itaque non illi vagæ similis, quam Volscus latrocinii more, discordia hostium fretus[2] et virtutem metuens, per trepidationem raptim fecerat; sed ab justo exercitu justa ira facta, spatio quoque temporis gravior. Quippe a Volscis, timentibus, ne interim exercitus ab Roma exiret, incursiones in extrema finium factæ erant : Romano contra etiam in hostico[3] morandi causa erat, ut hostem ad certamen eliceret. Itaque, omnibus passim tectis agrorum vicisque etiam quibusdam exustis, non arbore frugifera, non satis in spem frugum relictis, omni, quæ extra mœnia fuit, hominum pecudumque præda abacta. Romam utrimque exercitus reducti.

XXXII. Parvo intervallo ad respirandum debitoribus dato, postquam quietæ res ab hostibus erant, celebrari de integro juris dictio; et tantum abesse

n. 5. — *Quoad bellatum esset*, quamdiu bellaretur, vel donec bellum fuisset gestum, hoc est finitum; nisi leg. *debellatum* : nam *bellatum* eo sensu positum esse, quod Ern. ad Tac. hist. II, 40 pr. putabat, vix crediderim.

2. *Discordia hostium fretus*, vide ad IV, 37, n. 6. — *Ab justo exercitu justa ira facta* populatio. Cf. ad VI, 13, n. 3.

3. *In hostico*, seu hostili, scilicet agro (LXIV, 13) ut VIII, 34; XXVIII, 24; XXIX, 2 pr. Sic et *pacatum*, *bellicum*, *cavum*, et mox *non satis* sc. agris, seu locis (ut passim *satum* et *sata*) *in spem frugum relictis*. Confer ad VIII, 12, n. 11. — *Ut hostem ad certamen eliceret; alliceret* vetustæ editiones, pro quo recte Aldus *eliceret* recepit : id enim in omnibus scriptis superest. Vid. inf. lib. XXI, 54, XXV, 15; XXXIV, 19; XLII, 64; et Front. II, 5, *parte alia Gallos Germanosque ea factione Casti* et *Gannici eliceret ad pugnam;* et ibid. *quum haberet... classem, et hostium naves elicere ad pugnam vellet.* Ed.

spes veteris levandi feneris, ut tributo novum fenus contraheretur in murum, a censoribus locatum[1] saxo quadrato faciundum. Cui succumbere oneri coacta plebes, quia, quem delectum impedirent, non habebant tribuni plebis. Tribunos etiam militares patricios omnes, coacta principum opibus, fecit L. Æmilium, P. Valerium quartum, C. Veturium, Ser. Sulpicium, L. et C. Quintios Cincinnatos. Iisdem opibus[2] obtinuere, ut adversus Latinos Volscosque, qui conjunctis legionibus ad Satricum castra habebant, nullo impediente omnibus junioribus sacramento adactis, tres exercitus scriberent : unum ad præsidium Urbis; alterum, qui, si qui alibi motus[3] exstitisset, ad subita belli mitti posset; tertium, longe validissimum, P. Valerius et L. Æmilius ad Satricum duxere. Ubi quum aciem instructam hostium loco æquo invenissent, extemplo pugnatum; et, ut nondum satis claram victoriam, sic prosperæ spei pugnam imber ingentibus procellis fusus diremit. Postero die iterata pugna : et aliquandiu æqua virtute fortunaque latinæ maxime legiones, longa

Cap. XXXII. 1. *In murum a censoribus locatum*, vide ad V, 23, n. 6. — *Quem delectum impedirent, non habebant tribuni pl.*, quia pax tum erat. Confer Ind. voc. *delectus*.

2. *Iisdem opibus* (auctoritate et potestate) *obtinuere* scilicet principes : quæ ellipsis dura quidem est, sed passim in Livio concoquenda. An legendum : *Hi iisdem opibus*, etc.

3. *Qui, si qui alibi motus*, etc. immo *quis* propter tot ὁμοιοτέλευτα; etsi non ignoro, *qui* et *quinam* passim mollius dici pro *quis* et *quisnam*, vide cap. XXIV, 22, n. 8; XXVIII, 29, n. 1; XXXIII, 32, n. 3; XXXIV, 2, n. 5; ad Sil. II, 645; ut contra *quis* pro *qui* III, 51, n. 1; VI, 40, n. 7; XXXIV, 6, n. 1; nisi his et aliis locis *qui* legere malis. Burm. ad Phædr. I, 13, n. 6, dicit, veteres certos fuisse elegantiæ suæ, et ubi *qui*, ubi *quis* præstaret, usu fuisse doctos, licet non sæpe in his fluctuemus. Assentitur et Drak. ad LXV, 24, n. 3. Sed *si qui* sæpius pro *si quis* apud Liv. et alios occurrere monet ibidem et ad III, 17, n. 7; et VI, 32, n. 5. — *Ad subita belli mitti*, v. ad IV, 27, n. 1. — Alii *ad subita bella* perperam præferunt; Tacit. hist. lib. V, c. 13, *quando impetus et subita belli locus abnueret;* in Agricola, c. 37, *quatuor equitum alas ad subita belli retentas;* Florus lib. I, cap. 1, *juventus divisa per tribus in equis et armis ad subita belli excubaret.* Sic et *subita rerum*,

societate militiam romanam edoctæ, restabant. Eques immissus ordines turbavit; turbatis signa peditum illata: quantumque romana se invexit acies, tantum hostes gradu demoti[4]. Et ut semel inclinavit pugna, jam intolerabilis romana vis erat. Fusi hostes quum Satricum, quod duo millia inde aberat, non castra, peterent, ab equitatu maxime cæsi. Castra capta direptaque. Ab Satrico nocte, quæ prælio proxima fuit, fugæ simili agmine petunt Antium: et quum romanus exercitus prope vestigiis sequeretur[5], plus tamen timor, quam ira, celeritatis habuit. Prius itaque mœnia intravere hostes, quam Romanus extrema agminis carpere, aut morari posset. Inde aliquot dies vastando agro absumpti, nec Romanis satis instructis apparatu bellico ad mœnia aggredienda, nec illis ad subeundum pugnæ casum.

XXXIII. Seditio tum inter Antiates Latinosque coorta, quum Antiates, victi malis subactique bello, in quo et nati erant[1], et consenuerant, deditionem spectarent; Latinos ex diutina pace nova defectio recen-

reliqua belli, similiaque alia, passim apud Nostrum et apud optimos. Ed. — *Ut nondum satis claram victoriam*, manifestam, certam, *sic ... diremit*, vide ad VI, 8, n. 3. — Pro *claram victoriam*, forte *gnaram*, id est, certam. Tan. Faber. Vulgatum tuentur omnes codices, quod et patrocinio suo defendit celeberrimus Burmann. ad Valer. Flacc. lib. VI, vers. 181, docens, *gnarus* eo sensu, quo Faber voluit, genio linguæ latinæ non convenire, *claram* autem *victoriam* esse manifestam. Ita *clara dies* est Silio Ital. lib. VI, vers. 452, « Vixdum clara dies summa lustrabat in OEta Herculei monumenta rogi. » Quam *certam lucem* vocat Livius. lib. IX, cap. 42. Alio sensu *clara victoria* opponitur obscuræ lib. XXIII, cap. 53. Ed. — *Restabant*, vide ad IV, 58, n. 5.

4. *Hostes gradu demoti*, vide ad II, 10, n. 7. — *Intolerabilis vis erat*, non diutius tolerari, sustineri poterat.

5. *Exercitus prope vestigiis sequeretur*, scilicet hostes, ut IX, 45 extr. *auf der Spur, auf dem Fusse.* — *Plus tamen timor*, hostes timentes vel ob timorem, *quam ira*, irati Romani, *celeritatis habuit*: vel *habuit* pro effecit. — *Extrema agminis carpere*, vide ad III, 5, n. 1, et IV, 27, n. 1.

Cap. XXXIII. 1. *Antiates in bello nati erant*, confer II, 65; III, 1. — *Deditionem spectarent*, id agerent, ut se dederent Romanis. Cf. ad I, 9, n. 3.

tibus adhuc animis ferociores ad perseverandum in bello faceret. Finis certaminis fuit, postquam utrisque apparuit, nihil per alteros stare, quo minus incœpta persequerentur [2]. Latini profecti a societate pacis, ut rebantur, inhonestæ sese vindicaverunt. Antiates, incommodis arbitris salutarium consiliorum [3] remotis, urbem agrosque Romanis dedunt. Ira et rabies Latinorum, quia nec Romanos bello lædere, nec Volscos in armis retinere potuerant, eo erupit, ut Satricum urbem, quæ receptaculum primum eis adversæ pugnæ fuerat, igni concremarent: nec aliud tectum ejus superfuit urbis (quum faces pariter sacris profanisque injicerent), quam matris Matutæ templum [4]. Inde eos nec sua religio, nec verecundia deum arcuisse dicitur, sed vox horrenda, edita templo cum tristibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amovissent. Incensos ea rabie impetus Tusculum tulit, ob iram, quod, deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo romanam, sed etiam in civitatem, se dedissent. Patentibus portis quum improviso incidissent, primo clamore oppidum præter arcem captum est. In arcem oppidani refugere cum conjugibus ac liberis, nuntiosque Romam, qui certiorem de suo

2. *Postquam utrisque apparuit*, in oculos incurrit, perspectum est, *nihil*, neutiquam, *per alteros stare*, neutrius partis culpam esse, a neutra parte impediri alteram, *quo minus incœpta persequeretur;* utramque partem per se agere et solam consilia sua exsequi posse. Conf. ad II, 31, n. 7. — *Latini profecti* ab Antio ad bellum, *a societate pacis . . . sese vindicaverunt*, liberarunt, hoc est, consilia pacis *inhonestæ*, cum Romanis ineundæ, quæ Antiates agitabant, repudiarunt, hisque renuntiarunt societatem.

3. *Incommodis arbitris*, testibus, *salutarium consiliorum remotis*, quum abessent, seu discessissent Latini, qui parum commode salutaribus suis interfuissent consiliis eaque impediissent, et ipsi nunc *sine arbitris* vel *remotis arbitris* (testibus et consciis, ut I, 21; II, 4; XXII, 60; XXV, 30; XXVII, 28; XXXIX, 11), hoc est soli et suo arbitratu consilia agitare et exsequi possent. Cf. I, 41, n. 2. — *Agrosque; agrumque* Gaertn. male. Cf. I, 38. Ed.

4. *Matris Matutæ templum*, vide ad V, 19, n. 6.

casu senatum facerent, misere. Haud segnius, quam fide populi romani dignum fuit, exercitus Tusculum ductus. L. Quintius et Ser. Sulpicius tribuni militum duxere. Clausas portas Tusculi, Latinosque simul obsidentium atque obsessorum animo hinc mœnia Tusculi tueri vident[5], illinc arcem oppugnare; terrere una ac pavere. Adventus Romanorum mutaverat utriusque partis animos. Tusculanos ex ingenti metu in summam alacritatem, Latinos ex prope certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur[6], in exiguam de se ipsis spem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Tusculanis: excipitur aliquanto majore ab exercitu romano. Utrimque urgentur Latini: nec impetus Tusculanorum, decurrentium ex superiore loco, sustinent; nec Romanos, subeuntes mœnia molientesque obices portarum[7], arcere possunt. Scalis prius mœnia capta; inde effracta claustra portarum; et quum anceps hostis et a fronte et a tergo urgeret, nec ad pugnam ulla vis, nec ad fugam loci quidquam superesset, in medio cæsi ad unum omnes. Recuperato ab hostibus Tusculo, exercitus Romam est reductus.

XXXIV. Quanto magis prosperis eo anno bellis tranquilla omnia foris erant, tanto in Urbe vis Patrum in dies miseriæque plebis crescebant[1], quum eo ipso, quod necesse erat solvi, facultas solvendi impediretur. Itaque[2], quum jam ex re nihil dari posset, fama et corpore, judicati atque addicti, creditoribus satisfacie-

5. *Mœnia Tusculi tueri vident*, vox *Tusculi* forte est glossa, et a multis edd. abest. Confer tamen ad I, 3, n. 8.

6. *Quoniam oppido potirentur*, vide ad cap. 3, n. 3.

7. *Molientes obices portarum*, vide ad VI, 11, n. 5. — *Anceps hostis*, etc. Confer ad I, 25, n. 4.

Cap. XXXIV. 1. *Tanto in urbe... crescebant*, vide ad I, 25, n. 11. — *Quod necesse erat solvi*, tempore non opportuno, sed alieno.

2. *Itaque quum jam ex re* familiari *nihil dari posset, fama* (bonæ famæ jactura, infamia, qua, qui non solvendo erant, notabantur; Doer.) *et cor-*

bant, pœnaque in vicem fidei cesserat. Adeo ergo obnoxios submiserant animos non infimi solum, sed principes etiam plebis, ut non modo ad tribunatum militum inter patricios petendum, quod tanta vi, ut liceret, tetenderant[3]; sed ne ad plebeios quidem magistratus capessendos petendosque ulli viro acri experientique animus esset; possessionemque honoris, usurpati modo a plebe per paucos annos, recuperasse in perpetuum Patres viderentur. Ne id nimis lætum parti alteri esset, parva, ut plerumque solet, rem ingentem moliendi causa intervenit. M. Fabii Ambusti, potentis viri, quum inter sui corporis homines[4], tum etiam ad plebem, quod haudquaquam inter id genus contemptor ejus habebatur, filiæ duæ nuptæ, Ser. Sulpicio major, minor C. Licinio Stoloni erat, illustri quidem, viro tamen plebeio: eaque ipsa affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quæsierat[5]. Forte ita incidit, ut, in Ser. Sulpicii tribuni militum domo sorores Fabiæ quum inter se, ut fit, sermonibus tempus tererent, lictor Sulpicii, quum is de foro se domum reciperet, forem, ut mos est, virga percuteret; quum ad id, moris ejus insueta, expavisset minor Fabia, risui sorori fuit, miranti ignorare id sororem. Cæterum is risus stimulos parvis mobili rebus animo muliebri sub-

pore, judicati atque addicti, creditoribus satisfaciebant, vide ad II, 23, n. 1; et III, 44, n. 5. — *Pœnaque in vicem fidei cesserat*, vide ad II, 30, n. 1; et VI, 14, n. 11. In locum solutionis pœna successerat. Debitores quum fidem solutionis præstare non possent, pœna a lege indicta creditoribus satisfaciebant. Ed. — *Obnoxios*, vide ad III, 39, n. 1.

3. *Quod tanta vi, ut liceret, tetenderant*, vide ad IV, 8, n. 6; et confer IV, 6, 7; et V, 12. — *Viro acri experientique*, gnavo, prompto et audaci (*unternehmend*), ut sæpe apud Cic. et alios; vide Schelleri Lex.

4. *Inter sui corporis*, ordinis ac generis, *homines* (confer ad I, 17, n. 2), ut mox *inter id genus*; inter patricios. — *Tum etiam ad plebem*, ut mox *ad vulgum*. Confer ad II, 10, n. 10.

5. *Gratiam Fabio... quæsierat*, v. II, 43, n. 7. — *Forem percuteret*, fores. — *Moris ejus insueta*, v. IV, 9, n. 4.

didit[6]: frequentia quoque prosequentium rogantiumque, *num quid vellet?* credo fortunatum matrimonium ei sororis visum; suique ipsam malo arbitrio, quo a proximis quisque minime anteiri vult, pœnituisse. Confusam eam ex recenti morsu animi[7] quum pater forte vidisset, percunctatus, *satin salvæ?* avertentem causam doloris, quippe nec satis piam adversus sororem, nec admodum in virum honorificam, elicuit comiter sciscitando, ut fateretur, eam esse causam doloris, quod juncta impari esset, nupta in domo, quam nec honos, nec gratia intrare posset. Consolans inde filiam Ambustus bonum animum habere jussit: eosdem

6. *Cæterum is risus stimulos subdidit* (ut al. *pungere* et *acuere*, metaphora ducta a *stimulo*, κέντρῳ, seu σαυρωτῆρι, quo equi et boves aratorii pungi atque incitari solebant) *animo muliebri* Fabiæ minoris, *mobili*, qui facile movetur, turbatur et irritatur *parvis rebus* (quod apte et vere dictum); *frequentia*, ob frequentiam (nam sextus est casus et ad seqq. referendus), *quoque... credo fortunatum ...visum* esse. — *Prosequentium*, clientium, ministrorum amicorumque, qui patronum summumque magistratum, officii et honoris causa, domum (ut II, 31 extr. XXIII, 23 extr. et al.), vel ab domo in forum, vel, ut XXII, 40; LXII, 49; et al., consules ex Urbe in provinciam proficiscentes, *prosequi*, vel *deducere*, comitari et sectari (ut et salutare eique occurrere) solebant; quod propr. *officium* dicebatur. Conf. XXVI, 19 extr. Formula *num quid vis?* est discedentis et obsequiose *rogantis*, Klock. coll. Donat. ad Terent. Heaut. II, 2. Nos dicimus: *haben Sie noch etwas zu befehlen?* Doer. — *Suique* matrimonii *ipsam malo arbitrio*, judicio, *quo a proximis* cognatione et genere *quisque minime anteiri vult, pœnituisse*: etiam hæc Livii conjectura rei naturæ et veritati consentanea est.

7. *Confusam* (turbatam, perturbatam, ut I, 7; VI, 6; XXXIV, 50; XXXV, 15; et Gr. συγχυθεῖσαν, συγκεχυμένην, forte et XLV, 42 pr. nisi potius ibi *confundere* est tristitia afficere et implere; cf. Drak. ad XXVI, 18; Heins. ad Valer. Flac. IV, 482; nos ad Juven. III, 1) *eam ex recenti morsu animi*, dolore; nam *ægritudo quasi morsum aliquem doloris efficit*, ut verbis Cic. Tusc. Qu. IV, 7, utar, et hinc cura ac dolor *mordere, edere, pungere, urere, fodere, stimulare*; δάκνειν φρένας, ἀμύσσειν, κατέδειν θυμὸν, dicitur. Similiter *desiderium libertatis remordet* (pro simpl. *mordet*, ut apud Virg. Æ. I, 261) *animos*, h. e. vexat, stimulat VIII, 4, n. 2. — *satin' salvæ*, vide ad I, 58, n. 3. — *Avertentem*, reticentem, celantem, dissimulantem (sensu apto, sed insolito), qui accusativus pendet a verbo *elicuit*, hoc est, *perlicuit*, commovit, perpulit: quo sensu similiter dicitur XXXVIII, 43, *Hæc quærentes interrogando consul ad plura dicenda eliciebat*. At forte

prope diem domi visuram honores, quos apud sororem videat. Inde consilia inire cum genero cœpit, adhibito L. Sextio, strenuo adolescente, et cujus spei nihil præter genus patricium deesset.

XXXV. Occasio videbatur rerum [1] novandarum propter ingentem vim æris alieni; cujus levamen mali plebes, nisi suis in summo imperio locatis, nullum speraret : accingendum ad eam cogitationem esse. Conando agendoque jam eo gradum fecisse plebeios, unde, si porro adnitantur, pervenire ad summa, et Patribus æquari, tam honore, quam virtute, possent. In præsentia tribunos plebis fieri placuit, quo in magistratu sibimet ipsi viam ad cæteros honores aperirent : creatique tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum, et pro commodis plebis : unam de ære alieno, ut, deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset [2], id, quod superesset, triennio æquis portionibus

verba, *ut fateretur, eam esse causam doloris*, certe postrema *causam doloris*, inconcinne repetita (vide tamen ad I, 3, n. 8), e margine irrepserunt, et leg. *ex avertente*, scilicet se a patre, ut confusionem animi ab eo occultaret (nisi jungere malis *percunctatus avertentem sese*) *causam doloris elicuit*, ut *arcana ejus elicuit* XL, 23 pr. et *sermonem elicere* IX, 6.

Cap. XXXV. 1. *Rerum novandarum*, vide ad I, 52, n. 1. — *Creatique tribuni C. Licinius*, et L. Sextius : hic Dodwellus præter Livii mentem, ut putamus, sed apte ad rationes annorum sequentium, inserit annum unum, cui tribunos consulari potestate assignat L. Papirium, L. Menenium, Ser. Sulpicium, Serv. Cornelium, memoratos a Diodoro ad annum olympiadis CIII primum. Quibus rationum momentis adductus id faciat Dodwellus, vide apud ipsum, dissert. X de Cyclis Romanorum, sect. 82. Ed.

2. *Deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset*, vide ad cap. 15, n. 7. Bachius in hist. jurispr. Rom. lib. II, c. 2, § 10, hæc notavit : « Atque hæc quidem, post XII Tabularum ea de re caput, prima est lex fenebris, quam, in assiduo fenebri malo ærisque alieni necessitate, plures aliæ sequutæ sunt (vide Tac. Ann. VI, 16). Quas tam multas de eadem re leges quis credat necessarias fuisse? Scilicet tenendum hoc est, fraudem feneratorum multiplices vias invenisse eludendarum legum, v. c. chirographis atque conventionibus majus fenus sibi pactos esse, etc. » Confer ad VII, 16, n. 1. — *Triennio æquis portionibus persolveretur*; confer ad XXX, 37, n. 2.

persolveretur : alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri possideret[3] : tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent[4], consulumque utique alter ex plebe crearetur. Cuncta ingentia, et quæ sine certamine maximo obtineri non possent. Omnium igitur simul rerum, quarum immodica cupido inter mortales est, agri, pecuniæ, honorum, discrimine proposito, conterriti Patres, quum trepidassent[5], publicis privatisque consiliis nullo remedio alio, præter expertam multis jam ante certaminibus intercessionem, invento, collegas adversus tribunitias rogationes comparaverunt. Qui, ubi tribus ad suffragium ineundum citari a Licinio Sextioque viderunt, stipati Patrum præsidiis, nec recitari rogationes, nec solemne quidquam aliud ad sciscendum plebi fieri passi sunt; jamque frustra sæpe concilio advocato, quum pro antiquatis rogationes essent[6]; « Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum

3. *Ne quis plus* quam *quingenta jugera agri*, scilicet publici, non privati (vide ad Epit. Liv. 58, n. 2), *possideret;* et, si quis plura possideret, ea inter plebem æquo pretio dividerentur: quæ lex agraria sæpius repetita est. Cf. VII, 16 extr. et ad Epit. 58, n. 2. — Jugerum ducentos et quadraginta in longitudinem pedes, centum et viginti in latitudinem habebat. Testes Quintilian. Inst. orat. lib. I, cap. 9; Varro de re rustica, lib. I, cap. 10; et Isidor. lib. XV, cap. 15. Ed.

4. *Ne tribunorum militum comitia fierent* (vide ad IX, 42, n. 2), *consulumque*, scil. ut (quod latet in *ne* pro *ut non*) *utique*, saltem, vel omnino (*durchaus*), *alter ex plebe crearetur*, cf. c. 37 pr.; VIII, 12 extr.; XXVII, 34, n. 4; supra ad II, 30, n. 1; infra ad cap. 40, n. 8; XXII, 35, n. 7; XXIII, 31 extr.; XXVII, 34, n. 4; XXXV, 10, n. 1; XXXIX, 32, n. 2.

5. *Conterriti Patres quum trepidassent*, vide ad cap. 3, n. 2. Verba *publicis privatisque consiliis* non modo ad seq. *invento*, sed etiam, et forte rectius, ad præc. *trepidassent* referri posse, jam monuit Stroth. Confer ad I, 7, n. 7; et III, 49, n. 4. — Mox *collegas* octo *adversus tribun. rogationes comparaverunt*, vide II, 44; IV, 48; et ibi, n. 6. — Pro *trepidassent*, Tann. Fab. legebat *trepidarent;* sed omnes codd. scripti et editi, nostrum constanter tuentur. Ed.

6. *Pro antiquatis rogationes essent*; vide ad IV, 58, n. 10. — *Bene habet* formula contenti ac quodammodo accipientis, vel approbantis, ut VIII, 6, 9, 35 al. Stroth. Dictum pro : *bene se habet res*, ut Gr. καλῶς ἔχει, et Germ.

« intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur « plebem. Agitedum, comitia indicite, Patres, tribunis « militum creandis. Faxo, ne juvet vox ista VETO, qua « nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis. » Haud irritæ cecidere minæ : comitia, præter ædilium tribunorumque plebis, nulla sunt habita. Licinius Sextiusque, tribuni plebis refecti, nullos curules magistratus creari passi sunt : eaque solitudo magistratuum, et plebe reficiente duos tribunos, et his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium Urbem tenuit [7].

XXXVI. Alia bella opportune quievere : Veliterni coloni, gestientes otio, quod nullus exercitus romanus esset, et agrum romanum aliquoties incursavere, et Tusculum oppugnare adorti sunt : eaque res, Tusculanis veteribus sociis, novis civibus [1], opem orantibus, verecundia maxime non Patres modo, sed etiam plebem, movit. Remittentibus tribunis plebis [2], comitia per interregem sunt habita; creatique tribuni militum L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius,

Wohl! Gut! — *Isto telo*, vide ad III, 50, n. 1. — *Faxo*, faciam, *ne juvet*, vos delectet, vel vobis prosit, *vox ista Veto*, qua utebantur tribuni pl., intercedentes vel Patribus, vel collegis.

7. *Comitia præter ædilium...tenuit*, vide ad IX, 42, n. 2. — *Eaque solitudo*, defectus, vel infrequentia, *magistratuum*, ἀναρχία, *per quinquennium Urbem tenuit*, in ea obtinuit; nisi potius leg. *in Urbe tenuit*, duravit. Conf. ad II, 3, n. 6. Cæterum Eutrop. II, 3; Vopisc. in Tac. I. Cassiodorus et alii tradunt, Urbem quadriennio tantum fuisse sine magistratibus curulibus; quod magis congruere cum rationibus fragmentorum Capitolin. docet Pighius in Ann. ad a. 378, et 384.

Cap. XXXVI. 1. *Tusculanis, veteribus sociis* (vide III, 18), *novis civibus*, vide supra cap. 26 extr. *Eaque res verecundia maxime Patres movit*, h. e. ita, ut dignos omnino Tusculanos haberent, quibus ope ferenda venerationem et verecundiam suam probarent; Doer. *maxima* in ed. Rom. 1472, prob. Stroth.

2. *Remittentibus tribunis pl.*, scilicet certamen, seu intercessionem; vel potius permittentibus, non repugnantibus, hoc est, non intercedentibus. Sic fere VII, 11, n. 2, *suarum quoque rerum*, a se feliciter fortiterque gestarum, *illis remisso honore*, concesso et tributo. Confer Cæs. B. G. VII, 20; ad Taciti Ann. I, 8, 14; Cujac. Obss.

P. et C. Valerii, haudquaquam tam obedientem in delectu, quam in comitiis, plebem habuere: ingentique contentione exercitu scripto profecti, non ab Tusculo modo submovere hostem, sed intra suamet ipsum mœnia compulere. Obsidebanturque haud paulo vi majore Velitræ, quam Tusculum obsessum fuerat; nec tamen ab eis, a quibus obsideri cœptæ erant, expugnari potuere. Ante novi creati sunt tribuni militum, Q. Servilius, C. Veturius, A. et M. Cornelii, Q. Quintius, M. Fabius: nihil ne ab his quidem tribunis ad Velitras memorabile factum. In majore discrimine domi res vertebantur[3]: nam præter Sextium Liciniumque latores legum, jam octavum tribunos plebis refectos, Fabius quoque tribunus militum, Stolonis socer, quarum legum auctor fuerat, earum suasorem se haud dubium ferebat. Et, quum octo ex collegio tribunorum plebis primo intercessores legum fuissent, quinque soli erant: et, ut ferme solent, qui a suis desciscunt, capti et stupentes animi vocibus alienis[4] id modo, quod domi præceptum erat, intercessioni suæ prætendebant: *Velitris in exercitu plebis magnam partem abesse: in adventum militum comitia differri debere, ut universa plebes de suis commodis suffragium ferret.* Sextius Liciniusque, cum parte collegarum et uno ex tribunis militum Fabio, artifices jam tot annorum usu

XXI, 29; Gronov. Observat. IV, 2.

3. *In majore discrimine domi res vertebantur,* vide ad III, 27, n. 6. — *Et quum octo ex collegio ... fuissent* (vide ad cap. 35, n. 5), nunc *quinque soli,* tantum, *erant.* — *Capti et stupentes animi;* in uno cod. *animis,* quod ad utrumque partic. referri potest. Sed Stroth. monet, similem quatuor vocum in *S* exitum esse ingratum, et similiter dici I, 7, *confusus atque incertus animi,* et alia. Confer ad I, 33, n. 7; et III, 26, n. 8.

4. *Vocibus alienis,* verbis aliorum, quæ ab aliis edocti erant; Ern. *Intercessioni suæ prætendebant,* vide ad III, 45, n. 1. — *Artifices jam tot annorum usu tractandi animos plebis,* qui tam longa experientia probe didicerant artem eos tractandi. Confer Quintil. XI, 1. — *Primores Patrum productos,* vide ad III, 64, n. 2.

tractandi animos plebis, primores Patrum productos interrogando de singulis, quæ ferebantur ad populum, fatigabant : *Auderentne postulare, ut, quum bina jugera agri*[5] *plebi dividerentur, ipsis plus quingenta jugera habere liceret? Ut singuli prope trecentorum civium possiderent agros; plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ, suus pateret ager? An placeret, fenere circumventam plebem potius, quam sorte creditum solvat, corpus in nervum ac supplicia dare*[6] *: et gregatim quotidie de foro addictos duci, et repleri vinctis nobiles domos? et, ubicumque patricius habitet, ubi carcerem privatum esse*[7] *?*

XXXVII. Hæc indigna miserandaque auditu quum apud timentes sibimet ipsos, majore audientium indignatione, quam sua, increpuissent[1] : *atqui nec agros*

5. *Bina jugera agri*, quæ plerumque colonis dividebantur. Confer ad cap. 16, n. 7; XXXI, 49; et ad Juvenal. XIV, 163 seq. — *Locum sepulturæ* et busta, quæ olim in agris esse solebant, vide Victorii Var. Lect. XIV, 21.

6. *An placeret, plebem fenere circumventam*, oppressam et demersam, *corpus potius in nervum ac supplicia dare, quam* sola *sorte* sine usuris reddita, id, quod ipsi *creditum* esset, *solvere:* quæ indignitas in eo posita est, quod patricii malle viderentur supplicium plebis, etiamsi perderent sortem creditam una cum usuris, quam illam sine his accipere incolumi plebe; Stroth. Ad hæc et seqq. confer ad II, 23, n. 1; III, 44, n. 5; VI, 14, n. 3; et XV, 7; unde patet, legem a tribunis latam, ut feneratores sola sorte essent contenti, et de capite deduceretur, quod usuris pernumeratum esset. *Plebem, ni potius, quam sortem creditum solvat*, etc. edd. ante Drak. corrupte. Sed nec nostra lectio satis placet nobis et Bauero, qui hæc notavit : » Quid enim sit, *potius in nervum dare corpus, quam creditum solvere?* Neque enim nervo daret corpus, si creditum solveret! Quid deinde sit *sorte creditum?* An *potius sorte*, id est, quam sortem? Quid ergo differant *sors* et *creditum?* An *sorte creditum solvere* pro : per sortem, qua sortem, scilicet deductis usuris? At hæ non erant creditæ. Forte leg. *ni ocius sortem creditam solvat.*» — *Nobiles domos;* Lovel. 4, 5, Harlei. sec. Haverk. Fragment. Hav. et Hearnii Oxoniensis B, *nobilium* præferunt; sed optimi vulgatum tuentur; quod sane elegantius. Sic apud Claudianum *trabeata domus*, in Pan. Mall. Theod. v. 337, « Decurrat trabeata domus, tradatque secures Mutua posteritas. » Ed.

7. *Carcerem privatum esse*, vide ad I, 33, n. 11.

Cap. XXXVII. 1. *Hæc quum apud timentes sibimet ipsos*, scil. plebeios, *increpuissent*, vide ad III, 3, n. 1. —

occupandi modum, nec fenere trucidandi plebem alium Patribus unquam fore, affirmabant, *nisi alterum ex plebe consulem, custodem suæ libertatis, plebes fecisset. Contemni jam tribunos plebis, quippe quæ potestas jam suam ipsa vim frangat intercedendo. Non posse æquo jure agi, ubi imperium penes illos, penes se auxilium tantum sit*[2]. *Nisi imperio communicato, nunquam plebem in parte pari reipublicæ fore : nec esse, quod quisquam satis putet, si plebeiorum ratio comitiis consularibus habeatur : nisi alterum consulem utique ex plebe fieri necesse sit, neminem fore. An jam memoria exisse, quum tribunos militum idcirco potius, quam consules, creari placuisset, ut et plebeiis pateret summus honos, quatuor et quadraginta annis*[3] *neminem ex plebe tribunum militum creatum esse? Qui crederent, duobusne in locis sua voluntate impartituros plebi honorem, qui octona loca tribunis militum creandis occupare soliti sint? et ad consulatum viam fieri*

Fenere trucidandi, perdendi, *plebem*, ut apud Cic. Cœl. XVIII, et Offic. II, 25. Conf. infr. ad XLII, 5, n. 7; et Salmas. ad scriptores hist. Aug. t. I, pag. 557.

2. *Penes se auxilium tantum sit*, auxilii latio adversus Patres, et auxilii, non pœnæ jus, quum non populi, sed plebis, magistratus sint, nec pro *imperio* possint agere; vide omnino II, 33 pr. 35 et 56. — *Nisi alterum consulem utique... neminem* ex plebe *fore* consulem. Conf. ad cap. 35, n. 4.

3. *Quatuor et quadraginta annis :* nam ann. Urb. 310, vel 311 primum creati sunt tribuni mil. cons. pot., et an. 355 primus ex plebe; vide IV, 6, 7; et V, 12. — Mox cum Jac. Gron. leg. *Qui crederent*, vel *Quis crederet, duobus nunc in locis*, etc. aut cum Jac. Franc. Gronov. delendum sive τὸ *ne*, sive *qui crederent*. Faber. conj. *Quid? crederentne duobus in locis*, et Bauer. *creatum esse, cui rempublicam crederent*, ut indignitas augeatur: dignos non habitos plebeios nec idoneos, quibus respublica crederetur. — *Duobus in locis*, scilic. consulum (vide ad IV, 16, n. 5), ut *octona loca* tribunorum mil. de quibus vide ad V, 1, n. 1. — Vide quoque de hoc loco Perizon. Animadv. hist. cap. 2 : quot annos Sextius et Licinius in tribunatu fuerint, disputat ibidem c. 10. *Optima loco* Lovel. 3; *octima loca* Voss. sec. *octava loca* Gaertn. et Haverk. *octena loca* Leid. sec. *centena loca* Fragm. Hav. Doujatius, affirmans amplioris numeri, quam sex tribunorum consularium, nulla alibi vestigia esse, ita emendandum judicavit, ut *sena loca* scribatur. Non ausuros enim fuisse

passuros, qui tribunatum septum tam diu habuerint? Lege obtinendum esse, quod comitiis per gratiam nequeat; et seponendum extra certamen alterum consulatum, ad quem plebi sit aditus, quoniam in certamine relictus præmium semper potentioris futurus sit. Nec jam posse dici id, quod antea jactare soliti sint, non esse in plebeiis idoneos viros ad curules magistratus. Numquid enim socordius, aut segnius rempublicam administrari post P. Licinii Calvi tribunatum, qui primus ex plebe creatus sit; quam per eos annos gesta sit, quibus præter patricios nemo tribunus militum fuerit? Quin contra patricios aliquot damnatos post tribunatum, neminem plebeium. Quæstores quoque, sicut tribunos militum, paucis ante annis ex plebe cœptos creari : nec ullius eorum populum romanum pœnituisse. Consulatum superesse plebeiis : eam esse arcem libertatis[4]*, id columen. Si eo perventum sit, tum populum romanum vere exactos ex Urbe reges, et stabilem libertatem suam existimaturum. Quippe ex illa die in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, majora liberis relinquenda.* Hujus generis orationes ubi accipi[5] videre, novam rogationem promulgant, ut pro duumviris sacris faciendis decemviri creentur, ita ut pars ex plebe, pars ex Patribus fiat : omniumque earum rogationum comitia in adventum ejus exercitus differunt, qui Velitras obsidebat.

tribunos plebis coram universo populo affirmare, illud solenne esse, quod vix semel, ac ne semel quidem, contigisse apud omnes constaret. Verum mihi nihil mutandum esse videtur. Octo enim tribunos militum consul. pot. creatos semel memorat Livius, V, 1. Ed.

4. *Eam esse arcem libertatis*, conf. ad III, 45, n. 9. — *Exactos reges*, v. ad I, 39, n. 2.

5. *Hujus generis orationes accipi*, probari, benigne excipi. — *Pro... decemviri*, v. III, 10, n. 6; et III, 35, n. 1. — *Rogat. comitia*, com. de iis habenda.

XXXVIII. Prius circumactus est annus, quam a Velitris reducerentur legiones: ita suspensa de legibus res ad novos tribunos militum dilata [1]; nam plebis tribunos eosdem, duos utique, quia legum latores erant, plebes reficiebat. Tribuni militum creati T. Quintius, Ser. Cornelius, Ser. Sulpicius, Sp. Servilius, L. Papirius, L. Veturius. Principio statim anni ad ultimam dimicationem de legibus ventum: et, quum tribus vocarentur [2], nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi Patres ad duo ultima auxilia, summum imperium summumque ad civem, decurrunt: dictatorem dici placet: dicitur M. Furius Camillus, qui magistrum equitum L. Æmilium cooptat. Legum quoque latores adversus tantum apparatum adversariorum et ipsi causam plebis ingentibus animis armant; concilioque plebis indicto, tribus ad suffragium vocant. Quum dictator, stipatus agmine patriciorum, plenus iræ minarumque consedisset, atque ageretur res solito primum certamine inter se tribunorum plebis ferentium legem intercedentiumque, et, quanto jure potentior intercessio erat, tantum vinceretur [3] favore legum ipsarum latorumque, et, *Uti rogas*, primæ tribus dicerent; tum Camillus, « Quandoquidem, inquit, « Quirites, jam vos tribunitia libido, non potestas, re« git, et intercessionem, secessione quondam plebis

Cap. XXXVIII. 1. *Ad novos trib. mil. dilata;* forte *delata:* nam, quod *circumactum annum* scribit, non distulit rem, sed detulit, fecit, ut ad eos deveniret; Bauer. — *Duos utique,* v. ad II, 30, n. 1.

2. *Quum tribus vocarentur* (ad suffragium), quum jam in eo res esset, ut tribus essent vocandæ; quod mox factum dicitur; Stroth. Ita non est quod quæramus cum Dukero, quid potissimum, visne quædam, an viri alicujus auctoritas, impedimento fuerit, quo minus hæc comitia, tribubus jam vocatis, perficerentur et in iis perferrentur leges.

3. *Tantum vinceretur,* tanto minus valida esset; Ernest. — *Uti rogas, primæ tribus dicerent,* vide ad IV, 58, n. 10. — De formula *Uti rogas* agit Brisson. lib. II de Form. pag. 133. Ed.

« partam, vobis eadem vi facitis irritam, qua peperi-« stis; non reipublicæ magis universæ, quam vestra « causa, dictator intercessioni adero [4], eversumque « vestrum auxilium imperio tutabor. Itaque, si C. Li-« cinius et L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, « nihil patricium magistratum inseram concilio plebis. « Si adversus intercessionem, tamquam captæ civitati « leges imponere tendent, vim tribunitiam a se ipsa « dissolvi non patiar. » Adversus ea quum [5] contemptim tribuni plebis rem nihilo segnius peragerent, tum percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem emoverent, misit : et addidit minas, si pergerent, sacramento omnes juniores adacturum, exercitumque extemplo ex Urbe educturum. Terrorem ingentem incusserat plebi; ducibus plebis accendit magis certamine animos, quam minuit : sed, re neutro inclinata, magistratu se abdicavit; seu quia vitio creatus erat [6], ut scripsere quidam; seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebs scivit, ut, si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentum millium ei mulcta esset. Sed auspiciis magis, quam novi exempli rogatione, deterritum ut potius credam, quum ipsius viri facit ingenium, tum quod ei suffectus est extemplo P. Manlius dictator : quem quid creari attinebat [7] ad id certamen, quo M. Furius victus esset? et quod eum-

4. *Dictator intercessioni adero*, ejus jus tuebor, in quo alias vestrum auxilium positum est, quod intercessione sublata simul evertitur, Stroth. Conf. ad III, 14, n. 6. — *Nihil* (vide ad III, 20, n. 3) *patricium magistratum inseram*, immiscebo *concilio plebis*, non mea auctoritate vestra consilia et suffragia turbabo et impediam, vel illam his *interponam* (vide ad III, 46, n. 2), ut *factionibus inserere publicam auctoritatem*, lib. XXXIII, cap. 47.

5. *Adversus ea quum contemptim*, etc. Conf. ad II, 56, n. 13. Unus *contenti*; tres *contempti* : male. — *De medio plebem emoverent*, ut al. *submovere*.

6. *Seu quia vitio creatus erat*, unde mox *auspiciis magis deterritum*; vide ad V, 17, n. 4. — *Pro dictatore*, v. ad II, 7, n. 4.

7. *Quem quid creari attinebat*, vide

dem M. Furium dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certe fractum priore anno in se imperium repetiturum : simul quod eo tempore, quo promulgatum de mulcta ejus traditur, aut et huic rogationi, qua se in ordinem cogi videbat, obsistere potuit; aut ne illas quidem, propter quas et hæc lata erat, impedire: et, quoad usque ad memoriam nostram tribunitiis consularibusque certatum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit.

XXXIX. Inter priorem dictaturam abdicatam novamque a Manlio initam, ab tribunis velut per interregnum concilio plebis habito, apparuit, quæ ex promulgatis plebi, quæ latoribus gratiora essent : nam de fenere atque agro rogationes jubebant, de plebeio consulatu antiquabant[1] : et perfecta utraque res esset, ni tribuni se in omnia simul consulere plebem dixissent. P. Manlius deinde dictator rem in causam plebis inclinavit, C. Licinio, qui tribunus militum fuerat[2], magistro equitum de plebe dicto. Id ægre Patres passos accipio ; dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud Patres excusare solitum, simul negantem, magistri equitum majus, quam tribuni consularis, impe-

ad II, 41, n. 4. — *Qua se in ordinem cogi videbat*, vide ad III, 35, n. 7. — *Aut ne illas quidem* rogationes supra memoratas, quarum vel contra dictatoris auctoritatem perferendarum causa, etiam *hæc lata erat* de mulcta ejus.

Cap. XXXIX. 1. *De plebeio consulatu antiquabant*, vide ad IV, 58, n. 10. — *Antiquare* et *abrogare*, inter se differunt : antiquatur enim lex, quum populus eam perferri non patitur, suffragiis improbans : abrogatur autem vetus lex, quam scilicet antea latam populus suffragiis tollit. Ed. — *Perfecta*, perlata, *utraque res esset*, leges et jussæ et antiquatæ, *ni tribuni se in omnia*, in omnes rogationes, *simul c. p. dixissent*. Cf. II, 26, n. 2.

2. *C. Licinio, qui tribunus militum fuerat*, et quidem ex plebe, quod quidem non notatur cap. 31 pr. sed vel ex eo probabile fit, quod paulo post c. 32 traditur, tanquam memorabile, omnes anni seq. tribunos milit. fuisse patricios. An leg. *P. Licinio?* vide V, 12. Perperam autem Plutarch. in Camillo dicit, hunc fuisse eumdem C. Licinium, qui tribunatum plebis per hos IX annos gesserit. — *Accipio*, apud scriptores invenio.

rium esse. Licinius Sextiusque, quum tribunorum plebi creandorum indicta comitia essent, ita se gerere, ut, negando jam sibi velle continuari honorem[3], acerrime accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem. *Nonum se annum jam velut in aciem adversus optimates maximo privatim periculo, nullo publice emolumento stare: consenuisse jam secum et rogationes promulgatas, et vim omnem tribunitiæ potestatis. Primo intercessione collegarum in leges suas pugnatum esse; deinde ablegatione juventutis ad veliternum bellum: postremo dictatorium fulmen in se intentatum*[4]. *Jam nec collegas, nec bellum, nec dictatorem obstare; quippe qui etiam omen plebeio consuli, magistro equitum ex plebe dicendo, dederit. Se ipsam plebem et commoda morari sua. Liberam urbem ac forum a creditoribus, liberos agros ab injustis possessoribus extemplo, si velit, habere posse. Quæ munera quando tandem satis grato animo æstimaturos, si, inter accipiendas de suis commodis rogationes*[5], *spem honoris latoribus earum incidant? Non esse modestiæ populi romani id postulare, ut ipse fenere levetur, et in agrum injuria possessum a*

3. *Sibi continuari honorem*, vide ad IV, 22, n. 4. — *Quod dissimulando petebant*, quod se nolle quidem simulabant, sed re vera optabant, et dissimulatione facilius se consequuturos sperabant. — *Velut in aciem stare*, v. ad II, 14, n. 2; *in acie* al.

4. *Dictatorium fulmen in se intentatum;* nam *fulmina* dicuntur, quæcumque instar fulminis cum impetu ruunt, et vel terrorem repentinum incutiunt, vel omnia contundunt et necant, quibusque gravis et perniciosa vis est: hinc et inopinata gravisque clades, seu calamitas inf. XLV, 41 pr. — *Dictatorum fulmen in se intentum* præferunt Leid. sec. et Lovel. 1; sed unius dictatoris Camilli fulmen intelligitur. Nam P. Manlius, qui Camillo in dictatura successit, nullum fulmen intentasse legitur, sed contra rem in causam pl. inclinasse. *Dictatorum* igitur pro *dictatorium*, eodem errore, quo *regum* pro *regium*, *regis* pro *regiis*, et similia alia. Rectum etiam est *intentatum*, quod ea ratione dictum, qua *intentare manus* sup. lib. III, c. 48. Ed. — *Magistro ... dicendo*, v. I, 53, n. 3. — *Plebem ... et commoda sua*, v. II, 24, n. 5.

5. *Inter accipiendas rogationes*,

potentibus inducatur; per quos ea consequutus sit, senes tribunitios non sine honore tantum, sed etiam sine spe honoris, relinquat. Proinde ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent; deinde comitiis tribunitiis declararent voluntatem. Si conjunctim ferri ab se promulgatas rogationes vellent, esse, quod eosdem reficerent tribunos plebis: perlaturos enim, quæ promulgaverint: sin, quod cuique privatim opus sit, id modo accipi velint, opus esse nihil invidiosa continuatione honoris; nec se tribunatum, nec illos ea, quæ promulgata sint, habituros.

XL. Adversus tam obstinatam orationem tribunorum, quum, præ indignitate rerum[1], stupor silentiumque inde cæteros Patrum defixisset; App. Claudius Crassus, nepos decemviri, dicitur odio magis iraque, quam spe, ad dissuadendum processisse, et loquutus in hanc fere sententiam esse: « Neque novum, neque « inopinatum mihi sit, Quirites, si, quod unum fa- « miliæ nostræ semper objectum est ab seditiosis tri- « bunis, id nunc ego quoque audiam: Claudiæ genti « jam inde ab initio nil antiquius[2] in republica Patrum « majestate fuisse; semper plebis commodis aversatos « esse. Quorum alterum neque nego, neque inficias

dum accipiant, ut IX, 11, n. 3. — *Sine spe honoris relinquat*, forte *relinquere;* Gron.

Cap. XL. 1. *Præ indignitate rerum*, propter eam, ut X, 13, n. 8; XXVIII, 36, n. 5; XXXI, 24; XLV, 7. — *Stupor silentiumque inde*, ex stupore, *cæteros defixisset*, vide ad III, 47, n. 9. — Campan. pessime edidit *deflexisset: defigere* proprium fere Livii verbum est; lib. VII, cap. 10, *defixerat pavor cum admiratione Gallos;* lib. XXII, c. 53, *quod malum quum stupore ac miraculo torpidos defixisset*, et alibi. Ed. — Mox *inopinatum mihi fit* emend. Drak.

2. *Claudiæ genti nil antiquius*, vide ad I, 32, n. 3. — *Quorum alterum neque nego, neque inficias eo*, hoc neque ita esse non affirmo, neque, etiamsi hoc quasi crimen nobis objiciatis, fateri dubito; Stroth. *neque ego* (nec ego quidem, ut IX, 9) *inficias eo*, vel *neque nescio neque inficias eo* conj. Jac. Gron. putans, verba *negare* et *inficias ire* plane synonyma esse. Similiter Cicero pro Rosc. Am. 43 dixit *non enim novi, nec scio.* « *Negare*

« eo, nos, ex quo adsciti sumus simul in civitatem et « Patres, enixe operam dedisse, ut per nos aucta po- « tius, quam imminuta, majestas earum gentium, inter « quas nos esse voluistis, dici vere posset. Illud alte- « rum pro me majoribusque meis contendere ausim, « Quirites, nisi, quæ pro universa republica fiant, ea « plebi, tanquam aliam incolenti urbem, adversa quis « putet, nihil nos, neque privatos, neque in magi- « stratibus, quod incommodum plebi esset, scientes « fecisse : nec ullum factum dictumve nostrum contra « utilitatem vestram, etsi quædam contra voluntatem « fuerint, vere referri posse. An hoc, si Claudiæ fa- « miliæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed « unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus in- « genuis ortum, et vivere in libera civitate sciam, re- « ticere possim? Luc. illum Sextium et C. Licinium, « perpetuos, si diis placet, tribunos [3], tantum licentiæ « novem annis, quibus regnant, sumpsisse, ut vobis « negent potestatem liberam suffragii, non in comi- « tiis, non in legibus jubendis, se permissuros esse? « Sub conditione, inquit, nos reficietis decimum tri- « bunos. Quid est aliud dicere [4], quod petunt alii, nos « adeo fastidimus, ut sine mercede magna non acci-

vero est, certe esse videtur simpl. non affirmare, nolle verum esse; *inficias ire,* velut crimen objectum et ut rem turpem, certe invidiosam, a se amoliri; quod fateri, turpe tibi censeas, vel periculosum »; Bauer. Idem mox conj. *simus* et *voluissetis,* pro *sumus* et *voluistis.* — *Adsciti in civitatem et Patres,* vide ad Tacit. Annal. I, 8, n. 4; et Drakenb. ad hunc locum. Unus *arciti sumus;* inepte. Ed.

3. *Perpetuos, si diis placet, tribunos,* vide ad III, 19, n. 6, et IV, 3, n. 4. — *Novem annis, quibus regnant,* v. XXIV, 29, n. 3. Mox *inquit,* ut gr. ἔφη, pro *inquiunt,* ut al. pro *inquis,* in disputatione, aut oratione : frequens formula proponendæ adversationis, ut significetur aliquis contradicturus ex isto numero. Ita sæpius in hoc capite et inpr. apud Senecam; vide Gronov. et Drak. ad XXXIV, 3 et 5.

4. *Quid,* quomodo, *est aliud dicere,* scilic. quam, seu nisi dicere, etc. ut IV, 4, *quid est aliud quam exsilium pati?* nisi positum est pro : cur est aliud dicere, h. e. cur aliud dices si dixeris, vel legend. *quid id est.* Conf.

« piamus. Sed quæ tandem ista merces est, qua vos « semper tribunos plebis habeamus? Ut rogationes, « inquit, nostras, seu placent, seu displicent, seu uti- « les, seu inutiles sunt [5], omnes conjunctim accipiatis. « Obsecro vos, Tarquinii tribuni plebis, putate me ex « media concione unum civem subclamare : Bona venia « vestra liceat ex his rogationibus legere, quas salu- « bres nobis censemus esse; antiquare alias. Non, « inquit, licebit [6]. Tu de fenere atque agris, quod ad « vos omnes pertinet, jubeas; et hoc portenti non fiat « in urbe romana, uti L. Sextium atque hunc C. Li- « cinium consules, quod indignaris, quod abominaris, « videas? Aut omnia accipe : aut nihil fero. Ut si quis « ei, quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo, « et aut abstinere eo, quod vitale sit, jubeat, aut « mortiferum vitali admisceat. Ergo, si esset libera « hæc civitas, non tibi frequentes subclamassent? Abi « hinc cum tribunatibus ac rogationibus tuis. Quid? « si tu non tuleris, quod commodum est populo ac- « cipere, nemo erit, qui ferat illud? Si quis patricius, « si quis [7] (quod illi volunt invidiosius esse) Claudius « diceret, Aut omnia accipite, aut nihil fero; quis « vestrum, Quirites, ferret? Nunquamne vos res po-

n. 10; et ad IV, 2, n. 10. — *Qua vos semper tribunos pl. habeamus*, vide ad III, 19, n. 6.

5. *Seu utiles, seu inutiles*, vide ad III, 33, n. 5. — *Obsecro vos, Tarquinii tribuni plebis*, vide supra III, 39 : *decem Tarquinios appellantem, admonentemque, Valeriis et Horatiis ducibus pulsos reges*, etc. Ed.

6. *Non, inquit* (vide not. 3), *licebit. Tu de fenore.... aut nihil fero*, verba tribunorum, non qualia illi pronunciarant (sup. c. 39 extr. « Non esse modestiæ populi romani, » etc.), aut qua sententia illi accipi ea voluerant, sed qualia ea populo videri, quamque sententiam ex iis elici cupiebat Appius, qui iratus illa multo invidiosius et asperius reddit; Gronov. qui verba Appii, ex sua ipsius mente adjecta, *hoc portenti non fiat*, desumpta putabat ex versiculis in Ventidium apud Gellium, XV, 4 extr. — *Venenum ponat*, apponat, quod de epulis proprium est verbum. — *Vitale*, cibus, quo vita servatur, seu sustentatur.

7. *Si quis patricius, si quis Claudius*, vide ad VI, 32, n. 3.

« tius, quam auctores, spectabitis? sed omnia semper, « quæ magistratus ille dicet, secundis auribus, quæ ab « nostrum quo dicentur, adversis accipietis? At her- « cule sermo est minime civilis [8]. Quid? Rogatio qualis « est, quam a vobis antiquatam indignantur? Sermoni, « Quirites, simillima : Consules, inquit, rogo, ne vo- « bis, quos velitis, facere liceat. An aliter rogat, qui « utique alterum ex plebe fieri consulem jubet [9], nec « duos patricios creandi potestatem vobis permittit? « Si hodie bella sint, quale etruscum fuit, quum Por- « sena Janiculum insedit; quale gallicum modo, quum « præter Capitolium atque arcem omnia hæc hostium « erant, et consulatum cum hoc M. Furio et quolibet « alio ex Patribus L. ille Sextius peteret : possetisne « ferre, Sextium haud pro dubio consulem esse, Ca- « millum de repulsa dimicare? Hoccine est in commune « honores vocare [10], ut duos plebeios fieri consules « liceat, duos patricios non liceat? et alterum ex plebe « creari necesse sit, utrumque ex Patribus præterire « liceat? Quænam ista societas, quænam consortio « est [11]? Parum est, si, cujus pars tua nulla adhuc fuit, « in partem ejus venis, nisi partem petendo totum « traxeris? Timeo, inquit, ne si duos licebit creari pa- « tricios, neminem creetis plebeium. Quid est dicere « aliud, quia [12] indignos vestra voluntate creaturi non

8. *At hercule sermo est minime civilis*, sermo vester, Patres, minime est popularis, atque hoc causæ est, cur quæ ab aliquo vestrum dicuntur adversis auribus accipiamus : hæc iterum quasi ex mente plebis sibi objicit Appius, iisque respondens etiam rogationem illam non magis civilem esse ait; Stroth. — *Antiquatam indignantur*, scil. tribuni; contemptim et δεικτικῶς. *Sermoni* Patrum *simillima*.

9. *Qui...fieri consulem jubet*, ut mox *haud pro dubio c. esse*. Cf. c. 35, n. 4.

10. *In commune honores vocare*, vide ad VII, 22, n. 4.

11. *Quænam ista societas, quænam consortio est?* de voce *consortio* vide Drakenb. ad XL, 8, 12; Heusing. ad Cic. Off. III, 3; Laurenberg. Antiq., Burm. ad Velleium, II, 99.

12. *Quid est dicere aliud, quia*, etc. Al. *nisi quia*. Conf. n. 4.

« estis, necessitatem vobis creandi, quos non vultis, « imponam? Quid sequitur, nisi ut ne beneficium qui- « dem debeat populo, si cum duobus patriciis unus « petierit plebeius, et lege se, non suffragio, creatum « dicat?

XLI. « Quomodo extorqueant, non quomodo pe- « tant honores, quærunt; et ita maxima sunt adepturi, « ut nihil ne pro minimis quidem debeant[1] : et oc- « casionibus potius, quam virtute, petere honores « malunt. Est aliquis, qui se inspici, æstimari fasti- « diat[2]; qui certos sibi uni honores inter dimicantes « competitores æquum censeat esse; qui se arbitrio « vestro eximat; qui vestra necessaria suffragia pro « voluntariis, et serva pro liberis faciat. Omitto Lici- « nium Sextiumque, quorum annos in perpetua po- « testate, tanquam regum in Capitolio[3], numeratis : « quis est hodie in civitate tam humilis, cui non via « ad consulatum facilior per istius legis occasionem,

Cap. XLI. 1. *Ut nihil ne pro minimis quidem debeant*, ne tantum quidem gratiæ, quantum quis pro re minima (immo, pro minimis honoribus) se debere putat; Coet. et Doer. Bauer. τὸ *nihil* putat dictum pro *quidquam* (vide ad II, 45, n. 7), aut argutæ concinnitatis specie lapsum Livium hoc voluisse : maxima adeptos tribunos, nil omnino, ne minimum quidem, debere velle, aut pro eo obstrictos esse. Neutra explicatio satis facit, ut nec emendationes Fabri *ut nihil pro iis nec minimum quidem debeant*, et *ut nihil populo romano Quiritium debeant*, vel Gronov. *ut nihil quasi pro minimis debeant*, vel Doujatii *ut nihil, ne ut pro min. q., d.* et *ita minima s. a., ut nihil, ne pro maximis q., d.*, vel Drak. *ut nihil, ne minimum q., d.* et *ut nihil populo romano, ne minimum q., d.* Forte leg. *et ita*, hac ratione, scil. perlata lege, *maxima*, maximos honores (nisi scrib. *maximos*, quod auribus est gratius), *sunt adepturi, ita nihil ne pro maximis quidem debebunt.* Pro *malunt* Gron. *malint.* An *malent? occasionibus potius* (ut mox : *per istius legis occasionem*), *quam virtute*, virtutibus ac meritis.

2. *Est aliquis*, non deerit, *qui se inspici fastidiat*, suos mores examinari. Mox junge : *certos sibi uni honores esse.* In edd. ante Drakenb. signa interr. posita post *fastidiat* et *esse*, etc.

3. *Tanquam regum in Capitolio*, qua voce vel capitolinos fastos, vel solennem tunc comitiorum tribun. locum, vel regum statuas in Capitolio positas (vid. Plin. XXXIII, 1, et inpr. Dio Cass. lib. XLIII, pag. 236, qui etiam juxta septem regum statuas duas

« quam nobis ac liberis nostris, fiat? si quidem nos, « ne quum volueritis quidem, creare interdum poteritis, istos, etiam si nolueritis, necesse sit. De indi« gnitate satis dictum est : (etenim dignitas ad ho« mines pertinet) quid de religionibus atque auspiciis, « quæ propria deorum immortalium contemptio atque « injuria est, loquar? Auspiciis hanc urbem conditam « esse[4], auspiciis bello ac pace, domi militiæque, om« nia geri, quis est, qui ignoret? Penes quos igitur « sunt auspicia more majorum? nempe, penes Patres. « Nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato « creatur. Nobis adeo propria sunt auspicia, ut non « solum, quos populus creat patricios magistratus, « non aliter, quam auspicato, creet; sed nos quoque « ipsi sine suffragio populi auspicato interregem pro« damus[5], et privatim auspicia habeamus, quæ isti « ne in magistratibus quidem habent. Quid igitur « aliud, quam tollit[6] ex civitate auspicia, qui, ple« beios consules creando, a Patribus, qui soli ea ha« bere possunt, aufert? Eludant nunc licet religiones. « Quid enim est, si pulli non pascentur? si ex cavea « tardius exierint? si occinuerit avis[7]? Parva sunt hæc: « sed parva ista non contemnendo majores nostri ma-

Bruti et Cæsaris positas fuisse docet; de quo et vide Suet. Cæs. 76, et Cic. pro Dejot. 12) numerumque annorum imperii regii illarum basibus inscriptum, designari putabant Cuper. et Gron. Hic tamen verba *in Capitolio* resecari malebat, aut legi *in Campo*, vel *in comitio*.

4. *Auspiciis hanc urbem conditam esse*, etc. Confer ad V, 51, n. 4. — *Penes quos igitur sunt auspicia*, etc. vide ad II, 33, n. 3. — *Auspicato*, vide ad V, 21, n. 1.

5. *Interregem prodamus*, creemus; vocab. propr. de interrege et flamine. — *Privatim auspicia habeamus*, ut contra mox *in magistratibus;* forte leg. *privati*.

6. *Quid igitur aliud quam tollit*, etc. vide ad II, 8, n. 9. — *Si pulli non pascentur*, forte *pascantur;* Bauer.

7. *Si occinuerit*, cecinerit, *avis;* quod verbum propr. dicitur de auspiciis tam faustis, quam infaustis. Cf. X, 40 extr. et Valer. Max. I, 4. —Aves, quæ cantu auspicia dabant, *oscines* dicebantur, quales corvus, cornix, noctua. Ed. — *Parva sunt hæc, sed*,

« ximam hanc rem fecerunt. Nunc nos, tanquam jam « nihil pace deorum opus sit, omnes ceremonias pol- « luimus. Vulgo ergo pontifices, augures, sacrificuli « reges creentur[8] : cuilibet apicem dialem, dummodo « homo sit, imponamus : tradamus ancilia, penetralia, « deos, deorumque curam, quibus nefas est. Non « leges auspicato ferantur, non magistratus creentur : « nec centuriatis nec curiatis comitiis Patres auctores « fiant[9]. Sextius et Licinius, tanquam Romulus ac Ta- « tius, in urbe romana regnent, quia pecunias alienas, « quia agros dono dant. Tanta dulcedo est ex alienis « fortunis prædandi : nec in mentem venit, altera « lege solitudines vastas in agris fieri pellendo finibus « dominos : altera fidem abrogari[10], cum qua omnis « humana societas tollitur. Omnium rerum causa vo- « bis antiquandas censeo istas rogationes. Quod faxi- « tis, deos velim fortunare[11]. »

XLII. Oratio Appii ad id modo valuit, ut tempus rogationum jubendarum proferretur[1]. Refecti decimum iidem tribuni, Sextius et Licinius, de decemviris sacrorum[2] ex parte de plebe creandis legem pertulere.

etc. Confer ad V, 51, n. 4. — *Hanc rem* publicam. — *Pace deorum*, vide ad III, 5, n. 12.

8. *Vulgo ergo pontifices . . . creentur*, vide ad V, 8, n. 1.—*Cuilibet apicem dialem imponamus*, vide I, 34, n. 13. — *Apex* proprie dicebatur, in summo flaminis pileo virga e felici arbore, laneo filo religata; quod quidem filum *apiculum* vocabatur. Interdum tamen, ut hoc loco, *apex* sumitur pro ipso pileo. *Apex* autem dictus est ab eo quod comprehendere vinculo antiqui *apere* dicebant. Vide Festum in vocibus *apex* et *apiculum*, et Servium tum ad Æneid. II, vers. 683, tum ad VIII, v. 664. Ed.—*Tradamus ancilia*, etc. h. e. quoslibet faciamus Salios, etc. Cf. ad I, 20, n. 7. — *Penetralia*, ubi pignera imperii asservabantur, ancilia et palladium, scil. in sacello ad templum Vestæ; Ern. Cf. ad I, 20, n. 3.

9. *Patres auctores fiant*, vide ad I, 17, n. 6.

10. *Fidem abrogari*, etc. Confer ad II, 30, n. 1.

11. *Omnium rerum causa. . . fortunare :* eadem, quæ hoc loco, formula occurrit infra XXXIV, 4. Ed.

Cap. XLII. 1. *Ut tempus rogationum jubendarum proferretur*, conf. ad III, 20, n. 7; et IV, 58, n. 10.

2. *De decemviris sacrorum*, etc. Cf. ad cap. 37, n. 5.

Creati quinque Patrum, quinque plebis : graduque eo jam via facta ad consulatum videbatur. Hac victoria contenta plebes cessit Patribus, ut in præsentia consulum mentione omissa, tribuni militum crearentur. Creati A. et M. Cornelii iterum, M. Geganius, P. Manlius, L. Veterius, P. Valerius sextum. Quum præter Velitrarum obsidionem, tardi magis rem exitus, quam dubii, quietæ externæ res [3] Romanis essent; fama repens belli gallici allata perpulit civitatem, ut M. Furius dictator quintum diceretur; is T. Quintium Pennum magistrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen, auctor est Claudius [4]; inclytamque in ponte pugnam, qua T. Manlius Gallum, cum quo provocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum cæsum torque spoliavit, tum pugnatam. Pluribus auctoribus magis adducor, ut credam, decem haud minus post annos ea acta : hoc autem anno in albano agro cum Gallis, dictatore M. Furio, signa collata [5]. Nec dubia, nec difficilis Ro-

3. *Quietæ externæ res,* conf. ad I, 57, n. 7, et II, 18, n. 1.

4. *Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen auctor est Claudius,* Q. Claudius Quadrigarius, qui annales Acilianos, quorum auctor tempore belli punici II vixerat, ex græco vertit in latinum (vide XXV, 39, et XXXV, 14, quam tamen versionem Sigon. tribuit *Clodio Licinio,* de quo vide XXIX, 22), et in primo ejus libro hanc T. Manlii pugnam cum Gallo descripsit; vide Gell. IX, 13. De ipso Claudio et Acilio vide Duker. ad XXV, 39, n. 12 (ubi docet, non minus incertum esse, quis Acilius fuerit historicus, quam utrum Claudius Quadrigarius an alius Claudius Acilii annales verterit); Creverium ibid. (qui Acilium illum non fuisse C. Acilium Glabrionem, ut Voss. histor. Græc. I, 18 putabat, sed C. Acilium, a Plut. Cat. maj. p. 349 laudatum, suspicabatur); Schweigh. ad Appian. de reb. gall. Exc. I, p. 172; Voss. de hist. lat. I, 10 et 17; Ernesti clav. Cic. De illa pugna vide inf. VII, 10. — *Cum quo provocatus manus conseruit; manum* Portug. Harlei. sec. Haverk. Fragm. Hav. et Hearnii Oxoniensis B. Utrumque loquendi genus et Livio et aliis auctoribus frequens est, qui passim *conserere* et *conferre manum,* aut *manus* dixerunt. Hic autem optimos codices, qui nihil mutant, secuti, vulgatum servamus. Ed.

5. *Hoc autem anno in albano agro cum Gallis signa collata,* conf. Polyb.

manis (quanquam ingentem Galli terrorem memoria pristinæ cladis attulerant) victoria fuit. Multa millia barbarorum in acie, multa captis castris cæsa: palati alii, Apuliam maxime petentes, quum fuga se longinqua, tum quod passim eos simul pavor terrorque distulerant, ab hoste sese tutati sunt. Dictatori, consensu Patrum plebisque, triumphus decretus. Vixdum perfunctum eum bello atrocior domi seditio excepit: et per ingentia certamina dictator senatusque victus, ut rogationes tribunitiæ acciperentur; et comitia consulum adversa nobilitate habita[6], quibus L. Sextius de plebe primus consul factus; et ne is quidem finis certaminum fuit. Quia patricii se auctores futuros negabant, prope secessionem plebis res terribilesque alias minas civilium certaminum venit: quum tamen per dictatorem conditionibus sedatæ discordiæ sunt, concessumque ab nobilitate plebi de consule plebeio, a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in Urbe

II, 18, qui tamen anno XXX post Romam a Gallis captam hoc factum dicit. — Mox *quum fuga longinqua* leg. cum Gronovio deleto *se*. — *Simul pavor terrorque; pavor*, qui insidebat menti; *terror*, qui a novis subinde occurrentibus hostibus accidebat. Ed. — *Distulerant*, vide ad IV, 33, n. 6.

6. *Comitia consulum adversa nobilitate habita*, vide ad I, 46, n. 4. — *Quia patricii se auctores futuros negabant* (vide ad I, 17, n. 6), *res venit prope* (pæne ad) *secessionem plebis*, ut XXVI, 48, n. 3. Conf. ad II, 48, n. 5. *Prope ad secessionem* quidam MSS, ut X, 6, et al. vide Drak.

7. *A plebe nobilitati* concessum *de prætore*, etc. Ita olim dux belli et consul, vel præfectus provinciæ, ut XXVI, 1, n. 2; XL, 21 et 23, dicebatur a *præeundo*; unde *prætor maximus* VII, 3, summus magistratus, forte consul, qui fasces habebat, vel dictator; *prætorium* ducis tentorium in castris, *prætoria navis*, et *prætoria porta*. Conf. ad III, 5, n. 3; III, 55, n. 11; IX, 16, n. 10; XXI, 3, n. 5; XXIII, 19, n. 12; XXXI, 24 (ubi *prætor Atheniensium* est, opinor, στρατηγὸς, non archon, ut et apud Cic. ad Div. I, 54, et apud Cic. Off. I, 40; coll. Strab. XIV, 638); XXIII, 40 pr. et XXIII, 41, n. 3 (quibus locis *prætorem* Livius dixit pro duce, quia T. Manlium Torquatum et T. Otacilium hoc anno prætores non fuisse, ex XXIII, 30, et aliis locis intelligitur: neque *proprætorem* cum Gronov. et Perizon. de prætorio I, 13 legendum videtur; quod saltem a XXIII, 40 pr. alienum est: nam Manlius proprie nec prætor erat, nec proprætor:

diceret, ex Patribus creando. Ita ab diutina ira tandem in concordiam redactis ordinibus, quum dignam eam rem senatus censeret esse, meritoque id, si quando unquam alias, deum immortalium causa libenter facturos fore, ut ludi maximi fierent et dies unus ad triduum adjiceretur; recusantibus id munus ædilibus plebis, conclamatum a patriciis est juvenibus, se id honoris deum immortalium causa libenter acturos, ut ædiles fierent. Quibus quum ab universis gratiæ actæ essent, factum senatus consultum, ut duo viros ædiles ex Patribus dictator populum rogaret[8]: Patres auctores omnibus ejus anni comitiis fierent.

conf. cap. 34); XXVIII, 39, n. 1; XXX, 43, n. 5; et ad Juvenal. X, 36; Duker. infr. ad XXIII, 40, n. 1; Drak. ad XXX, 2, n. 4. Mox sententia et verba paululum turbata pro: *quum senatus censeret eam rem dignam esse, ut ludi maximi fierent* (cf. XXIV, 16 extr.), *et dies unus ad triduum adjiceretur* (v. ad II, 36, n. 1), *meritoque id, si quando unquam alias, deum immortalium causa libenter facturos*, curaturos, *fore*, esse (ut XXV, 24; XXVI, 26; XXIX, 3; XXX, 2; XXXV, 13; Gell. X, 1; et Cic. ad Att. V, 20, 21), scilicet ædiles plebis (quæ dura est ellipsis, e seqq. repetenda); *recusantibus id munus ædilibus plebis*, etc. Confer Gronovii Observationes, IV, 25. Cæterum hæc fraus erat Patrum, qui facile prævidebant, ædiles plebis, quibus ludorum cura erat commissa, id oneris recusaturos, et plebem præ nimio gaudio dolum non sensuram esse. — *Ut ædiles fierent*, vide ad V, 15, n. 6.

8. *Ut duo* (al. *duos;* sed vide ad III, 62, n. 4) *viros ædiles ex Patribus dictator populum rogaret*, vide ad III, 64, n. 5. — *Patres auctores fierent*, vide ad I, 17, n. 6.

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM
AB URBE CONDITA
LIBER SEPTIMUS.

BREVIARIUM.

Cap. I; Annus ab Urb. cond. 389 insignis novi hominis consulatu, novisque duobus magistratibus, prætura urbana et curuli ædilitate: convenit mox, ut duo ædiles curules alternis annis ex plebe fiant: quod postea promiscuum fuit. Pestilentia ingens: mors Camilli. — II; Ludi scenici inter alia cælestis iræ placamina instituti: ludiones ex Etruria acciti et histriones dicti: Fescennini versus: impletæ modis saturæ: Livius Andronicus, ab his argumento fabulam serere ausus: ad manum cantari histrionibus cœptum: diverbia tantum voci eorum relicta: exodia: atellanæ. — III; L. Manlius Imperiosus dictator clavi (qui index olim numeri annorum fuit) figendi causa dicitur: idem, bellum hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitat, sed tandem, omnibus in eum tribunis pl. coortis, dictatura abit. — IV; Diem ei dicit M. Pomponius trib. pl. et præter acerbitatem in delectu crimini dat sævitiam in filium, quem pater vere imperiosus, ob tarditatem ingenii, extorrem Urbe in opus servile dederit. — V; Sed filius tribunum jurare cogit, se incœpto destiturum; et eodem anno, quo non amplius omnes tribuni militum ad legiones ab imperatore (qui Rufuli postea dicti), sed sex a populo creari cœpere, secundum in sex locis tenet. — VI; Vorago immensa in foro non prius expleri potest, quam M. Curtius armatus et equo insidens se in eam immisit: unde plerique appellatum putant lacum Curtium. L. Genucius, primus consulum de plebe, qui bellum gerit, ab Hernicis in insidias tractus occiditur: hinc fremunt Patres, et Ap. Claudius Crassus dictator dicitur. — VII;

Ambigua pugna et acies Hernicorum restituta ab octo cohortibus quadringenariis. — VIII; Victoria Romanorum haud incruenta. — IX; Ferentinum in Hernicis capitur vi, et bellum Tiburtibus indicitur. T. Quintius Pennus dictator proficiscitur adversus Gallos, qui in Salaria via ad Anienem castra habent, et barbarus eximia corporis magnitudine jubet magna voce ad pugnam procedere, quem Roma virum fortissimum habeat. — X; In hoc certamen permissu dictatoris descendit T. Manlius, qui patrem a vexatione tribunitia vindicaverat: is Gallum stolide lætum prosternit, et jacentis collum torque spoliat, quem collo circumdat suo : unde ei posterisque Torquati cognomen datum. — XI; Tum Galli noctu, relictis trepide castris, in tiburtem agrum, et inde, commeatu a Tiburtibus adjuti, in Campaniam transeunt : sed mox redeunt ad auxilium sociorum, quibus bellum indictum; et a Q. Servilio Ahala dictatore haud procul porta Collina funduntur, magna utrimque edita cæde. Tiburtes victi. —XII; Et mox iterum ante mœnia Romæ. Bellum Hernicis Tarquiniensibusque indictum. Latini pacem petunt et fœdere renovato magnam dant militum vim. C. Sulpicius dictator adversus Gallos, circa Pedum considentes, exercitum ducit, trahitque bellum invitis militibus. — XIII; Horum nomine Sex. Tullius, qui septimum ducebat primum pilum, orat, ut pugnæ fiat copia. — XIV; Dictator concitatæ cedit multitudini, et agasones armatos mulisque impositos nocte super castra in montes, adversus quos consistunt hostes, evadere jubet. — XV; Pugna atrox et diu anceps, donec Galli, novo clamore eorum, qui in monte sunt, territi, fugiunt et cæduntur. C. Plautius cos. devincit Hernicos : sed Tarquinienses cladem inferunt exercitui C. Fabii, collegæ ejus, et CCCVII milites romanos captos immolant. Privernates agrum romanum vastant, et mox Veliterni. Duæ tribus, Pomptina et Publilia, adduntur: lex de ambitu fertur ab C. Pœtelio trib. pl. — XVI; Privernates, virtute potissimum Sex. Tullii, funduntur deduntque urbem. Rogatio de unciario fenere a M. Duillio et L. Mænio trib. pl., ac lex de vicesima manumissorum a Cn. Manlio cos. novo exemplo ad Sutrium in castris perfertur: unde tribuni pl. capite sanciunt, ne quis postea populum sevocet. — XVII; Falisci Tarquinienses que primum fundunt Romanos, territos maxime incessu furiali sacerdotum, faces ardentes anguesque præferentium; sed mox vincuntur. Omne nomen etruscum concitatur; et C. Marcius Rutilus primus de plebe dicitur dictator : is profligat Etruscos, et sine auctoritate Patrum, populi

jussu, triumphat. — XVIII; Ambo coss. patricii : Empulum ex Tiburtibus captum : consulum certamen cum plebe ac tribunis. — XIX; Tiburtes, Sassula expugnata, se dedunt Romanis : captivi Tarquinienses trucidantur omnes : fœdus cum Samnitibus junctum : inopes nexum ineunt : Cærites cum Tarquiniensibus arma jungunt : T. Manlius Torquatus dictator et A. Cornelius Cossus mag. eq. dicitur. — XX; Cærites erroris veniam petunt, induciasque impetrant in centum annos. Faliscorum fines populati. — XXI; Tribuni comitia consularia non nisi secundum Liciniam legem haberi patiuntur : tandem C. Marcius Rutilus e plebe collega datur P. Valerio Publicolæ : hi solutionem æris alieni in publicam curam vertunt, creatis quinqueviris mensariis ; et tarda nomina aut ærarium dissolvit, aut liberat æstimatio bonorum. Ob terrorem belli etrusci, qui tamen vanus est, C. Julius dictator in castris dicitur. — XXII; Induciæ XL annorum cum Tarquiniensibus Faliscisque. Dominis multarum rerum solutione æris alieni mutatis, censum agi placet, et C. Marcius Rutilus primus de plebe censor creatur. — XXIII - XXIV; M. Popillius Lænas cos. plebeius superat Gallos, acerrime pugnantes haud procul albanis montibus. — XXV; Galli ex his montibus per campos maritimaque loca vagi populantur : mare infestum classibus Græcorum : Latini deficiunt a Romanis : hi decem legiones scribunt. Bellum gallicum mandatum L. Furio Camillo cos. Ap. Claudio Crasso collega mortuo. — XXVI; Gallum, magnitudine armisque insignem, qui provocaverat unum ex Romanis, superat obtruncatque M. Valerius trib. mil. adjutus a corvo, qui os oculosque hostis rostro et unguibus appetiisse dicitur : unde illi cognomen Corvi datur. Camillus vincit Gallos, sed adversus Græcos, qui Siciliæ tyranni fuisse videntur, nullam memorabilem gerit rem. M. Valerius Corvus, XXIII annos natus, consul renuntiatur absens a T. Manlio Torquato dictatore. — XXVII; Pestilentia et lectisternium. Fœdus cum Carthaginiensibus ictum. Semunciarium ex unciario fenus factum, et solutio æris alieni in pensiones æquas triennii, ita ut quarta præsens esset, dispensata. Antiates aliique Volsci a M. Valerio Corvo II cos. victi, Satricumque dirutum. — XXVIII; Cum Auruncis debellatum a L. Furio Camillo dictatore : templum Junoni Monetæ ab eo votum, exstructumque in area ædium M. Manlii Capitolini : Sora ex Volscis capta. Prodigiorum feriarumque constituendarum causa, dictator dictus P. Valerius Publicola : supplicationes tribuum finitimorumque populorum : judicia populi tristia in feneratores

facta. — XXIX; Belli samnitici, diu ancipiti marte gesti, origo. Samnites Sidicinis et deinde Campanis, horum sociis, injusta inferunt arma. — XXX; Campani a senatu rom. auxilium petunt. — XXXI; Eo negato se suaque omnia dedunt Romanis : hi legatos mittunt ad Samnites, qui ferociter iis respondent. — XXXII; M. Valerius Corvus cos. ad Gaurum montem in Campania, A. Cornelius Cossus ad Saticulam in Samnio castra ponit: ille milites suos adhortatur. — XXXIII; Valerii ingenium: pugna ejus atrox cum Samnitibus, et victoria. — XXXIV; Discrimen Cornelii cos. propulsatum virtute P. Decii trib. mil. — XXXV - XXXVI; Is capto colle spatium consuli dat ad subducendum agmen in æquiorem locum, et noctu per castra hostium incolumis ad suos revertitur : tum palati passim Samnites opprimuntur, multisque millibus cæsis diripiuntur castra. — XXXVII; Decius ejusque milites donati bubus, tunicis, frumento et coronis. Samnites a Valerio ad Suessulam, et deinde ad Capuam victi. — XXXVIII; Falisci fœdus petunt, et Carthaginienses legatos gratulatum mittunt Romam, cum coronæ aureæ dono. Consules de Samnitibus triumphant, sequente Decio. Romani milites, Capuæ in præsidio relicti, urbis hujus occupandæ consilia ineunt. — XXXIX; C. Marcius Rutilus cos. exercitum purgat missionibus turbulentorum hominum, et aliis alio missis per speciem militarium usuum: horum vero mox valida manus, timens, consilia sua emanasse, et supplicia singulis imminere, ad Albam Longam confluit, et T. Quintium, ruri agentem in Tusculano, arcessit, ut eos ad Urbem ducat. — XL; M. Valerius Corvus dictator, obviam iis missus, et T. Quintius seditiosos milites ad pacem hortantur. — XLI; Conjuratio opprimitur, ferturque lex sacrata militaris, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleatur, nec, qui tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor sit: id propter P. Salonium a conjuratis postulatum. — XLII; Hujus defectionis militum narratio variat in annalibus. Rogatio a L. Genucio trib. pl. lata, ne fenerare liceat, aliaque plebiscita.

I. Annus hic erit insignis [1] novi hominis consulatu, insignis novis duobus magistratibus, prætura et curuli

Cap. I. 1. *Annus hic insignis erit*, h. e. fuit et manebit, Doer. Conf. ad XXI, 46, n. 7. — *Novi hominis*, vide ad I, 34, n. 8. — *Novus homo* dicebatur, cujus e majoribus nemo curulem magistratum gesserat, qui nullam

ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores pro concesso plebi altero consulatu. Plebes consulatum L. Sextio, cujus lege partus erat, dedit : Patres præturam Sp. Furio [2], M. filio, Camillo; ædilitatem Cn. Quintio Capitolino et P. Cornelio Scipioni, suarum gentium viris, gratia campestri ceperunt. L. Sextio collega ex Patribus datus L. Æmilius Mamercinus. Principio anni, et de Gallis, quos primo palatos per Apuliam congregari jam fama erat, et de Hernicorum defectione agitata mentio. Quum de industria omnia, ne quid per plebeium consulem ageretur, proferrentur [3], silentium omnium rerum ac justitio simile otium fuit; nisi quod, non patientibus tacitum tribunis [4], quod pro consule uno plebeio tres patricios magistratus, curulibus sellis prætextatos tanquam consules sedentes, nobilitas sibi sumpsisset; prætorem quidem etiam jura reddentem, et collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum, verecundia inde imposita est senatui ex Patribus

habebat proinde majorum imaginem; *novo homini* opponebatur *nobilis*. Ed. — *Quæsivere*, vide ad II, 43, n. 7.

2. *Patres præturam Sp. Furio* (cf. Suidas v. Πραίτωρ)... *gratia campestri* (gratia sua apud populum artibusque in campo Martio apud suffragia ferentes adhiberi solitis, Stroth. ut *campestre certamen* XXXII, 7, n. 5) *ceperunt*, effecerunt ut ille caperet (vel ut nos fere dicimus : *etwas für Jemand erhalten*), ut paulo ante *plebes consulatum Sextio dedit* pro, effecit ut ei consulatus daretur; Gronov. Similiter XXXIX, 2, *consul pacem dedit finitimis*, effecit, ut iis pax esset, ne vexarentur a Liguribus.

3. *Quum de industria omnia proferrentur,* vide ad III, 20, n. 7. — *Justitio*, vide ad III, 3, n. 1.

4. *Non patientibus tacitum tribunis*, vide ad I, 50, n. 7. — *Prætorem collegam consulibus atque iisdem auspiciis creatum.* — Ideo collega consulibus dicebatur prætor, quia iisdem auspiciis creabatur, ut docet Messala apud Gellium, XIII, 14. Iisdem autem auspiciis creari, non est iisdem tantum comitiis, sed etiam captatis, ut videtur, eodem modo ac ritu auspiciis creari, ob eamque causam ejusdem ordinis ac generis auspicia habere. Porro auspicia consulum ac prætorum ejusdem ordinis erant, ut constat ex loco Gellii supra memorato, quamvis, ubi diversa iis auspicia contingerent, consulum auspicia magis rata essent: cujus rei insigne testimonium exstat apud Val. Max. lib. II, cap. 8. Ed. — *Verecundia imposita est senatui ex Patribus jubendi ædiles curules creari,* conf. ad III, 62, n. 8. Nota Drakenb.

jubendi ædiles curules creari; primo ut alternis annis ex plebe fierent, convenerat: postea promiscuum fuit. Inde, L. Genucio et Q. Servilio consulibus, et ab seditione et a bello quietis rebus, ne quando a metu ac periculis vacarent, pestilentia ingens orta [5]. Censorem, ædilem curulem, tres tribunos plebis mortuos ferunt, pro portione et ex multitudine alia multa funera fuisse; maximeque eam pestilentiam insignem mors quam matura, tam acerba, M. Furii [6] fecit. Fuit enim vere vir unicus in omni fortuna: princeps pace belloque prius, quam exsulatum iret; clarior in exsilio vel desiderio civitatis, quæ capta absentis imploravit opem, vel felicitate, qua restitutus in patriam secum patriam ipsam restituit. Par deinde per quinque et viginti annos (tot enim postea vixit) titulo tantæ gloriæ fuit [7], dignusque habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis romanæ ferrent.

II. Et hoc et insequenti anno, C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone, consulibus, pestilentia fuit: eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum

est: « *Jubere* magistratus non senatus, sed populus dicitur, quum eos comitiis creat. At hoc tempore adhuc in potestate Patrum fuit, habendis comitiis conditiones dicere, negando se auctores fore, nisi, quod jusserant, observaretur; vide Gronovii Obss. I, 25. Ita non in solius populi potestate olim fuerat decernere, utrum tribunorum consularium an consulum comitia haberentur, verum ad id etiam senatusconsultum requirebatur. Conf. IV, 12, et Dionys. lib. XI, p. 735. » Cf. ad I, 17, n. 6.

5. *Pestilentia ingens orta*, vide ad I, 31, n. 4. — *Censorem*, conf. Pigh. Ann. ad an. 387.—*Pro portione*, vide ad V, 4, n. 2, et Drakenb. ad h. l.

6. *Mors quam matura, tam acerba M. Furii*, nihilominus acerba, quamvis ea senectute ipsi contingeret, qua exspectari debuerat, Stroth. Sic *mors matura* senis decrepiti apud Cic. Div. I, 18, et Catil. IV, 1. — *Vir unicus*, vide ad I, 21, n. 3. — *Clarior in exsilio*, forte del. τὸ *in;* Duk.

7. *Par deinde titulo tantæ gloriæ fuit*, ei non defuit, sed respondit, eum non fefellit, tuitus est; Doer. — *Per XXV annos :* immo *per XXIV annos;* vide Perizon. anim. histor. cap. 10.— Bene se habet hic numerus, si ratio habeatur anni ejus quem inseruit Henr. Dodwell. ante anarchiam. Ed. — Mox forte leg. *Romani ferrent*, h. e. haberent et dicerent.

exposcendæ causa tertio tum post conditam Urbem lectisternium fuit [1]. Et quum vis morbi, nec humanis consiliis, nec ope divina levaretur, victis superstitione animis, ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo (nam circi modo spectaculum fuerat [2]), inter alia cœlestis iræ placamina instituti dicuntur. Cæterum parva quoque (ut ferme principia omnia) et ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo [3], sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more

CAP. II. 1. *Pacis deum exposcendæ causa* (vide ad I, 16, n. 4) *lectisternium fuit*, vide ad V, 13, n. 5.

2. *Nam circi modo spectaculum fuerat*, ludi tantum circenses in usu et noti fuerant. Conf. I, 35. — *Parva quoque res*, tenuis, *fuit;* rude adhuc et inconditum fabularum ludorumque genus. Pro *quoque* forte leg. *quidem*, delendumque *et* ante *ea ipsa;* Bauer.

3. *Sine ullo carmine*, cantu et declamatione, sine cantore, qui pronuntiaret verba, vel caneret, *sine actu*, sine histrione, qui saltando et gesticulando ea, quæ a cantore pronuntiabantur, exprimeret, sine dramatica et mimica repræsentatione *carminum*, h. e. eorum, quæ canenda erant vel declamanda (unde mox *suorum carminum*, dramatum, *actor*), et *imitanda*, scita imitatione aptisque gestibus exprimenda (*actus imitandorum carminum* est actio, gestus accommodatus ad exprimendas sententias: nam *imitari* est exprimere, reddere, accommodare actum, seu gestum ad *carmina*, ad verba cantici apte exprimenda: aut, si absint *carmina*, id est, verba in scena actori pronuntianda, ut non loquatur, sed tantum gestum faciat, aut alii loquenti gestum mutum accommodet, *imitari* sit, gestu idem reddere, quod verbis exprimi possit aut debeat, efficere, ut e gestu ipso et solo res et sententia non minus intellecta appareat, ac si *carmine*, seu verbis esset prolata; Bauer.), *ludiones*, vel *histriones*, h. e. mimi (quæ propria illorum verborum vis est, et hinc translata ad omnes fabularum actores, qui simul erant mimi), *ex Etruria acciti*, *ad tibicinis* tantum *modos*, numeros, ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν, *saltantes*, h. e. gesticulantes vel mimum agentes (nam saltatio veterum magis fere manuum, quam pedum motu artificioso continebatur): *haud indecoros motus dabant*, faciebant (conf. ad I, 25, n. 8), aut edebant, ut VIII, 24, n. 3; XXXI, 50, al. Hoc est primum ac rude mimorum genus, sine verbis actum, ludionibus ad tibicinis tantum modos saltantibus: postea iis propria fuit conjunctio sermonis cum gesticulatione, vel actio ad modos et tibiam facta, quam mox saltationi adjunxisse dicitur *juventus* romana, cantore declamante et histrione simul ea, quæ canebantur, gesticulando exprimente. Qua in re potissimum *mimi* differebant a *pantomimis*, qui non sermone, sed sola gesticulatione utebantur, et præterea exquisitiori cum arte tam psallebant quam saltabant, nec nisi

tusco dabant; imitari deinde eos juventus, simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus[4], cœpere: nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res sæpiusque usurpando excitata: vernaculis artificibus, quia hister tusco verbo ludio vocabatur, nomen histrionibus inditum: qui non, sicut ante, fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis[5] jacie-

Augusti ævo celebritatem consequuti videntur. Conf. Ziegler. de Mimis rom. Goett. 1788; Casaub. de Sat. rom. c. 1; Salmas. ad Vopisci Carin. cap. 19, et Dacer. dissert. de Sat. in t. III Memor. literar. Acad. regiæ Inscript.

4. *Simul inconditis inter se jocularia fundentes versibus*, simul ad tibiam alternis canentes versus *inconditos* (v. ad IV, 20, n. 1), saturnios et fescenninos, actionemque adjungentes saltationi, vel gesticulationi; *nec absoni a voce motus erant*, non a cantu abhorrebant gestus. — *Usurpando excitata*, « exculta, perfecta, aucta, quasi domus surgens, aut ignis aspirando, ut ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα Tim. II, 1, 6, et fere I, 39, *excitantur* pro finguntur, confirmantur, perficiuntur: sed legere gestio *exercitata vernaculis artificibus, et, quia*, etc. vel *re... exercitata vernaculis artificibus, quia*, etc. » Bauer. — *Vernaculis artificibus*, histrionibus; vide ad V, 1, 2. *Histriones*, vel *histros* ita dictos monet Festus, quod primum ex Histria venerint, at Cluvius Rufus apud Plutarch. Quæst. rom. extr. (Opp. t. II, p. 289, C), ab Histro quodam, qui ludionibus, ex Etruria hoc anno accitis, arte longoque ejus usu præstiterit.

5. *Qui non, sicut ante, fescennino versu*, versui (vide ad IV, 12, n. 8), *similem, incompositum ac rudem, temere* et *alternis jaciebant*. Hic est verborum ordo, judice Gron. « Sed quo minus voc. *temere* referatur ad *jaciebant*, obstare videntur interjecta *ac rudem*. Itaque, quamvis pleonasmo laborent, jungi placet *incompositum temere*, brevitate quidem Livio non indigna, temere et ex tempore confectum versum, ideoque parum compositum »; Bauer. Forte leg. *fescennino versu* (aut *versui*) *similem, i. e. compositum temere*, nisi malis: *vel compositum temere*, etc. Notum vero est, quod jam in prooemio de Juvenalis vita, § 11, dixi (ubi etiam de variis *saturæ*, seu *satyræ* Rom. generibus disputavi), priscos et Latii et Græciæ agricolas in Liberalibus et festis diebus post messem conditam, præter alia ludicra per pagos acta, etiam personatos vinoque plenos prætereuntibus sibique ingessisse scommata et dicteria, versibus plerumque inconditis, seu incomptis, *alternis*, ἀμοιβαίοις (vide ad IV, 53, n. 5), et extemporalibus αὐτοσχεδιάσμασι, vel αὐτοσχεδίοις ᾄσμασι, seu ποιήμασι (*impromptus, improvisare*), *temere*, ex tempore et sine arte, adumbrata; talesque versus fuisse *Saturnios*, h. e. priscos ac rudes, et *Fescenninos*, a Fescennia Etruriæ opp. sic dictos, obscœnis procacibusque jocis refertos, nec ullis vel honesti et decori, vel metri legibus adstrictos, quamvis rhythmi non plane expertes. Cf. Claud. carm. XI-XIV; Virg. Geor. II, 385 sq. Hor. ep. II, 1, 139-167, ibique Wielandi not. 22 et 23.

bant; sed impletas modis saturas [6], descripto jam ad tibicinem cantu, motuque congruenti peragebant. Livius [7] post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id quod om-

6. *Sed impletas modis saturas*, ad modulos certos legesque rhythmi attemperatas, et quodam saltationis actionisque artificio constantes, *descripto*, composito, aptato et moderato *jam cantu ad tibicinem*, ut supra *ad tibicinis modos, motuque*, gestu, *congruenti peragebant*. (*Modus* alias musica vox, canendi rationem indicans, germ. *Composition*, vel *Melodie*, h. l. græce μέτρον, Stroth.) Hæc est prisca Romanorum *satura* vel *satyra*, eaque dramatica (*Farce, Mischspiel*), e saturniis et fescenninis versibus enata, vel ad eorum similitudinem efficta (nam Livius mox dicit, *his versibus ridicula fuisse intexta*, quæ *juventus* romana *inter se more antiquo jactitaverit*), illisque substituta in scenis, sed minus rudis, vel temere composita. Ea quidem fabula erat, sed incompta adhuc et incondita, neque unius ac certi alicujus, sed mixti argumenti; a cujus etiam varietate, æque ac posterior eaque didactica Romanorum *satura*, seu *satyra*, nomen traxit. (Vide Procem. sup. not. 5 memoratum, et supra ad XXII, 4, n. 1.) Eædem satyræ postea vocabantur *exodia*. Cur et quando hoc factum sit, mox docebit nos Livius.

7. *Livius*, L. aut M. Livius Andronicus, Græcus, M. Livii Salinatoris libertus, *post aliquot annos*, an. Urb. cond. DXIV, C. Claudio Appii Claudii Cæci filio et M. Tuditano consulibus, anno ante natum Ennium, et post confectum bellum punicum pr. (vide Cicer. de Sen. XIV; Brut. XVIII, et Tusc. Quæst. I, 1; Gell. XVII, 21, et ad hh. ll. Intpp.), *ab Saturis*, post Saturas (vide ad I, 1, n. 5) et spretis Saturis, quæ diu in scenis viguerant, *ausus est primus fabulas*, sc. comœdias ex græco in latinum sermonem versas, *serere*, conserere, construere, componere, *argumento*, h. e. scribere fabulas continentes vel unius ejusdemque argumenti, quæ partibus inter se connexis et aptis constarent, nec, ut Saturæ, confunderent ac miscerent res plane diversas et varias. Quæ distinctius exposuit Valer. Max. II, 4, 4, ubi Livium expressit: *Paulatim deinde ludicra ars ad Saturarum modos perrexit, a quibus omnium primus poeta Livius ad fabularum argumenta spectantium oculos et animos transtulit.* Bene laudant Intpp. sup. III, 44, n. 12; Quintil. Inst. Orat. V, 10, *Fabulæ ad actus scenarum compositæ argumenta dicuntur;* et Cic. pro Cœl. cap. 27: *Hæc tota fabella est sine argumento*, h. e. non cohæret, ut recte exponit Ernesti, qui etiam nostrum locum ibi eodem, quo nos, sensu cepit. Id docuit nos Stroth. cujus explicatio paulo durior est hæc: *fabulam serere*, componere, seu facere (ut III, 43, et VII, 39) in qua ficta quædam res gesta (*argumentum est ficta res, quæ tamen fieri potuit*, Cic. Inv. I, 19) continua narratione et actione ita exponeretur, ut omnia, quasi partes, ad unum totum referrentur. Confer ad XXXIX, 43, n. 1, et XL, 12, n. 4. Baueri nota est: « *ab Saturis*, ex occasione Saturarum, quum tantum Saturæ adhuc fuissent, relictis Saturis, ad majora et ingeniosiora provectus,

nes tum erant [8], suorum carminum actor, dicitur, quum sæpius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset, canticum egisse aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat; inde ad manum cantari histrionibus cœptum, diverbiaque tantum ipsorum voci relicta [9]. Postquam lege hac fabularum ab risu ac

fabulam, integram comœdiam, ejusque historiam, narrationem (*Sujet*) *serere*, conserere, jungere, continuare, unam et integram reddere, non e singulis aut inter se non cohærentibus dictis aptam, immo mixtam, *argumento* (*Sujet*), narratione una et solida, una actione rei, *suite*. »

8. *Id quod omnes tum erant*, scil. *carminum*, seu fabularum auctores vel poetæ dramatici, qui dramata, seu fabulas non modo componere, sed etiam docere et *agere* solebant. Ellipsis dura est, et verba quoque, parenthesi inclusa, videntur loco suo mota esse, atque post voc. *revocatus* vel *obtudisset* ponenda.—*Quum sæpius revocatus* a spectatoribus, ut repeteret ea, quæ cantasset (cf. Ernesti clav. Cic. v. *revocare*), *vocem obtudisset*, sæpe et diu canendo infirmiorem raucamque fecisset, *puerum* accivit et *ante tibicinem statuit ad canendum*, ut ad modos tibiæ caneret, ipse vero *canticum egit motu*, sc. manuum et totius corporis, h. e. soliloquium, quod a puero canebatur, histrionum more expressit gesticulatione, et quidem *motu aliquanto magis vigente*, gestu multo acriori ac vehementiori (ut passim *vigere* de motu ac voce saltatorum, cantorum oratorumque), *quia nihil vocis usus impediebat*, non simul canere vocemque intendere opus erat. Ita quoque Valer. Max. II, 4, 4, hæc verba interpretatus est: *adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit*. Cf. Suet. Galb. 13, ubi Ernesti monet *canticum agere* ibi idem esse, quod in Suet. Calig. 54, *tragœdo pronuntianti concinere et gestum histrionis effingere*. Romani *canticum* vocabant μονολογίαν, vel soliloquium, quod scil. ad modos tibiæ canebatur aut recitabatur; *diverbia* autem sermonem amœbæum, vel dialogum, colloquia duorum pluriumve actorum. Diomedes III, p. 488 collect. Putsch. « Membra, *inquit*, comœdiarum tria sunt, diverbium, canticum, chorus. Diverbia sunt eæ comœdiarum partes, in quibus diversorum personæ versantur. In canticis una tantum debet esse persona; aut si duæ fuerint, ita debent esse, ut ex occulto una audiat, nec colloquatur, sed secum, si opus fuerit, verba faciat. In choris vero numerus personarum definitus non est. » Cæterum forte leg. cum Duk. *et venia petita p. ad c. a. t. statuisset*, vel *venia petita p. ad c. a. t. statuisse et canticum egisse*. Ingratum certe et supervacuum est repetitum *quum*.

9. *Inde ad manum histrionibus* (vel *histrionum*) *cantari*, accini, *cœptum*, ab histrionibus *cantica* tragœdorum *agi motu*, saltatione et gesticulatione exprimi cœpta, *diverbiaque tantum ipsorum voci relicta*, voce, seu canendo ab iis expressa. (Conf. not. 8.) « *Histriones* saltabant ac gesticulaban-

soluto joco res avocabatur, et ludus in artem paullatim verterat [10]; juventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus jactitare cœpit: quæ inde exodia postea ap-

tur, eorumque voci tantum diverbia relicta; cantica vero relata ad tragœdos, qui histrionibus gestum sine voce agentibus ad manum cantabant: ut ap. Suet. Calig. 54. Caligula *tragœdo pronuntianti concinebat* et *gestum histrionis effingebat;* et ita Livius Andronicus, *puerum ad canendum ante tibicinem quum statuisset,* non totam fabulam, sed *canticum egisse vigente motu* supra dicitur »; Drak. « Inde institutum, ut alius præter histrionem ad hujus manum cantaret, sed ut ille cantaret, dum histrio manuum gesticulatione vel *motu canticum ageret*, ita ut et canentis cantus et histrionis manus conformes essent eamdemque rem exprimerent »; Stroth. Nota Gron. est hæc: *Cantare alicui ad manum* est gesticulationi ejus tacitæ, quæ saltando fiebat et loquaci manu, cantando respondere, et pronuntiare modulate, quæ histrio agat. Tragœdus canebat, h. e. modulate pronuntiabat; histrio, vel hypocrita, vel pantomimus saltabat et gesticulabatur; et præter hos aderat tibicen. Conf. Suet. Calig. 54, et Ner. 24. Ita h. l. *puer ad canendum* pro tragœdo; *tibicen*, ante quem statutus puer; Livius, *actor suorum carminum.* Sic *cantare ad tibias* non semper est solummodo tibias inflare, sed alio tibias animante, carmen voce accinere; *cantare ad fides, ad citharam ora vocalia movere*, et *subjungere*, vel *sociare carmina nervis*, simul pulsare citharam, simul canere, *saltare ad tibicinem* apud Fest. in *Salva res est*, et supra *descriptus ad tibicinem cantus. Cantabat* igitur puer *ad manum* Livio *histrioni* (conf. not. 3), ipse ad tibicinis modos saltabat agens canticum. » Confer Ferrar. Elect. II, 5, ubi et refellit emendationem Salmas. ad Vopisci Carin. c. 19 (*ad manum saltari*, ut *ad manum saltare* sit *manibus saltare* et gesticulari, χειρονομεῖν, ut *ad tibias canere* pro *tibiis canere*), et Gronovii interpretationem improbat, præcipue eo quod cantor cantando non responderi gesticulationi histrionis, quæ saltando et loquaci manu facta sit, sed quod contra histrio ea, quæ cantarentur, saltando et gesticulando expresserit. Ipse cum Turnebo Advers. III, 23 h. l. exponit: histriones cœperunt *ad manum*, in promptu et coram, prope, in vicino (vide ad V, 20, n. 1), habere, qui cantaret, et quo pronuntiante ipsi saltarent. — *Diverbium* dicitur, quando diversi verba faciunt: ac nihil aliud est, quam actus et scenæ, ex quibus ipsum fabulæ corpus constat; opponitur choro et cantico. Ed. — *Lege hac fabularum*, ratione comœdiæ legitimæ, ex arte compositæ, *Methode;* Bauer.

10. *Ludus in artem paulatim verterat*, scilic. se; vide ad II, 3, n. 2. — *Histrionibus*, saltatoribus, *fabellarum actum relinquere*, gesticulationem permittere; qui supra dictus est *carminum actus;* vide not. 3. Casaubonus de Sat. Rom. pag. 182 h. l. ita παραφράζει· Fabularum compositione inventa, refrixit initio satyra; verum hoc tantisper, dum mos obtinuit, ut ipsi poetæ suas in scena fabulas agerent: ubi vero agendi partes ad histriones sunt translatæ, retulit in scenam ipsa juventus

pellata [11], consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt [12]. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet, ut actores Atellanarum nec tribu moveantur, et stipendia, tamquam expertes artis ludicræ, faciant. Inter aliarum parva principia rerum, ludorum quoque prima origo ponenda visa est, ut appare-

romana risus jocosque priorum satyrarum (cf. not. 5 et 6); non quidem, ut fabulas excluderent, sed ut fabulis ipsis, præsertim autem Atellanis, adjungerentur sive insererentur.

11. *Quæ inde exodia (Intermezzi, Nachspiele) postea appellata :* sic dici cœpere satyræ, quum fabulis, inprim. Atellanis, adjungerentur. Cf. Juvenal. III, 176 (ubi vet. schol. *Exodiarius,* inquit, *apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret; ut quidquid lacrymarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret*), VI, 71; Sueton. Tib. 45, et Domit. 10. *Exodia* propr. exitus, deinde *ridicula intexta versibus,* quæ extra argumentum, risus et joci causa, interserebantur fabulæ vel carminibus : unde vocis ratio eadem est ac in *episodium;* Strothius. Suid. voc. ἐπεισόδιον. Casaubon. l. l. p. 184. « Ut satyricæ, inquit, tragicis dramatis adjectæ sunt a Græcis ad temperandam tragœdiæ mœstitiam; sic satyræ sive exodia simillimam ob causam post tragœdias produci solebant. — Non aliud in Atellana canticum, nisi *exodium,* quod ita dictum, vel quia singulorum diverbiorum fini subjiciebatur, vel quia extremæ fabulæ semel. Sic inter chorica mele Græcorum dramatum, quod ab introeuntibus in scenam cantabatur, εἰσόδιον dicebant; quod ab exeuntibus ἐξόδιον. »

12. *Consertaque*, inserta, adnexa, *fabellis potissimum Atellanis sunt :* quod ludicrum et dicax dramatum genus (*Farcen*), ab Atella, *Oscorum* in Campania oppido, sic dictum est; unde actores earum osce etiam loquebantur, quæ lingua Campanis et Samnitibus vernacula erat. (*Opici*, vel *Opsci* et *Osci* erant prisca Ausonum gens, quæ cis et ultra Lirim, in Latio et Campania, habitabat; v. Strab. V, p. 242. Conf. Heyn. Exc. VIII, ad Virg. Æneid. VII, 730; et nos ad Tac. Annal. IV, 14, n. 4.) In his fabulis sermo quidem rudis erat et impolitus, sed facetus potius et ridiculus, quam obscœnus et lascivus, argumentum quoque castum, et sententiæ puræ atque honestæ : unde Valerius Maximus, II, 4, n. 4, dicit, *hoc genus delectationis italica severitate temperatum ideoque vacuum nota* fuisse. Posterius etiam hunc locum notat Livius, aliamque affert causam, cur *Atellanarum actores* meliore fuerint conditione, quam *histriones*, qui ob inhonestam, quam exercuerint, artem, infamia sint notati et *tribu moti* (vide ad IV, 24, n. 5), neque *stipendia facere* potuerint : nam militia ante Marii tempora erat honestissima, nec milites legebantur ex infima civium classe, nisi extrema necessitate urgente. — Atellanas prorsus fere congruisse fabulis Græc. comico-satyricis suspicatur Eichstaedt de dram. Græc. com. sat. p. 53, 64 sq. 75 sq. et 84.

ret [13], quam ab sano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem insaniam venerit.

III. Nec tamen ludorum primum initium, procurandis religionibus [1] datum, aut religione animos, aut corpora morbis levavit; quin etiam, quum medios forte ludos circus Tiberi superfuso irrigatus impedisset, id vero, velut aversis jam diis aspernantibusque placamina iræ, terrorem ingentem fecit. Itaque Cn. Genucio, L. Æmilio Mamercino secundum consulibus, quum piaculorum magis conquisitio animos, quam corpora morbi, afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clavo ab dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus dictatorem clavi figendi causa dici jussit: dictus L. Manlius Imperiosus, L. Pinarium magistrum equitum dixit. Lex vetusta est, priscis literis verbisque scripta, ut, qui prætor maximus sit [2], idibus septembribus clavum

13. *Ut appareret, quam ab sano initio res in hanc... insaniam venerit,* vide ad I, 5, n. 1, et III, 20, n. 6.

Cap. III. 1. *Procurandis religionibus... religione animos levavit,* vid. V, 23, n. 7. — *Id vero,* profecto, utique; v. XLV, 19, n. 1. — *Aversis diis,* v. XXIV, 26, n. 6. — *Adversus jam diis* Lov. 2, et Hav. *adversis jam diis* Voss. ambo, Leid. sec. Lov. 1, 3, 4, 5; Harl. sec. et Portug. Ita lib. IX, c. 1, *rerum humanarum maximum momentum sit, quam propitiis rem, quam adversis agant diis.* Deos tam adversos, quam aversos, recte dici, monuit Burmann. ad Ovid. Epist. VII Heroid. v. 4. Hic igitur ubi optimi codd. receptam lectionem tuentur, eam etiam præferendam esse, nullus dubito. Ed. — *Tiberis inundationes* quamvis frequenter memorentur ante Augusti imperatoris tempora (vide Ind.), tamen non prius eas vel mole aggeribusque, vel laxatione et repurgatione alvei coercitas legimus, ob superstitionem forte hominum, qui illas, ut omnia mala, ab deorum repetebant ira, et inter prodigia referebant. Cf. h. l. XXX, 38, et XXXV, 9. Augustus magistratum instituit, qui huic malo provideret; vide ad Tacit. Annal. I, 76, n. 1. — *Pestilentiam quondam;* hæc non eo sensu intelligenda videntur, ut clavus jam antea, pestilentiæ sedandæ causa, a dictatore fixus fuisse dicatur; sed pestilentia quodam anno esse sedata, quum clavus annorum index, non ab ordinario magistratu, sed a dictatore fixus esset. Unde argumentabantur clavum ab dictatore fixum levando morbo salubrem fuisse. Vide infr. VIII, 18, aliud exemplum, aliamque causam dictatoris clavi figendi causa creati. Ed.

2. *Qui prætor maximus sit,* vide ad

pangat. Fixa fuit dextro lateri ædis Jovis optimi maximi, ex qua parte Minervæ templum est. Eum clavum, quia raræ per ea tempora literæ erant[3], notam numeri annorum fuisse ferunt; eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus Minervæ inventum sit. Volsiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ[4], etruscæ deæ, comparere, diligens talium monimentorum auctor Cincius affirmat. M. Horatius consul ex lege templum Jovis optimi maximi dedicavit anno post reges exactos: a consulibus postea ad dictatores, quia majus imperium erat, solenne clavi figendi translatum est. Intermisso deinde more[5], digna etiam

VI, 42, n. 7. — *Fixa fuit,* scil. lex. *Fixus* al. scil. clavus, quem certe in eodem pariete sub ea lege fuisse depactum, Gronov. colligebat e verbis seqq. *eoque Minervæ templo dicatam legem,* nisi leg. *dicatum lege,* hoc est, fixum, suspensum; (*eoque,* ideoque; vide ad I, 11, n. 6. An leg. *inque?*) Cæterum Jupiter, Juno et Minerva in eodem templo Capitol. colebantur; v. ad III, 17, n. 3. Hinc *Minervæ templum* h. l. est sacellum, seu sacrarium, quod sub ejusdem tecto *ædis Jovis* erat.

3. *Quia raræ per ea tempora literæ erant,* conf. ad VI, 1, n. 2. — *Notam numeri annorum fuisse,* conf. Festus v. *Clavus annalis, Mémoires de l'Académie des Inscript.* t. VIII, pag. 299; Perizon. anim. hist. cap. 5, pag. 181; Intpp. Petron. Sat. c. 135; Dempster. Etrur. reg. I, 15, p. 63.

4. *Volsiniis quoque clavos fixos in templo Nortiæ,* forte *Nursiæ.* De oppido illo et hac dea vide ad Juvenal. X, 74, *Idem populus si Nortia Tusco Favisset, si oppressa foret secura senectus Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora Augustum.* Nortia, vel potius, ut libri meliores, Nurscia Volsiniensium peculiaris dea. Tertullian. in Apolog. cap. 24, *Asculanorum Ancaria dea, Volsiniensium Nurscia, Ocriculanorum Valentia, Sutriniorum Nortia.* Ed. — L. *Cincius* Alimentus, s. Alimentius, qui præter alia historiam belli punici II rerumque, quibus ipse cum Fabio Pictore interfuerat (captum se ab Hannibale dicit, XXI, 38), græce scripsit, et prætor post Cannensem cladem Siciliam obtinuit, nisi prætor hic historici filius fuit. Conf. XXVI, 23, 28; XXVII, 7, 29; Dionys. I, 6 et 7, pag. 415. — Quæ sequuntur, aut non sana, aut mutila videntur. *M. Horatius consul eam legem templo Jovis optimi maximi dedicavit,* aut *ea lege templum,* etc. (ita ut inter dedicationis conditiones fuerit, ut quotannis ejusmodi clavus figeretur) conj. Gron. et *ex,* vel *ea lege* supra memorata *templo J. o. m.* dedicavit, scilic. clavum annalem, Doujat. Lacunam vero ita explet Stroth. *M. Horatius consul ex lege primum fixit clavum, is qui templum Jovis,* etc. Conf. II, 8.

5. *Intermisso deinde more,* hoc

per se visa res, propter quam dictator crearetur; qua de causa creatus L. Manlius, perinde ac reipublicæ gerendæ[6], ac non solvendæ religione, gratia creatus esset, bellum hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit; tandemque omnibus in eum tribunis plebis coortis, seu vi, seu verecundia victus, dictatura abiit.

IV. Neque eo minus principio insequentis anni, Q. Servilio Ahala, L. Genucio consulibus, dies Manlio dicitur a M. Pomponio tribuno plebis. Acerbitas in delectu, non damno modo civium[1], sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis, invisa erat: et ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenque Imperiosi grave liberæ civitati, ab ostentatione sævitiæ ascitum; quam non magis in alienis, quam in proximis, ac sanguine ipse suo exerceret; criminique ei tribunus inter cætera dabat[2], *quod filium juvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congressu æqualium prohibitum, in opus servile, prope in carcerem atque in ergastulum, dederit: ubi summo loco natus dictatorius juvenis quotidiana miseria disceret,*

anno *digna etiam per se visa res*, sc. sedatio pestilentiæ.

6. *Reipublicæ gerendæ* (vide ad II, 64, n. 3), *ac* (quod forte del.) *non solvendæ religione gratia*, vide ad V, 23, n. 7.

Cap. IV. 1. *Non damno modo civium* (vide ad IV, 53, n. 2). — *Lata*, perlata, tolerata, *acerbitas*. — *Qui ad nomina non respondissent*, vide ad I, 11, n. 3. — *Cognomen Imperiosi*, etc. vide ad IV, 29, n. 3. — Livius hic a se ipso dissentit; nunc enim agnoscit, L. Manlium Imperiosi cognomen habuisse. At supra II, 29, id filio ejus T. Manlio inditum dixit. Livium ita conciliare conatur Rupertus noster ad Flor. lib. I, cap. 14, cognomen illud jam cœpisse in patre, confirmatum fuisse in filio. Simile quid de *Stolone* Liciniorum cognomine vidimus supra ad lib. VI, cap. 29. Ed.

2. *Criminique ei dabat* vide ad I, 5, n. 6. — *Nullius probri compertum*, insimulatum et convictum, ut XXII, 57, n. 2; XXXII, 1, al. — *Luce*, in publico, seu in conspectu aliorum versandi potestate, Doering. Confer

vere imperioso patre se natum esse. At quam ob noxam? quia infacundior sit et lingua impromptus. Quod naturæ damnum utrum nutriendum patri[3], *si quidquam in eo humani esset, an castigandum ac vexatione insigne faciendum fuisse? ne mutas quidem bestias minus alere ac fovere, si quid ex progenie sua parum prosperum sit. At, hercule, L. Manlium malum malo augere filii, et tarditatem ingenii insuper premere; et, si quid in eo exiguum naturalis vigoris sit, id exstinguere vita agresti et rustico cultu, inter pecudes habendo.*

V. Omnium potius his criminationibus, quam ipsius juvenis, irritatus est animus: quin contra, se quoque parenti causam invidiæ atque criminum[1] esse, ægre passus, ut omnes dii hominesque scirent, se parenti opem latam, quam inimicis ejus, malle, capit consilium, rudis quidem atque agrestis animi, et quanquam non civilis exempli[2], tamen pietate laudabile. Inscientibus cunctis, cultro succinctus, mane in Urbem, atque a porta domum confestim ad M. Pomponium tribunum pergit: janitori, *opus esse sibi domino ejus convento extemplo*, ait; *nunciaret, T. Manlium L. filium esse:* mox introductus, etenim percitum ira in

Cicer. de Senectute, c. 4, et pro Rosc. Am. 15.

3. *Quod naturæ damnum*, vitium naturale, *utrum nutriendum patri*, mollibus remediis et paterna indulgentia medicandum, vide ad IV, 52, n. 2. — *Mutas bestias*, epith. ornans augensque vim oppositionis; Schæf. — *Tarditatem ingenii insuper premere*, conf. ad III, 13, n. 1.

Cap. V. 1. *Causam invidiæ atque criminum*, vide ad III, 19, n. 7. Cf. eadem historia apud Cicer. Offic. III, 31, et Valer. Maxim. V, 5, n. 3. — *Ut omnes dii hominesque* (vide ad III, 17, n. 6) *scirent, se parenti opem latam*, se eum juvare, eique favere, *quam inimicis ejus, malle.* Ut fortior sit oppositio et insignior pietas filii, Stroth. emend. *quam sibi ab inimicis ejus malle*, coll. III, 8 extr. *ne quam opem ab inimico*, etc.

2. *Quanquam non civilis exempli*, quale consilium in libera civitate adversus civem adhibere deceat. Stroth. *Civile* dicitur, quod legibus libertatique consentaneum est, ut XXVII, 6; vel, ut XLV, 32 dicitur, *quod legum et li-*

patrem spes erat aut criminis aliquid novi, aut consilii ad rem agendam, deferre, salute accepta redditaque, *esse* ait, *quæ cum eo agere arbitris remotis velit*: procul inde omnibus abire jussis, cultrum stringit, et, super lectum stans ferro intento[3], nisi, in quæ ipse concepisset verba, juraret, *se patris ejus accusandi causa concilium plebis nunquam habiturum*, se eum extemplo transfixurum minatur. Pavidus tribunus, quippe qui ferrum ante oculos micare; se solum, inermem; illum prævalidum juvenem, et, quod haud minus timendum erat, stolide ferocem viribus suis cerneret, adjurat, in quæ adactus est verba; et præ se deinde tulit, ea vi subactum se incepto destitisse. Nec perinde, ut maluisset plebes, sibi suffragii ferendi de tam crudeli et superbo reo potestatem fieri, ita ægre habuit, filium id pro parente ausum; eoque id laudabilius erat quod animum ejus tanta acerbitas patria nihil a pietate avertisset. Itaque non patri modo remissa causæ dictio est, sed ipsi etiam adolescenti ea res honori fuit; et quum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri[4], nam

bertatis æquæ patiens est : et *civilis*, qui æquo jure omnes secum esse patitur, nec sibi plus arrogat aliosque contemnit. Sic et *non civiliter uti opibus* XXXIII, 46, n. 2; h. e. potestate sua non modeste uti, ut decet in cives ac pares.

3. *Ferro intento*, vide ad Tac. Ann. I, 28, n. 8, et Gierig. ad Plin. Ep. III, 9, n. 21. — *Nisi in verba, quæ ipse concepisset, juraret*, ut mox *adjurat in quæ adactus est verba*. Conf. ad II, 32, n. 1. — Mox junge : *Nec plebes ita ægre habuit* (seu tulit, indignata est), *filium id pro parente ausum, perinde ut maluisset*, etc., vel *Nec perinde plebes ita ægre habuit*, etc. Superfluum est vel *perinde*, vel *ita*. — *Acerbitas patria*, vide ad VIII, 7, n. 2.

4. *Tribunos militum ad legiones* (quod additur, ut distinguantur a tribunis mil. cons. pot.), h. e. legionarios (ut fere *milites ad naves* pro classiariis militibus XXII, 19, n. 3; *servi ad remum* pro remigibus XXXIV, 6; *famuli ad limina* apud Silium, I, 65. Conf. infr. ad XXXIV, 6, n. 7), *suffragio*, suffragiis populi in comitiis, *fieri* : qui inde *comitiati* dicebantur, ut, quos consules faciebant, *Rufuli* et *Rutuli*, a *Rutilio Rufo*, qui legem de ea re tulit, si Festo fides habenda. « *Ruffuli*, ait, *sive Rufuli ap-*

et antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant, secundum in sex locis tenuit, nullis domi militiæque ad conciliandam gratiam meritis, ut qui rure et procul cœtu hominum juventam egisset.

VI. Eodem anno, seu motu terræ, seu qua vi alia, forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur; neque eam voraginem conjectu terræ, quum pro se quisque gereret[1], expleri potuisse prius, quam deum monitu quæri cœptum, quo plurimum populus romanus posset[2]? Id enim illi

pellabantur, tribuni militum a consule facti, non a populo: de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerit, Rufuli, ac post Rutuli, sive potius Rutili, *appellati sunt.* » *Alii sunt comitiati,* inquit Ascon. in Divin. cap. 10, *qui Romæ comitiis designantur.* Ed. — Cuivis legioni primum tres, deinde, ea aucta, quatuor, et tandem sex tribuni milit. præerant; adeoque quatuor legionibus, quot tum plerumque a consulibus scribebantur, XXIV præficiebantur. Hoc anno primum tribuni, et quidem sex, a populo in quatuor legiones creati, et an. Urb. 443; *seni deni* IX, 30; i. e. sexdecim ex XXIV tribunis in IV legionibus, adeoque duæ tertiæ partes pro quarta. Tandem a senatu decretum, ut *in octo legiones parem numerum tribunorum consules et populus crearent* XLIV, 21. Conf. Ind. et Lips. de Mil. rom. II, 9. Forte leg. *nam ante, sicut et nunc, quos,* etc. — *Secundum in sex locis,* vide ad IV, 16, n. 5. — Si legiones quatuor, ut moris erat, hoc anno scriptæ sunt, quatuor et viginti tribunis militum opus erat. Sed per hæc tempora dictatores et consules, per quam paucis suffragio populi relictis locis, reliqua sui beneficii faciebant; v. Liv. IX, 30. Ed.

Cap. VI. 1. *Voraginem conjectu terræ, quum pro se quisque gereret,* congereret (quod jam in *conjectu* latere monet Stroth.), scil. terram, nisi leg. *quam.* Quæ mox narrantur fabulosa sunt, et insigne superstitionis documentum, ut et ea, quæ cap. 2 et 3 leguntur. Fuit quidem Romæ lacus *Curtius,* sed ita dictus a *Metto Curtio,* de quo vide I, 13; Plutarch. Rom. pag. 28; et Dionys. II, 42; Varr. Ling. lat. IV, 32 tradit, lacum Curtium esse fulguratum et ex senatusconsulto septum a *Curtio* consule; de quo v. IV, 1. Cf. Plin. XV, 18; Zonar. VII, 25; Oros. III, 5; Augustin. de civit. dei, V, 18; Ovid. Fast. VI, 403; Suid. voc. Λίβερνος, Fest. voc. *Curtius lacus,* Barth. ad Stat. Silv. I, 1, 66; Scalig. ad Varr. l. l. inpr. Pigh. Ann. ad ann. 391, et Bagnolo della gente Curzia. « Fabulosa quidem hæc de Curtio, qui in voraginem, tetro halitu Urbem infestantem, se immisisse fertur, narratio: ex ea tamen intelligitur, in media urbe mephitim seu putorem sulfureum a terra prorumpentem vicina loca pestilenti afflatu infecisse, donec alia soli mutatio venam occultam spiramenti occluderet seu elideret »; Heyn. Opusc. academ. t. III, p. 118. Cf. Steger de prodig. p. 68 sq.

2. *Quo plurimum populus romanus*

loco dicandum, vates canebant, si rempublicam romanam perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium, juvenem bello egregium, castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis romanum bonum, quam arma virtusque, esset. Silentio facto, templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, et manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad deos Manes porrigentem, se devovisse : equo deinde, quam poterat, maxime exornato insidentem, armatum se in specum immisisse, donaque ac fruges super eum a multitudine virorum ac mulierum congestas; lacumque Curtium, non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metto, sed ab hoc appellatum. Cura non deesset [3], si qua ad verum via inquirentem ferret : nunc fama rerum standum est, ubi certam derogat vetustas fidem, et lacus nomen ab hac recentiore insignitius fabula est. Post tanti prodigii procurationem, eodem anno de Hernicis consultus senatus, quum feciales ad res repetendas nequidquam misisset, primo quoque die ferendum ad populum de bello indicendo Hernicis censuit; populusque id bellum frequens jussit. L. Genucio consuli ea provincia sorte evenit [4]. In exspectatione civitas erat, quod primus ille de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset; perinde ut eveniret res, ita communicatos honores pro bene aut secus consulto habitura. Forte ita tulit casus, ut Genucius, ad hostes magno conatu profectus, in insidias præcipitaret [5]; legionibus nec opinato pavore

posset, vide ad V, 33, n. 3. — *Se devovisse*, vide ad V, 41, n. 4.

3. *Cura non deesset*, mihi non defutura esset inquirendæ veritatis, *si aliqua via* ad eam ducere posset. — *Nunc fama rerum standum est*, vide ad I, 4, n. 9; et III, 36, n. 11. — *Ubi certam derogat vetustas fidem*, vide ad cap. 25, n. 6.

4. *L. Genucio consuli ea provincia sorte evenit*, cf. II, 40, n. 9, et III, 2, n. 1. — *Pro bene aut secus consulto*, pro bono aut malo consilio et instituto.

fusis, consul circumventus ab insciis, quem interfecissent, occideretur. Quod ubi est Romam nuntiatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti Patres, quantum feroces infelici consulis plebeii ductu, fremunt omnibus locis : *Irent, crearent consules ex plebe, transferrent auspicia, quo nefas esset. Potuisse Patres plebiscito pelli honoribus suis : num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse*[6] *? Vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia : quæ ut primum contacta sint ab eo, a quo nec jus nec fas fuerit ; deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde, turbato gentium jure, comitia haberentur.* His vocibus curia et forum personat. Ap. Claudium, quia dissuaserat legem, majore nunc auctoritate eventum reprehensi ab se consilii incusantem, dictatorem consensu patriciorum Servilius consul dicit, delectusque et justitium indictum.

VII. Priusquam dictator legionesque novæ in Hernicos venirent, ductu C. Sulpicii legati res per occasionem[1] gesta egregie est. In Hernicos, morte consulis contemptim ad castra romana cum haud dubia expugnandi spe succedentes, hortante legato, et plenis iræ atque indignitatis militum animis, eruptio est facta. Multum ab spe adeundi valli res Hernicis abfuit ; adeo turbatis inde ordinibus abscessere. Dictatoris deinde adventu novus veteri exercitus jungitur, et copiæ duplicantur : et pro concione dictator laudibus legati

5. *In insidias præcipitaret,* vide ad II, 3, n. 2. — *Ab insciis, quem interfecissent, occideretur,* vide ad VI, 3, n. 3.

6. *Num etiam in deos inauspicatam legem valuisse,* legem sine auspiciis vel contra ea latam et perlatam, adeoque infaustam, *in,* contra, *deos valuisse,* in eos vim habuisse, efficacem fuisse. — *Auspicia ut primum contacta sint ab eo,* vide ad VI, 28, n. 2. Mox dictatoris tantum, nec simul magistri eq. mentio fit, ut II, 30.

Cap. VII. 1. *Per occasionem,* vide ad I, 11, n. 1. — *Contemptim,* vide ad II, 56, n. 13.

militumque, quorum virtute castra defensa erant, simul audientibus laudes meritas, tollit animos; simul cæteros ad æmulandas virtutes acuit. Neque segnius ad hostes bellum apparatur [2], qui, et parti ante decoris memores, neque ignari auctarum virium hostis, suas quoque vires augent. Omne hernicum nomen, omnis militaris ætas excitur; quadringenariæ octo cohortes, lecta robora virorum, scribuntur. Hunc eximium florem juventutis eo etiam, quod ut duplex acciperent stipendium, decreverant, spei animorumque implevere. Immunes quoque operum militarium erant, ut, in unum pugnæ laborem reservati, plus sibi, quam pro virili parte [3], annitendum scirent. Extra ordinem etiam in acie locati, quo conspectior virtus esset. Duum millium planities castra romana ab Hernicis dirimebat : ibi pari ferme utrimque spatio in medio pugnatum est. Primo stetit ambigua spe pugna; nequidquam sæpe conatis equitibus romanis impetu turbare hostium aciem. Postquam equestris pugna effectu [4], quam conatibus, vanior erat; consulto prius dictatore equites, permissu deinde ejus, relictis equis, clamore ingenti provolant ante signa, et novam integrant pugnam. Neque sustineri poterant, ni extraor-

2. *Ad hostes bellum apparatur,* vide ad II, 10, n. 10. — *Apud hostes :* sic edit. Mediol. an. 1505, quam sequuntur Ascens. 1513 et 1516. Paris. 1529. Lovel. 2. Sigon. male. Vulgatum enim Livio proprium est, et *ad* pro *apud* passim apud ipsum occurrit. Ita supra lib. II, cap. 10, *Rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei.* Lib. III, c. 10, *Jactata per aliquot dies tum in senatu res, tum ad populum est ;* ubi plerique codd. ex glossa interpretis *apud populum.* Lib. X, cap. 29, *furiarum et formidinis plena omnia ad hostes esse;* iterumque cap. 35, *minus cladis, cæterum non plus animorum ad hostes erat,* etc. Ed. — *Omne hernicum nomen,* vide I, 10, n. 2. — *Quadringenariæ cohortes,* quarum quæque CCCC militibus constabat.

3. *Quam pro virili parte,* vide ad Præf. Liv. n. 3.

4. *Postquam equestris pugna effectu, quam conatibus vanior erat,* parum ex voto cedebat, non quod equites minus tentassent et conati fuissent omnia, sed quod eorum conatus carebant effectu et successu; Doer.—*Neque*

dinariæ cohortes pari corporum animorumque robore se objecissent.

VIII. Tunc inter primores duorum populorum res geritur : quidquid hinc aut illinc communis Mars belli aufert, multiplex, quam pro numero, damnum est[1] : vulgus aliud armatorum, velut delegata primoribus pugna, eventum suum in virtute aliena ponit : multi utrimque cadunt, plures vulnera accipiunt. Tandem equites alius alium increpantes, *quid deinde restaret,* quærendo, *si neque ex equis pepulissent hostem, neque pedites quidquam momenti facerent*[2] *? quam tertiam exspectarent pugnam? quid ante signa feroces prosiluissent, et alieno pugnarent loco?* His inter se vocibus concitati, clamore renovato, inferunt pedem : et primum gradu moverunt hostem, deinde pepulerunt; postremo jam haud dubie avertunt : neque, tam vires pares quæ superaverit res, facile dictu est, nisi quod perpetua fortuna utriusque populi et extollere animos et minuere potuit. Usque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur : castrorum oppugnatione, quia serum erat diei[3], abstinuere. Diu non perlitatum te-

sustineri (vide ad II, 44, n. 6), *poterant,* potuissent, *ni extraordinariæ cohortes*, quadringenariæ, etc. Conf. ad II, 50, n. 10.

Cap. VIII. 1. *Quidquid* hominum *hinc aut illinc communis Mars belli* (vide ad V, 12, n. 1) *aufert, multiplex, quam pro numero* (vide ad VII, 33, n. 2), *damnum est,* quia utrimque primores juventutis pugnabant cædebanturque; ut XXI, 59, *sed major Romanis, quam pro numero, jactura fuit, quia equestris ordinis aliquot... sunt interfecti. Multiplex* h. l. pro magis multiplex, multiplicius, vel potius pro *majus, plus,* ut comparativi loco positum sit, quemadmodum, quod Strothius monuit, πολλαπλήσιος pro πλείων apud Herodot. V, 45; VII, 48; VIII, 143. Cf. supra ad I, 25, n. 11, et XXII, 7, n. 7. — *Vulgus aliud,* reliquum; vide ad IV, 10, n. 1.

2. *Neque pedites quidquam momenti facerent,* vide ad I, 47, n. 7. — *Gradu moverunt hostem,* vide ad II, 10, n. 7. — *Perpetua fortuna utriusque populi,* quod Romani in omnibus bellis, ad hoc tempus gestis, vicerunt, et Hernici semper victi sunt.

3. *Serum erat diei,* jam nox appetebat. — *Diu non perlitatum,* quod diu non litatum fuerat. Confer ad I, 53, n. 1, et V, 38, n. 1. — *Tenuerat,* retinuerat, impedierat.

nuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset : eo in noctem tractum erat certamen. Postero die deserta fuga castra Hernicorum, et saucii relicti quidam inventi; agmenque fugientium [4] ab signis, quum præter mœnia eorum infrequentia conspecta signa essent, fusum ac per agros trepida fuga palatum est. Nec romanis incruenta victoria fuit : quarta pars militum amissa, et, ubi haud minus jacturæ fuit, aliquot equites romani cecidere.

IX. Insequenti anno, quum C. Sulpicius et C. Licinius Calvus consules in Hernicos exercitum duxissent, neque inventis in agro hostibus, Ferentinum urbem eorum vi cepissent, revertentibus inde eis Tiburtes portas clausere. Ea ultima fuit causa, quum multæ antea querimoniæ ultro citroque jactatæ essent, cur, per feciales rebus repetitis, bellum tiburti populo indiceretur. Dictatorem T. Quintium Pennum eo anno fuisse, satis constat, et magistrum equitum Ser. Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum causa et ab Licinio consule dictum scribit [1], quia, collega comitia bello præferre festinante, ut continuaret consulatum, obviam eundum pravæ cupiditati fuerit. Quæsita ea propriæ familiæ laus leviorem auctorem Licinium facit : quum mentionem ejus rei in vetustioribus annalibus nullam inveniam,

4. *Agmenque fugientium ab signis* (quod, sc. Hernicos a signis fugisse, seu ea reliquisse, Romanis apparebat *quum*, dum vel inde quod *signa* hostium, *mœnia*, urbem, *eorum*, Ferentinum, jam *prætergressa*, *infrequentia*, scil. armatis, ut X, 20, et XXVII, 47, vel cum raro militum comitatu *conspicerent*) *fusum*, dispersum, *ac per agros palatum est;* Stroth. Confer ad X, 11, n. 3. Sed non sic placebit hic locus; *ab Signinis* præclara est emend. Reizii, laudata in Füllebornii encyclop. philol. p. 32, edit. sec. — *Præter mœnia*, vide ad XXV, 11, n. 9. — *Ubi*, qua in re, *haud minus jacturæ fuit*, quæ jactura non minor fuit.

Cap. IX. 1. *Macer Licinius* (vide ad III, 1, n. 1, et IV, 7, n. 7) *dictum scribit*, scil. dictatorem. — *Quæsita ea propriæ familiæ laus leviorem auctorem Licinium* historicum *facit*, au-

magis, ut belli gallici causa dictatorem creatum arbitrer, inclinat animus. Eo certe anno Galli ad tertium lapidem Salaria via[2] trans pontem Anienis castra habuere. Dictator, quum tumultus gallici causa justitium edixisset[3], omnes juniores sacramento adegit, ingentique exercitu ab Urbe profectus, in citeriore ripa Anienis castra posuit. Pons in medio erat, neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. Prælia de occupando ponte crebra erant; nec, qui potirentur, incertis viribus, satis discerni poterat[4]. Tum eximia corporis magnitudine in vacuum pontem Gallus processit, et, quantum maxima voce potuit, *quem nunc*, inquit, *Roma virum fortissimum habet, procedat, agedum, ad pugnam, ut noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.*

ctoritas ejus et fides levior est, quod in suæ gentis familiæque (Liciniæ) laudem id finxisse videri potest. Cf. ad I, 16, n. 7.

2. *Eo certe anno Galli Salaria via* (vide ad I, 33, n. 12, et VIII, 15, n. 6) *castra habuere:* cf. Polyb. II, 18, n. 6; Appian. de Reb. gall. Exc. I, et Oros. III, 6, qui tamen in hoc tertio Gallorum motu atrocissimam pugnam a T. Manlio inchoatam, et a T. Quintio dictatore cruentissima congressione confectam esse tradunt. Alios itaque auctores sequutus est Livius, ut et VIII, 20; X, 10, et aliis locis, ubi bella cum Gallis gesta describuntur.

3. *Dictator quum tumultus gallici causa justitium edixisset.* Quid sit proprie tumultus, docet Cic. Philipp. VIII, 2, 3. Vide supra ad II, 2. Idem aliud agendo describit ea quæ tumultum comitari solebant, Philipp. V, 31, *Tumultum, inquit, decerni, justitium indici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in urbe et in Italia.* Et eodem modo Livius inf. cap. 28, *quum (quod per magnos tumultus solet) justitio indicto delectus sine vacationibus habitus esset.* Tumultus tamen, præter strictiorem et maxime propriam significationem, etiam laxiore sensu quamlibet perturbationem ac trepidationem denotat. Vide lib. II, cap. 26, n. 1, et lib. III, 3, n. 3. Ed.

4. *Satis discerni poterat*, decerni (*entschieden werden*), ut XXII, 61, n. 9, unde *discrimen*, de quo vide ad VI, 17, n. 1. Sed cum Gronov. potius leg. *decerni*, sc. certamen, uter ponte potiretur, ut græce κρίνεσθαι. Cf. ad V, 55, n. 1; XXI, 4, n. 4; XXVIII, 14, n. 3; Gron. ad h. l. et Obss. III, 13; Perizon. ad Sanctii Min. p. 784; Intpp. Cæs. Bell. Civ. I, 35; Sueton. Calig. 25 pr. Virg. Æn. XII, 898, quibus tamen locis nulla fere lectionis varietas est. — *Utra gens* in *bello sit melior*, vide ad II, 51, n. 3.

X. Diu inter primores juvenum Romanorum silentium fuit, quum et abnuere certamen vererentur, et præcipuam sortem periculi petere nollent : tum T. Manlius, L. filius, qui patrem a vexatione tribunitia vindicaverat, ex statione ad dictatorem pergit : « Injussu tuo, inquit, imperator, extra ordinem nunquam « pugnaverim, non si certam victoriam videam [1]. Si tu « permittis, volo ego illi belluæ ostendere, quando adeo « ferox præsultat hostium signis, me ex ea familia or- « tum, quæ Gallorum agmen ex rupe Tarpeia dejecit. » Tum dictator, « Macte virtute, inquit, ac pietate in pa- « trem patriamque, T. Manli, esto. Perge, et nomen « romanum invictum, juvantibus diis, præsta. » Armant inde juvenem æquales : pedestre scutum capit ; hispano cingitur gladio, ad propiorem habili pugnam. Armatum adornatumque adversus Gallum stolide lætum, et (quoniam id quoque memoria dignum antiquis visum est) linguam etiam ab irrisu exserentem, producunt : recipiunt inde se ad stationem [2] ; et duo

Cap. X. 1. *Non si certam victoriam videam,* vide ad V, 51, n. 1. — *Macte virtute... esto,* vide ad II, 12, n. 10. — *Hispano cingitur gladio,* de quo v. XXII, 46 ; Polyb. II, 33 ; III, 114 ; VI, 23 ; et Lips. Mil. rom. III, 3. Eum belli demum punici II temporibus adscitum a Romanis dicit auctor incertus apud Suid. in v. Μαχαίρα. Hinc gladium illi similem intelligendum, vel eum per prolepsin positum putant Intpp. Sed talis gladius jam ante illa tempora Romanis tribuitur etiam a Polyb. II, 30, 33, et Gell. IX, 13, ubi eadem historia similiter a Claudio Quadrigario narratur, ut et, *pedestre scutum* (ab equestri diversum, oblongum, non rotundum, instar clypei, de quo v. Lips. Mil. rom. III, 2) captum esse a Manlio equite, pedestrem pugnam ineunte, et Gallum irrisisse atque *linguam exsertasse,* de quo sannæ genere v. Intpp. Pers. I, 60. Ita quoque Gallum (eumdem forte Thrasonem) pictum fuisse in Mariano (forte Manliano) scuto cimbrico, idque multis adhuc sæculis post in foro romano suspensum et publicatum mansisse, intelligitur ex Cicer. de Orat. II, 66 ; Plin. XXXV, 4, seu 8 ; et Quintilian. Inst. Or. VI, 3, n. 38, ubi vide Gesner. Conf. Pighii Annal. ad ann. 392, p. 277, qui non male suspicatur, Livio Claudium, et utrique hanc picturam ante oculos fuisse. — *Ab irrisu,* ob, propter irrisum. Conf. ad I, 1, n. 5.

2. *Recipiunt inde se ad stationem,* dum ambo, teste Claudio apud Gell.

in medio armati, spectaculi magis more, quam lege belli, destituuntur, nequaquam visu ac specie æstimantibus pares. Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste pictisque et auro cælatis refulgens armis[3]: media in altero militaris statura, modicaque in armis habilibus magis quam decoris species. Non cantus, non exsultatio, armorumque agitatio vana[4], sed pectus animorum iræque tacitæ plenum, omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. Ubi constitere inter duas acies, tot circa mortalium animis spe metuque pendentibus[5], Gallus, velut moles superne imminens, projecto læva scuto, in advenientis arma hostis vanum cæsim cum ingenti sonitu ensem dejecit. Romanus, mucrone subrecto[6], quum

IX, 13, *in ipso ponte* consistunt, ubi *Gallus se constituere studet*, et *Manlius de loco hominem dejecit.* Conf. ad II, 10, n. 7. — *In medio armati destituuntur*, vide ad II, 12, n. 4. — *Æstimantibus eos pares* videbantur.

3. *Versicolori veste* (vide XXXIV, 1, n. 3) *pictisque*, auro argentoque distinctis, vel *auro cælatis armis*, anaglyphis, quibus illigata erant emblemata aut figuræ eminentes, seu exstantes. Cf. Heyn. ad Virg. Æn. VIII, 588, et *antiq. Auffätze*, Pl. II, pag. 145 sq.

4. *Non cantus, non exsultatio, armorumque agitatio vana*, vibratio, quassatio et collisus clypei cum hasta, quo et heroes terrorem incutere solent (vide ad Sil. IX, 423; et Heyn. ad Virg. Æn. VIII, 354), et Galli. Cf. VII, 26 pr. et XXXVIII, 17 pr. — *Pectus animorum iræque tacitæ plenum; animosum* vett. edd. usque ad Frobennium, qui, consentientibus scriptis, animorum Livio vindicavit; *animos* et *iram* jungit etiam Ovid. Met. I, 166, *Ingentes animos, dignas Jove concipit iras.* Ita enim legendum monuit Burm. et *animos* per iracundiam exposuit. Ed. — *Gallus sua disciplina scuto projecto cantabundus* apud Gell. IX, 13. — *Discrimen ipsum certaminis*, vide ad VI, 17, n. 1.

5. *Animis spe metuque pendentibus*, vide ad II, 32, n. 5. — *Projecto*, protento et objecto, *læva* manu *scuto* ingenti, dextra *ensem dejecit*, gladium longiorem gravioremque, quo *cæsim* pugnabatur. Cf. not. 4.

6. *Romanus, mucrone* hispani gladii *subrecto*, erecto, elevato (ut *subrecta cuspide* VIII, 8, ubi in plerisque MSS *suberecta* legitur), *ventrem atque inguina* Galli *hausit*, ut apud Gell. IX, 13, *gladio hispanico pectus hausit*, h. e. vulneravit, transfodit; proprie gladio e pectore *sanguinem hausit*, ut VII, 24; IX, 1 extr. et ἀφύειν, seu ἀφύσσειν αἷμα τινὸς, unde χαλκὸς ἔντερα διήφυσε apud Homerum, Iliad. XIII, 507; XIV, 517; et *ensis latus haurit* apud Virgil. Æn. II, 600, ubi

scuto scutum imum perculisset, totoque corpore interior periculo vulneris factus, insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu ventrem atque inguina hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem [7]. Jacentis inde corpus, ab omni alia vexatione intactum [8], uno torque spoliavit : quem respersum cruore collo circumdedit suo. Defixerat pavor cum admiratione Gallos [9]. Romani, alacres ab statione obviam militi suo progressi, gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. Inter carminum prope mo-

v. Heyn. — *Quum scuto scutum imum* Galli *perculisset, totoque corpore insinuasset se inter corpus armaque*, h. e. Gallum ipsum subiisset proximeque ad eum accessisset, ita ut se inter Galli corpus et arma, gladium scutumque, utraque manu protenta, *insinuaret*, implicaret (ut *in angustias saltus se insinuare*, eas intrare, IX, 2), et ita corpori ejus suum applicaret, ne ab eo vulneraretur, *interior periculo vulneris factus*, h. e. tutior ab eo; nam quo fuit Gallo *interior*, h. e. propinquior, eo minus ab ejus gladio longiore vulnerari poterat. Sic et infr. XXIV, 34, n. 6, naves dici *interiores ictibus tormentorum*, propinquiores, et hinc ab iis tutiores, ut nobis, *unter den Wurf des Geschützes*, vel *unter die Kanonen*, jam monuere Ernesti et Doering. Claudius apud Gell. IX, 13. *Manlius* inquit *animo magis quam arte confisus, scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit eo pacto ei sub Gallicum gladium successit : dein continuo humerum dexterum eodem concessu incidit, neque recessit usquam donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet.*

7. *In spatium ingens ruentem porrexit hostem*, spatium ingens ingenti corpore occupantem. Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ Hom. Il. Π, 776; Σ, 26. Confer ad Sil. IV, 293 et X, 164 seq. Livius etiam hæc poetice expressit. Vide Sil. Ital. VI, 153 : *Serpens centum porrectus in ulnas, Letalem ripam et lucos habitabat avernos.* Ovid. Amor. III, El. 11, 25 : *Idem per spatium Tityon porreximus ingens.* Met. II, 197 : *Porrigit in spatium signorum membra duorum.* Virgil. Æneid. VI, 597 : *per tota novem cui jugera corpus Porrigitur.* Simili fere modo : *acies in longitudinem porrecta*, infra XXV, 21. Ed.

8. *Jacentis corpus ab omni alia vexatione intactum* : hæc quoque spectant ad morem heroum et barbarorum, qui non modo hostem victum, etiam inermem, trucidare, sed etiam corpus ejus male et contumeliose tractare (αἰκίζεσθαι) vel mutilare solent. *Vexatione*, ut XXXVI, 20, n. 2; et apud Cic. Catil. I, 7. Sic et *vexari agros* et *vexator urbis* XLIV, 5, n. 44; Cic. Verr. III, 52; et Phil. III, 11. — *Uno torque spoliavit ;* Quadrigarius (apud Gell. IX, 13) : « torquem detraxit, eamque sanguinolentam sibi in collum imponit. » Ed.

9. *Defixerat pavor cum admiratione Gallos*, vide ad III, 47, n. 9. Mox, quod jam alii monuere, verba sic construenda : *Torquati cognomen auditum*

dum incondita quædam militariter joculantes, Torquati cognomen auditum; celebratum deinde posteris etiam, familiæque honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit.

XI. Et, Hercule, tanti ea ad universi belli eventum momenti dimicatio fuit, ut Gallorum exercitus proxima nocte, relictis trepide castris, in tiburtem agrum, atque inde, societate belli facta, commeatuque benigne ab Tiburtibus adjutus, mox in Campaniam transierit. Ea fuit causa, cur proximo anno C. Pœtelius Balbus consul, quum collegæ ejus M. Fabio Ambusto Hernici provincia evenisset[1], adversus Tiburtes jussu populi exercitum duceret. Ad quorum auxilium quum Galli ex Campania redissent, fœdæ populationes in lavicano tusculanoque et albano agro, haud dubie Tiburtibus ducibus, sunt factæ. Et, quum adversus tiburtem hostem duce consule contenta respublica esset, gallicus tumultus dictatorem creari coegit: creatus Q. Servilius Ahala T. Quintium magistrum equitum dixit, et ex auctoritate Patrum, si prospere id bellum evenisset, ludos magnos vovit. Dictator, ad continendos proprio bello Tiburtes consulari exercitu jusso manere, omnes juniores, nullo detrectante militiam, sacramento adegit. Pugnatum haud procul porta Collina est totius viribus Urbis, in conspectu parentum conjugumque ac liberorum: quæ magna, etiam absentibus, hortamenta animi, tum subjecta oculis, simul verecundia misericordiaque militem accendebant. Magna utrimque edita cæde, avertitur tandem acies Gallorum. Fuga

inter joculantes militariter incondita quædam prope carminum modum, proxime versuum modulos. Confer supra ad cap. 2, n. 3, 4, et 6.

CAP. XI. 1. *Fabio Hernici provincia evenisset*, vide ad II, 40, n. 9. — *Gallicus tumultus*, vide ad II, 26, n. 1; et supra cap. 9, not. 3 extr.

Tibur, sicut arcem belli gallici, petunt[2]: palati a consule Pœtelio haud procul Tibure excepti, egressis ad opem ferendam Tiburtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Egregie quum ab dictatore, tum ab consule res gesta est. Et consul alter Fabius præliis primum parvis, postremo una insigni pugna, quum hostes totis adorti copiis essent, Hernicos devincit. Dictator, consulibus in senatu et apud populum magnifice collaudatis, et suarum[3] quoque rerum illis remisso honore, dictatura se abdicavit. Pœtelius de Gallis Tiburtibusque geminum triumphum egit. Fabio satis visum, ut ovans Urbem iniret. Irridere Pœtelii triumphum Tiburtes; *Ubi enim eum secum acie conflixisse? Spectatores paucos fugæ trepidationisque Gallorum, extra portas egressos, postquam in se quoque fieri impetum viderint, et sine discrimine obvios cædi, recepisse se intra urbem. Eam rem triumpho dignam visam Romanis? Ne nimis mirum magnumque censerent, tumultum exciere[4] in hostium portis, majorem ipsos trepidationem ante mœnia sua visuros.*

XII. Itaque insequenti anno, M. Popillio[1] Lænate, Cn. Manlio consulibus, primo silentio noctis ab Tibure agmine infesto profecti, ad urbem Romam ve-

2. *Fuga Tibur, sicut arcem belli Gallici, petunt*, vide ad IV, 31, n. 8. — Melius videtur id quod edidit Campanus et habet quoque unus e codd. Hearnii: *Sicut arcem belli, Galli petunt.* Ed.

3. *Suarum rerum illis remisso honore*, vide ad VI, 36, n. 2.

4. *Tumultum exciere*, movere; *excire*, scripti sex: *exciere* quod nostri, et optimi quidem defendunt, retinuimus; est infinitivum. Ed.

Cap. XII. 1. *M. Popillio Lænate;* hic P. Lænas sibi cognomen in hoc magistratu peperit, ut discimus ex Cicer. in Bruto, n. 56: « Licet aliquid etiam, inquit ille, de M. Popillii ingenio suspicari, qui, quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum Læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra Patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat Lœna amictus, ita venit in concionem, seditionemque, cum auctoritate, tum oratione sedavit. » Et sane infra, hoc ipso cap. Livius seditionis orientis mentionem facit. Læna erat vestis crassior, instar duplicis

nerunt. Terrorem repente ex somno excitatis subita res et nocturnus pavor præbuit : ad hoc multorum inscitia, qui, aut unde, hostes advenissent. Conclamatum tamen celeriter ad arma est; et portæ stationibus murique præsidiis firmati : et ubi prima lux mediocrem multitudinem ante mœnia, neque alium, quam tiburtem hostem ostendit, duabus portis egressi consules utrimque aciem subeuntium jam muros aggrediuntur : apparuitque, occasione magis, quam virtute, fretos venisse; adeo vix primum impetum Romanorum sustinuere. Quin etiam bono fuisse Romanis adventum eorum constabat, orientemque jam seditionem inter Patres et plebem metu tam propinqui belli compressam. Alius adventus hostium fuit proximo bello, agris, quam Urbi, terribilior. Populabundi Tarquinienses fines romanos, maxime qua ex parte Etruriam adjacent, peragravere; rebusque nequidquam repetitis, novi consules C. Fabius et C. Plautius jussu populi bellum indixere; Fabioque ea provincia, Plautio Hernici evenere. Gallici quoque belli fama increbrescebat. Sed inter multos terrores solatio fuit pax Latinis petentibus data, et magna vis militum ab iis ex fœdere vetusto, quod multis intermiserant annis,

togæ. Ed. — *Occasione fretos*, vide ad I, 11, n. 1. — *Bono fuisse*, utile. Confer Ern. ad Suet. Tit. 7. — *Etruriam adjacent fines*, forma sane durior et insolentior, qua certe non nisi poetæ et sequioris ævi scriptores usi sunt; Ern. Multa apud Livium poetica; Schæf. — Livius XXVI, c. 42 : *Hispaniæ ora, quæ nostro adjacet mari;* II, 49 : *Tota regione, qua tuscus ager romano adjacet.* Tamen etiam quarto casu uti potuit, ut alii, quorum loca habet Oudendorpius ad Frontin. III, 9, § 5; et Mela I, 7 : *ad Syrtim adjacent.* Deinde *Etruriam adjacent* servant quidem integerrimi codices, atque ita sæpe Avienum in descript. orb. locutum esse docuit Heinsius ad Valer. Flacc. V, 536. Quum tamen Avienus et poeta, et aliquot seculis Livio junior sit, et omnia illa, quæ laudantur ex melioris latinitatis scriptoribus, ob codd. dissensum dubia sint, minima mutatione refingi malim *Etruriæ adjacent.* Ed. — *Fama increbrescebat*, ut *increbruit* VIII, 8; *crebresco, percrebresco*, etc., recte scribi docent Wolf. et Oudend. ad Suet. Cæs. 79, al.

accepta[2]; quo præsidio quum fulta res romana esset, levius fuit, quod Gallos mox Præneste venisse, atque inde circa Pedum consedisse, auditum est. Dictatorem dici C. Sulpicium placuit; consul ad id[3] accitus C. Plautius dixit; magister equitum dictatori additus M. Valerius. Hi robora militum, ex duobus consularibus exercitibus electa, adversus Gallos duxerunt. Lentius id aliquanto bellum, quam parti utrique placebat, fuit; quum primo Galli tantum avidi certaminis fuissent, deinde romanus miles, ruendo in arma ac dimicationem, aliquantum gallicam ferociam vinceret: dictatori neutiquam placebat, quando nulla cogeret res, fortunæ se committere adversus hostem, quem tempus deteriorem[4] in dies et locus alienus faceret, sine præparato commeatu, sine firmo munimento morantem; ad hoc iis animis corporibusque, quorum omnis in impetu vis esset, parva eadem languesceret mora. His consiliis dictator bellum trahebat, gravemque edixerat pœnam, si quis injussu in hostem pugnasset. Milites, ægre id patientes, primo in stationibus vigiliisque inter se dictatorem sermonibus carpere; interdum Patres communiter increpare, quod non jussissent per consules geri bellum. *Electum esse eximium imperatorem, unicum ducem*[5], *qui nihil agenti sibi de cælo devolaturam in sinum victoriam censeat.* Eadem deinde hæc interdiu propalam ac ferociora his

2. *Magna vis militum ab iis ex fœdere vetusto accepta*, confer ad II, 33, n. 5. Mox describitur quartus Gallorum motus, a C. Sulpicio repressus, cap. 15. Confer Appian. de reb. Gall. Exc. 1.

3. *Consul ad id*, hujus rei causa, *accitus C. Plautius dixit* eum dictatorem.

4. *Quem tempus deteriorem faceret*, infirmiorem. — *Quorum omnis in impetu* primo *vis esset*, et *eadem* vis *languesceret parva mora*, v. V, 44, n. 4.

5. *Unicum ducem* (vide ad I, 21, n. 3), *qui nihil agenti sibi de cælo devolaturam in sinum victoriam censeat*, confer XXII, 29 pr. et ad Juvenal. II, 39, n. 40. Sarcasmi vim facile senties. *Victoria* autem alata fingebatur; vide ad Sil. XIV, 675; et XV, 99, 737.

jactare; *se injussu imperatoris aut dimicaturos, aut agmine Romam ituros.* Immiscerique militibus centuriones: nec in circulis modo[6] fremere, sed jam in principiis ac prætorio in unum sermones confundi, atque in concionis magnitudinem crescere turba, et vociferari ex omnibus locis, *ut extemplo ad dictatorem iretur: verba pro exercitu faceret Sex. Tullius, ut virtute ejus dignum esset.*

XIII. Septimum primum pilum jam Tullius ducebat[1]; neque erat in exercitu, qui quidem pedestria stipendia fecisset, vir factis nobilior; is, præcedens militum agmen, ad tribunal pergit; mirantique Sulpicio non turbam magis, quam turbæ principem Tullium, imperiis obedientissimum militem, «Scilicet, di-« ctator, inquit, condemnatum se universus exercitus a « te ignaviæ ratus, et prope ignominiæ causa destitutum « sine armis, oravit me, ut suam causam apud te age-« rem. Equidem, sicubi loco cessum, si terga data hosti, « si signa fœde amissa objici nobis possent, tamen hoc « a te impetrari æquum censerem, ut nos virtute cul-« pam nostram corrigere, et abolere flagitii memoriam « nova gloria patereris. Etiam ad Alliam fusæ legiones « eamdem, quam per pavorem amiserant, patriam, pro-

6. *Nec in circulis modo*, cœtibus hominum consistentium confabulantiumque (vide ad XXXIV, 37, n. 1), *sed jam in principiis*, in celeberrimo, frequentissimo, sanctissimoque loco, et media latissimaque via castrorum (*via principali* X, 33 pr.), inter portas principales dextram et sinistram, ab ea sic dictas, ubi jus dicebatur a tribunis (vide XXVIII, 24), conciones habebantur, supplicia sumebantur, jurabatur, legionum defigebantur signa, pecunia a militibus deposita servabatur (conf. ad Tac. Ann. I, 67, n. 1, et XV, 16, n. 2), et magna semper versabatur militum multitudo, *ac prætorio*, tentorio ducis in castris. Conf. ad III, 5, n. 3; VI, 42, n. 7; et inpr. XXVIII, 25, n. 3.

Cap. XIII. 1. *Septimum primum pilum ducebat*, septimum erat primi pili centurio. Conf. ad II, 23, n. 4, et II, 27, n. 7. — *Pedestria stipendia fecisset*, vide ad V, 7, n. 3. — *Destitutum*, vide ad II, 12, n. 4. — Alludit ad pœnæ militare genus, quo ii, qui loco cesserant, ignominiæ causa discincti atque etiam aliquando tunicati, distri-

« fectæ postea ab Veiis, virtute recuperavere; nobis, « deum benignitate, felicitate tua populique romani, « et res et gloria est integra. Quanquam de gloria vix « dicere ausim, si nos et hostes, haud secus quam feminas, abditos intra vallum omnibus contumeliis eludunt[2]; et tu, imperator noster, quod ægrius patimur, « exercitum tuum sine animis, sine armis, sine manibus judicas esse; et prius, quam expertus nos esses, « de nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium « ducem judicares esse. Quid enim aliud esse causæ « credemus, cur veteranus dux, fortissimus bello, compressis, quod aiunt, manibus sedeas? utcumque enim « se habet res, te de nostra virtute dubitasse videri, « quam nos de tua, verius est. Sin autem non tuum « istuc, sed publicum est consilium, et consensus aliquis Patrum, non gallicum bellum, nos ab urbe, a « penatibus nostris ablegatos tenet: quæso, ut ea, quæ « dicam, non a militibus imperatori dicta censeas, sed « a plebe Patribus; quæ, sicut vos vestra habeatis consilia, sic se sua habituram dicat. Quis tandem succenseat, milites nos esse, non servos vestros? ad bellum, non in exsilium, missos? si quis det signum, in « aciem educat, ut viris ac Romanis dignum sit, pugnaturos? si nihil armis opus sit, otium Romæ potius, « quam in castris, acturos? hæc dicta sint Patribus. Te, « imperator, milites tui oramus, ut nobis pugnandi copiam facias: quum vincere cupimus, tum te duce « vincere; tibi lauream insignem deferre; tecum triumphantes Urbem inire, tuum sequentes currum Jovis « optimi maximi templum gratantes ovantesque adire. »

ctis gladiis, stare aliquandiu jubebantur. Vide infra XXVII, 13; Suet. Aug. cap. 24. Ed.

2. *Si nos et hostes... eludunt*, nob illudunt. Cf. ad I, 36, n. 4; *si*, ut II, 28, n. 3; sed vulgaris quoque vis h. l. apta. — *Mancorum*, ut paulo ante *sine manibus*.

Orationem Tullii exceperunt preces multitudinis : et undique, ut signum daret, ut capere arma juberet, clamabant.

XIV. Dictator, quanquam rem bonam exemplo haud probabili actam cernebat, tamen facturum, quod milites vellent, se, recepit[1]; Tulliumque secreto, quænam hæc res sit, aut quo acta more, percunctatur. Tullius magnopere a dictatore petere, *ne se oblitum disciplinæ militaris, ne sui, neve imperatoriæ majestatis, crederet : multitudini concitatæ, quæ ferme auctoribus similis esset, non subtraxisse se ducem; ne quis alius, quales mota creare multitudo soleret, exsisteret : nam se quidem nihil non arbitrio imperatoris acturum : illi quoque tamen videndum magnopere esse, ut exercitum in potestate haberet. Differri non posse adeo concitatos animos*[2]; *ipsos sibi locum ac tempus pugnandi sumpturos, si ab imperatore non detur.* Dum hæc loquuntur, jumenta forte pascentia extra vallum Gallo abigenti duo milites romani ademerunt. In eos saxa conjecta a Gallis : deinde ab romana statione clamor ortus, ac procursum utrinque est. Jamque haud procul justo prælio res erant, ni celeriter diremptum certamen per centuriones esset. Affirmata certe eo casu Tullii apud dictatorem fides est; nec recipiente jam dilationem re, in posterum diem edicitur, acie pugnaturos. Dictator tamen, ut qui magis animis, quam viribus, fretus ad certamen descenderet, omnia circumspicere atque agitare cœpit, ut arte aliqua terrorem hostibus incuteret. Solerti animo rem novam[3] excogitat, qua deinde multi nostri

Cap. XIV. 1. *Tamen facturum se, recepit* ad, seu in se, h. e. affirmavit, promisit. Cf. ad XXXIII, 13, n. 9; XXXIX, 47, n. 3; et XL, 35, n. 4.

2. *Differri non posse animos*, conf. ad Tac. Ann. XIII, 20, n. 7.

3. *Solerti animo rem novam excogitat...usi sunt*, cf. X, 4, et Front.

atque externi imperatores, nostra quoque quidam ætate, usi sunt. Mulis strata detrahi jubet[4]; binisque tantum centunculis relictis, agasones, partim captivis, partim ægrorum armis ornatos[5], imponit. His fere mille effectis centum admiscet equites; et nocte super castra in montes evadere, ac silvis se occultare jubet; neque inde ante moveri, quam ab se acciperent signum. Ipse, ubi illuxit, in radicibus montium extendere aciem cœpit sedulo, ut adversus montes consisteret hostis. Instructo vani terroris apparatu, qui quidem terror plus pæne veris viribus profuit; primo credere duces Gallorum, non descensuros in æquum Romanos : deinde, ubi degressos repente viderunt, et ipsi avidi certaminis in prælium ruunt : priusque pugna cœpit, quam signum ab ducibus daretur.

XV. Acrius invasere Galli dextrum cornu : neque

Strat. II, 4, 5 seq. de Sulpicio et aliis. — Inter cæteros nominat Frontinus Marium, qui contra Teutonas dimicaturus, jumentorum magnam partem instruxit, eaque agasones lixasque conscendere jussit, ut per id facies equitatus objiceretur. Ed. — Aliam Sulpicii artem memorat Appian. de Reb. gall. Exc. I.

4. *Mulis strata detrahi jubet,* h. e. clitellas (ut X, 40, *detractis clitellis, Packsattel*), quibus substernebantur *centunculi* (*Satteldecken*), ne clitellæ terendo tergum mulorum vulnerarent, Stroth. Conf. Scheffer. de Re vehic. II, 2, p. 9 et 23; ex quo Drakenb. hæc notavit : « *Strata* mulis detracta non sunt sellæ (muli enim erant agasonum, qui non parati erant ad equitandum, sed ad ducenda jumenta sarcinaria), verum sagmæ, seu clitellæ; unde jumenta *clitellaria,* vel *sagmaria* et barbaro ævo *summaria* vocantur. Ne vero sagmæ, vel clitellæ asperitate sua jumenta læderent, subdebantur pulvilli, farcti palea rebusve aliis, aut centunculi, i. e. panni viliores crassioresque. Ideo autem dictator *mulis strata detrahi* jubet, quia longe ultra dorsum animalis eminebant. Quare si sedissent in clitellis, dolus facile fuisset deprehensus, quum sic visi essent altiores, quam solerent vulgo equites. Stratis autem detractis, relicti sunt bini centunculi, qui, ut equitum strata, ex panno simplicique corio facta, equorum tergo presse inhærebant, ut tanto commodius agasones iis insiderent, et jumenta minus premerentur. » Strategema eo spectat, ut fallax multorum equitum species et improvisa præbeatur. Conf. cap. 15, n. 3. — *Sedulo;* data opera : sic XXII, 25 : *et in ducendo bello sedulo tempus terere.* Vide et XXIII, 23, et XXXII, 11. Ed.

5. *Agasones... armis ornatos,* vide ad IX, 40, n. 12.

sustineri potuissent, ni forte eo loco dictator fuisset, Sex. Tullium nomine increpans rogitansque : *Siccine pugnaturos milites spopondisset? ubi illi clamores sint arma poscentium? ubi minæ, injussu imperatoris prælium inituros? En ipsum imperatorem clara voce vocare ad prælium, et ire armatum ante prima signa. Ecquis sequeretur eorum, qui modo ducturi fuerint; in castris feroces, in acie pavidi?* Vera audiebant; itaque tantos pudor stimulos admovit, ut ruerent in hostium tela, alienatis a memoria periculi animis. Hic primo impetus prope vecors turbavit hostes : eques deinde emissus turbatos avertit. Ipse dictator, postquam labantem una parte vidit aciem [1], signa in lævum cornu confert, quo turbam hostium congregari cernebat; et iis, qui in monte erant, signum quod convenerat dedit. Ubi inde quoque novus clamor ortus, et tendere obliquo monte ad castra [2] Gallorum visi sunt; tum metu, ne excluderentur, omissa pugna est, cursuque effuso ad castra ferebantur; ubi quum occurrisset eis M. Valerius, magister equitum (qui, profligato dextro cornu, obequitabat hostium munimentis), ad montes silvasque vertunt fugam; plurimi-

Cap. XV. 1. *Labantem una parte aciem* Gallorum.

2. *Tendere obliquo monte ad castra*, vide ad II, 39, n. 3; et IV, 19, n. 1. —*Profligato dextro cornu*, immo sinistro hostium, quod a dextro Romanorum erat profligatum. Lapsus est Livius, romanam aciem ob oculos versantem habens, Stroth. Forte legend. *lævo;* vel potius in initio cap. *dextro cornu* cum Drak. cujus nota est : « Ita Livius narrabit, Gallos *dextro cornu*, nempe suo, acrius invasisse Romanos, donec, adhortatione dictatoris restituta pugna, Romani illud primo turbarint, deinde averterint. Dum autem hoc dextrum cornu magister equitum persequitur, dictator signa confert in *lævum cornu*, nempe Gallorum. Hac etiam parte fusi hostes incidunt in magistrum equitum, qui *profligato dextro cornu* Gallorum munimentis obequitabat. Fortasse tamen Livius sui oblitus erravit, ut passim et ille et optimi scriptores. » Conf. ad XXII, 48, n. 4; XXVII, 14; XXVII, 48; XXXIII, 9, n. 3; XXXVII, 24, n. 3. — *Oblique e monte* conj. Doujat. sed sine causa; ita *per transversam aciem* pro *transverse p. a.* dicit Florus. Ed.

que ibi a fallaci equitum specie agasonibusque[3] excepti sunt : et eorum, quos pavor pertulerat in silvas, atrox cædes post sedatum prælium fuit. Nec alius post M. Furium, quam C. Sulpicius, justiorem de Gallis egit triumphum; auri quoque ex gallicis spoliis satis magnum pondus, saxo quadrato septum [4], in Capitolio sacravit. Eodem anno et a consulibus vario eventu bellatum; nam Hernici a C. Plautio devicti subactique sunt. Fabius collega ejus incaute atque inconsulte adversus Tarquinienses pugnavit : nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos septem milites romanos captos Tarquinienses immolarunt[5]; qua fœditate supplicii aliquanto ignominia populi romani insignitior fuit. Accessit ad eam cladem et vastatio romani agri, quam Privernates, Veliterni deinde, incursione repentina fecerunt. Eodem anno duæ tribus, Pomptina et Publilia, additæ[6]. Ludi votivi[7], quos M. Furius dictator voverat, facti : et de ambitu ab C. Pœtelio tribuno plebis, auctoribus Patribus, tum primum ad populum latum est : eaque rogatione novorum maxime hominum ambitionem[8], qui nundinas et conciliabula obire soliti erant, compressam credebant.

XVI. Haud æque læta Patribus insequenti anno, C. Marcio, Cn. Manlio consulibus, de unciario fenere a M. Duilio, L. Mænio, tribunis plebis rogatio est per-

3. *A fallaci equitum specie agasonibusque*, vide ad II, 42, n. 7.

4. *Saxo quadrato septum*, eo obstructum (*eingemauert*) in ipso pariete, ut videtur; Stroth.

5. *CCCVII milites romanos captos Tarquinienses immolarunt*, confer Schweigh. ad Appian. B. C. I, 117.

6. *Eodem anno duæ tribus, Pomptina et Publilia, additæ;* v. ad I, 43, n. 22 : tum XXVII tribus factæ. Ed.

7. *Ludi votivi* extraordinarii, qui ex voto imperatoris cujusdam fiunt, Stroth. *quos M. Furius dictator voverat*, vide supra V, 19.

8. *Novorum maxime hominum* (v. ad I, 34, n. 8) *ambitionem, qui nundinas et conciliabula* (vide ad XXV, 5, n. 3) *obire soliti erant*, loca celebriora adire et frequentare, ut scilic. civium suffragia eblandirentur, aut largitione devincirent.

lata[1]: et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque. Ad bella nova, priore anno destinata, Falisci

Cap. XVI. 1. *De unciario fenere a M. Duillio, L. Mænio pl. tribunis rogatio est perlata*, cf. Tac. Ann. VI, 16, n. 17; ubi hæc lex silentio prætermissa, quoniam ea modo repetitum et severius sancitum videtur, quod jam XII Tabularum lege cautum fuerat, et neque illa neque hæc XII tabularum lex per avaritiam feneratorum servata est; quod vel ex Liv. VI, 14, n. 6, patet. *Unciarium fenus* est, quum pro centenis assibus singulis mensibus (nam menstruum, non annuum fenus apud Romanos in usu erat) usuræ loco uncia, duodecima assis pars, adeoque unus assis pro centenis (nos dicimus 1 *pro Cent*) in annum datur. Ei mox substitutum *fenus semunciarium* (vide infra cap. 27), vel dimidia unciarii pars: nam, ut utar Livii verbis infra cap. 19, *etsi unciario fenere facto levata usura erat*, tamen illud quoque ipsum gravabat inopes, quippe qui *sorte ipsa*, vel sola sine ullo, etiam minimo, augmento, *obruebantur nexumque inibant* (vide ad II, 23, n. 1). Hinc etiam paulo post (vide infra cap. 42 pr.) a L. Genucio tribuno pl. rogata est lex, *ne fenerare* (h. e. pecuniam sub fenere locare) omnino *liceret*, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις. Confer verba Tac. loco laudato (*postremo vetita versura*, hoc est, fenus, vel mutuum, quod sub fenere sumitur) et inpr. Appian. bell. civ. I, 54, ex quo loco probabile fit, jam lege Genucia pœnam quadrupli (de qua vide Ascon. ad Cic. Divin. in Cæcil. c. 7), statutam fuisse. Quæ leges ut in Urbe observarentur, curabant in primis Ædiles, et in his maxime Curules, qui gravem sæpe mulctam irrogabant feneratoribus; v. VII, 28; X, 23; XXXV, 41. Sed irritas faciebant leges necessitas mutuantium fraudesque tam magistratuum, qui, ut plurimum locupletes, favebant locupletibus, quam *feneratorum*, hoc est, hominum divitum cujuscumque ordinis, qui pecuniam (quæ et ipsa *fenus* dicitur) sub usuris dabant, seu ponebant. (*Capitalisten, Renteniers.*) Confer ad VI, 35, n. 2; et VIII, 28. Nemo enim facile erat, qui nummos sub tam parvis usuris vel adeo gratis mutuos daret, et feneratores, vel negotiatores et publicani, iniquum plerumque et grande fenus, usuras usurarum (anatocismum), centesimas (sc. partes sortis, quum singuli asses pro centenis in mensem, adeoque duodeni in annum solvuntur), quin binas, ternas et quaternas adeo centesimas, exigebant; nec deerant, qui id solverent, vel in provinciis, quæ gravibus tributis oneribusque premebantur, et pecuniæ inopia laborabant (confer Tac. Ann. III, 40; Dio LXII, 2; et Cic. ad Att. VI, passim), vel in Urbe, ubi primis reip. sæculis pauperes, ob perpetua potissimum bella, ære alieno obruebantur, et postea in dies crescebant avaritia et luxus. Quum deinde (vide infra XXXV, 7) *multis fenebribus legibus constricta avaritia esset, via fraudis inita est, ut in socios* (provinciales), *qui non tenerentur iis legibus, nomina*, debitum (vide ad VII, 21, n. 4), *transcriberent* (quasi *socii civibus rom. credidissent pecunias*) *et ita libero fenere* (ab arbitrio feneratorum pendente nec legibus definito atque obnoxio) *obruerent debitores.* (De coercendis his fraudibus in cedendis nominibus vid. Cujat. Obss. X, 3.) *Centesimæ* factæ etiam legitimæ usuræ et usitatæ; nec tamen ante ann. Urbis

quoque hostes exorti, duplici crimine; quod et cum Tarquiniensibus juventus eorum militaverat, et eos, qui Falerios perfugerant, quum male pugnatum est, repetentibus fetialibus romanis non reddiderant. Ea provincia Cn. Manlio obvenit. Marcius exercitum in agrum privernatem, integrum pace longinqua, induxit; militemque præda implevit. Ad copiam rerum addidit munificentiam, quod, nihil in publicum secernendo[2], augenti rem privatam militi favit. Privernates quum ante mœnia sua castris permunitis consedissent; vocatis ad concionem militibus, *castra nunc*, inquit, *vobis hostium urbemque prædæ do, si mihi pollicemini, vos fortiter in acie operam navaturos, nec prædæ magis, quam pugnæ, paratos esse.* Signum poscunt ingenti clamore : celsique et spe haud dubia feroces in prælium vadunt. Ibi ante signa Sex. Tullius, de quo ante dictum est, exclamat : *Adspice, imperator, quemadmodum exercitus tuus tibi promissa præstet:* piloque posito, stricto gladio in hostem impetum facit. Sequuntur Tullium antesignani omnes, primoque impetu avertere hostem : fusum inde ad oppidum persequuti, quum jam scalas, mœnibus ad-

703 quo senatusconsultum factum, ut *centesimæ perpetuo fenere ducerentur,* hoc est, penderentur sine anatocismo (vide Cic. ad Att. V, 21). Hæc et alia docte ac copiose docuit Gron. de pec. vet. et probavit inpr. adversus Salmasium, qui omnia turbavit, ut et Stroth. ad h. l. — *Fenere* scripsi pro *fœnore;* vide ad Juvenal. XI, 40. — *Et plebs aliquanto eam cupidius scivit accepitque,* scilicet quam rogationem de ambitu et nundinis conciliabulisque non obeundis (cap. 15 extr.) quia scilicet ex hac nihil commodi pars maxima capiebant, illa vero sublevabantur, revocata XII tabularum in modo feneris clementia, quam mos lege potentior conculcaverat, immodicis usuris tenuiores vexans. Ita Gron. loco laudato p. 599.

2. *Nihil in publicum secernendo,* vide ad II, 9, n. 4. — *Celsique,* capite sublato, erecto, unde spiritus, fiducia et audacia appareret; Ern. Est habitus hominis, sibi admodum confidentis, ut apud Cic. Or. I, 40; Orat. cap. 18; et Tusc. V, 14. Confer ad Sil. II, 454; XVII, 125, 520. Mox τὸ *inquit* forte del., quia præcessit *exclamat.*

moverent, in deditionem urbem acceperunt[3]. Triumphus de Privernatibus actus. Ab altero consule nihil memorabile gestum; nisi quod legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim[4] de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt. Ceterum tribuni plebis, non tam lege, quam exemplo, moti, ne quis postea populum[5] sevocaret, capite sanxerunt; nihil enim non per milites, juratos in consulis verba, quamvis perniciosum populo, si id

3. *In deditionem urbem acceperunt*, vide ad VIII, 20, n. 7.

4. *Legem novo exemplo* Cn. Manlius cos. *ad Sutrium in castris tributim*, militibus in tribus suas vel centurias divisis (vide ad III, 51, n. 3), ut in comitiis, *de vicesima eorum qui manumitterentur* vel *manumissionum tulit*, hoc est, ut vicesima pars pretii, quo vendi posset servus, qui optimo jure a cive manu mittitur, vel quo emptus esset (nam neutrum dilucide, quod sciam, vel scriptores Rom. docuere, vel viri docti), a servo manu misso, vel, ut quidam putant, a domino, seu patrono, penderetur ærario. Antiquissimum hoc amplissimumque vectigal, quod etiam sub imperatoribus duravit, auro solvi solebat, antiquis certe temporibus, et hinc quoque dicebatur *aurum vicesimarium, quod in sanctiore* Saturni *ærario ad ultimos casus servabatur;* vide infra XXVII, 10 extr. et Tac. Ann. XIII, 31 (ubi tamen de alio vectigali agitur); Fabrett. ad Inscript. cap. 1, p. 35; Guther. de off. dom. Aug. III, 35; Burm. de Vectig. pop. Rom. cap. 10. Manut. ad Cic. ad Att. VII, 15, et 21; Ernesti clav. Cic. vide *ærarium* et *Vicesima*, et Duker. ad h. l. ubi præter alia hæc notavit : « Quod Lipsius et Guther. scribunt, hoc esse illud *aurum vicesimarium*, quod XXVII, 10, memoratur, fortassis verum est : neque enim bello punico secundo ulla alia, quod quidem proditum sciam, vicesima instituta erat. Mihi tamen in ea re hic restat scrupulus, quod Livius *aurum vicesimarium in sanctiore ærario ad ultimos casus servatum* fuisse dicit; *vicesimam manu missorum* autem, quo tempore primum inducta est, præsentis necessitatis et usus fuisse, his verbis significat, *haud parvum vectigal inopi ærario additum*. Nam si vicesima manu missorum in ærario condita fuisset, præsens inopia ærarii non magis sublevari potuisset pecunia, quæ ita in sanctiore ærario reponebatur, ut non nisi ultimis casibus moveri posset, quam si ea nulla fuisset. An ergo dicendum est, deinde demum cautum fuisse, ut hoc aurum in sanctiore ærario ad ultimos casus reipublicæ servaretur? »

5. *Ne quis postea populum sevocaret* extra Urbem, et alicubi convocaret, legum ferendarum causa. — *Capite sanxerunt*, h. e. capitis pœna proposita, vel constituta, vide ad III, 11, n. 4. — *Juratos in consulis verba*, vid. ad II, 32, n. 1; III, 20; XXII, 38; Polyb. VI, 22; XI, 30.

liceret, ferri posse. Eodem anno C. Licinius Stolo a M. Popillio Lænate sua lege decem millibus æris est damnatus[6], quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoque filium fraudem legi fecisset.

XVII. Novi consules inde, M. Fabius Ambustus secundum et M. Popillius Lænas secundum, duo bella habuere. Facile alterum cum Tiburtibus, quod Lænas gessit; qui, hoste in urbem compulso, agros vastavit. Falisci Tarquiniensesque alterum consulem prima pugna[1] fuderunt; inde terror maximus fuit, quod sacer-

6. *Eodem anno C. Licinius Stolo a M. Popillio Lænate sua lege* (vid. VI, 35) *decem millibus æris est damnatus*, hoc est, Popillio accusante, a populo damnatus est. Est verbum prægnans, quod notionem alterius verbi inclusam habet, ut cap. 17 extr. *duo patricii consules creabantur*, hoc est, creandi rogabantur; nam a secundo interrege rogati, et, comitiis dilatis, ab octavo demum creati sunt; Stroth. Similia passim obvia, inpr. *damnare* et *condemnare* de accusatore, qui accusatione sua efficit, ut aliquis damnetur. Confer ad XXXV, 10, n. 5; et ad Juvenal. III, 116; et ad Tac. Ann. II, 85, n. 3; Drak. ad h. l. Ita et *creare magistratum* dicitur, qui comitia habet et nomina candidatorum recipit (vide ad IX, 46, n. 5), vel rogatione sua efficit, ut hic vel ille in comitiis, quæ habet, creetur a populo, v. c. *tribuni collegas sibi crearunt* II, 33; *consul creavit consules* XXV, 41; XXVIII, 10; XXXII, 27; XXXVIII, 35; XXXIX, 6; XLII, 9. *Collegam dixit* VII, 24; et XXXVII, 47 extr. (vide ad VII, 24, not. 6.) *Senatusconsultum fecit* consul et prætor, hoc est, perfecit, ut in suam sententiam et secundum relationem suam fieret V, 50, n. 1; et XLII, 9, n. 4. *Leges abrogat bellum* et *pax* XXXIV, 6, n. 3; pro: efficit, ut abrogentur; *pecunia mulctavit matronas* X, 31, n. 9, pro: accusatione effecit, ut a judicibus mulctarentur. Confer ad V, 39, n. 3; et XXXIV, 6, n. 10. — *Emancipare* parentes dicuntur liberos, quos e patria emittunt potestate, ut aut sui sint juris, aut ab alio adoptentur; vide Ernesti clav. Cic. — E manu emittendo per imaginariam venditionem ter repetitam. Lege enim Romuli cautum erat, ac deinde in XII tab. ab Decemviris relatum, ut, si pater filium ter, filiam et cæteros liberos, i. e. nepotes neptesve e filio, semel vendidisset, manumissi postea ab emptore, sui juris fierent, ille trina manumissione, hi unica. Ad cujus emancipationis imaginem postea institutum, ut, his simulato et dicis causa peractis venditionibus et manumissionibus, liberi e potestate patris exirent. Hoc autem Stolonis commentum non abhorrebat a jurisprudentum placitis, ut observat Doujatius; sed ideo nulla illius emancipationis habita ratio est, quia eam in fraudem legis factam apparebat. Ed.

Cap. XVII. 1. *Prima pugna*, initio pugnæ. Ed. — *Sacerdotes eorum, facibus ardentibus anguibusque prælatis, incessu furiali militem rom. insueta*

dotes eorum, facibus ardentibus anguibusque prælatis, incessu furiali militem romanum insueta turbaverunt specie: et tunc quidem velut lymphati [2] et attoniti munimentis suis trepido agmine inciderunt; deinde, ubi consul legatique ac tribuni puerorum ritu vana miracula paventes irridebant increpabantque, vertit animos repente pudor, et in ea ipsa, quæ fugerant, velut cæci ruebant. Discusso itaque vano apparatu hostium, quum in ipsos armatos se intulissent, averterunt totam aciem: castrisque etiam eo die potiti, præda ingenti parta, victores reverterunt, militaribus jocis quum apparatum hostium, tum suum increpantes pavorem. Concitatur deinde omne nomen Etruscum [3], et, Tarquiniensibus Faliscisque ducibus, ad Salinas perveniunt. Adversus eum terrorem dictator C. Mar-

turbaverunt specie. Bacchicum habitum, qualis in vasis Etruscis occurrit, facile adnoscas; Heyn. Opusc. Acad. tom. V, pag. 440. Confer simile strategema, supra IV, 33 pr. et inpr. Boettiger *in der Furienmaske*, p. 55, ubi ingeniose suspicatur, sacerdotes illos in solemni pompa (ut in δᾳδουχίαις sacrisque Cybeles, Bacchi et Cereris) cum facibus sacrisque infulis, seu velamentis, supplicum insigni, obviam processisse Romanorum exercitui, et primum ei horrorem incussisse et reverentiam, sed mox inermes trucidatos, et huic crudelitati speciem postea juris impositam inductamque esse veluti nubem, mutatis vittis sacris in serpentes (*discoloribus serpentum in modum vittis* dixit Flor. loco laudato) tædis sacrificalibus in faces Furiarum, et sacra pompa in incessum furialem. De his Furiarum gestaminibus et habitu vide ad Sil. II, 536 seq. 546 sq. 610, et Boettigeri libellum laudatum. Confer ad Tac. Ann. XIV, 30, n. 2. — De hoc Strateg. sic Frontin. IV, cap. 4, ex. 18 et 19: *Falisci et Tarquinienses, compluribus suorum in habitu sacerdotum subornatis, faces et angues furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt. Idem Veientes et Fidenates facibus arreptis fecerunt.* De his autem sic scribit Florus I, cap. 12, § 7: *Fidenæ, quia impares erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, et discoloribus serpentum in modum vittis furiali more processerunt.* Idem fere Livius IV, 33. Ed.

2. *Et tunc quidem* Romani *velut lymphati*, consternati vel insani (vide ad Sil. I, 459), *munimentis suis*, castris munitis, *inciderunt.*

3. *Omne nomen Etruscum* (vide ad I, 10, n. 2). Sic Diodorus lib. XVI, pag. 529: Τυῤῥηνοὶ δὲ διαπολεμοῦντες Ῥωμαίοις, ἐπόρθησαν πολλὴν τῆς πολεμίας χώρας, καὶ μέχρι τοῦ Τιβέρεως καταδραμόντες, ἐπανῆλθον εἰς τὴν οἰκίαν. Ed. *Ad Salinas perveniunt*, vide

cius Rutilus primus de plebe dictus, magistrum equitum item de plebe C. Plautium dixit. Id vero Patribus indignum videri, etiam dictaturam jam in promiscuo esse; omnique ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur parareturve; eo promptius cuncta, ferente dictatore, populus jussit. Profectus ab Urbe, utraque parte Tiberis, ratibus exercitu, quocumque fama hostium ducebat, trajecto, multos populatores agrorum vagos palantes oppressit. Castra quoque, nec opinato aggressus, cepit: et, octo millibus hostium captis, cæteris aut cæsis, aut ex agro romano fugatis, sine auctoritate Patrum, populi jussu, triumphavit. Quia nec per dictatorem plebeium, nec per consulem [4], comitia consularia haberi volebant, et alter consul Fabius bello retinebatur, res ad interregnum redit. Interreges deinceps Q. Servilius Ahala, M. Fabius, Cn. Manlius, C. Fabius, C. Sulpicius, L. Æmilius, Q. Servilius, M. Fabius Ambustus. In secundo interregno orta contentio est, quod duo patricii consules creabantur: intercedentibusque tribunis, interrex Fabius aiebat, *in duodecim tabulis legem esse, ut, quodcumque postremum populus jussisset, id jus ratumque esset; jussum populi et suffragia esse.* Quum intercedendo tribuni [5] nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuissent; duo patricii consules creati sunt, C. Sulpicius Peticus tertium, M. Valerius Publicola: eodemque die magistratum inierunt.

XVIII. Quadringentesimo anno, quam urbs romana

ad I, 41, n. 1; et V, 45, n. 3. — *Eo promptius cuncta, ferente dictatore* ea ad populum, etc.

4. *Nec per consulem* plebeium. Andreas edidit, *nec per Popillium consulem;* et sic unus e nostris codd. Ed. — *Interreges deinceps* (vide ad I, 21, n. 8), scilicet fuere, etc. — *Quod duo patricii consules creabantur*, vide ad cap. 16, n. 5. Horum nomina iterum memorantur cap. 18 pr. ubi forte librariis debentur.

5. *Quum intercedendo tribuni*, etc. vide ad IX, 42, n. 2.

condita erat; quinto tricesimo, quam a Gallis recuperata; ablato post undecimum annum a plebe consulatu; patricii consules ambo ex interregno magistratum iniere, C. Sulpicius Peticus tertium, M. Valerius Publicola. Empulum eo anno ex Tiburtibus haud memorando certamine captum; sive duorum consulum auspicio bellum ibi gestum est, ut scripsere quidam; seu per idem tempus Tarquiniensium quoque sunt vastati agri ab Sulpicio consule, quo Valerius adversus Tiburtes legiones duxit. Domi majus certamen consulibus cum plebe ac tribunis erat. Fidei jam suæ, non solum virtutis, ducebant esse [1], ut accepissent duo patricii consulatum, ita ambobus patriciis mandare: quin aut toto cedendum esse, si plebeius jam magistratus consulatus fiat, aut totum possidendum, quam possessionem integram a patribus accepissent. Plebes contra fremit: *Quid se vivere, quid in parte civium censeri, si, quod duorum hominum virtute, L. Sextii ac C. Licinii, partum sit, id obtinere universi non possint* [2]*? Vel reges, vel decemviros, vel, si quod tristius sit imperii nomen, patiendum esse potius, quam ambos patricios consules videant, nec in vicem pareatur atque imperetur; sed pars altera, in æterno impe-*

Cap. XVIII. 1. *Fidei jam suæ, non solum virtutis, ducebant esse*, putabant, ad fidem ordini suo probandam, neque ad solam gloriam suam spectare, seu valere: ut XXIV, 22, n. 10, *cætera omnia, quæ suæ fidei tutelæque essent.* Confer ad III, 24, n. 1; III, 62, n. 5; et XXII, 39, n. 1. Consulatus iis a Patribus cum fide datus erat, hoc est, propter opinionem de fide eorum et spem certam, ipsos operam daturos esse, ut aliquando impertirent et redderent quasi eumdem honorem iisdem, a quibus eum accepissent. Qua cura omissa fidem, exspectationem opinionemque patriciorum fallebant, vel, ut I, 9, dicitur, eos *decipiebant per fidem.* Similiter *in fidem alicujus venire*, ut mox de Tiburtibus ad ditionem coactis, c. 19 pr. *fidei ejus se permittere, committere, tradere,* etc. dicitur, qui se ei dedit (vel arbitrio, potestati et imperio, vel patrocinio ejus se suaque permittit) cum fide et spe clementiæ; vide omnino ad XXXVI, 28, n. 1.

2. *Id obtinere universi non possint*, vide ad III, 36, n. 12.

rio locata, plebem nusquam alio natam, quam ad serviendum, putet. Non desunt tribuni auctores turbarum; sed inter concitatos per se omnes vix duces eminent. Aliquoties frustra in campum [3] descensum quum esset, multique per seditiones acti comitiales dies; postremo victæ perseverantia consulum plebis eo dolor erupit, ut tribunos, *actum esse de libertate* vociferantes, *relinquendumque non campum jam solum, sed etiam urbem captam atque oppressam regno patriciorum*, mœsta plebs sequeretur. Consules, relicti a parte populi, per infrequentiam comitia nihilo segnius perficiunt. Creati consules ambo patricii, M. Fabius Ambustus tertium, T. Quintius. In quibusdam annalibus pro T. Quintio, M. Popillium consulem invenio.

XIX. Duo bella eo anno prospere gesta; cum Tiburtibusque ad deditionem pugnatum. Sassula ex his urbs capta; ceteraque oppida eamdem fortunam habuissent, ni universa gens, positis armis, in fidem consulis venisset: triumphatum de Tiburtibus; alioquin mitis victoria fuit. In Tarquinienses acerbe sævitum, multis mortalibus in acie cæsis; ex ingenti captivorum numero trecenti quinquaginta octo delecti [1], nobilissimus quisque, qui Romam mitterentur: vulgus aliud trucidatum; nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit: medio in foro omnes virgis cæsi ac securi percussi; id pro immolatis in foro Tarquinien-

3. *In campum descensum*, vide ad II, 54, n. 13. — *Pro T. Quintio M. Popillium consulem invenio;* Diodorus lib. XVI, pag. 531, etiam T. Quintium edit consulem. Qua autem ratione factum fuerit, ut in quibusdam annalibus pro T. Quintio, M. Popillius inveniatur, explicare conatur Dodwell. de Cyclis Dissert. X, 81. Ed.

Cap. XIX. 1. *Ex ingenti captivorum numero CCCLVIII delecti*, etc. CCCLX apud Diodor. — Sic enim lib. XVI, pag. 534: Ταρκυνίους δὲ ἄνδρας τ καὶ ξ δημοσίᾳ ἐθανάτωσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ. In Diod. nunc editur: διακοσίους καὶ ἑξήκοντα. Ed. — Medio in foro omnes *virgis cæsi ac securi percussi*, vide ad I, 26, n. 6. — *Pro immolatis in foro Tarquiniensium Romanis*, vide supra cap. 15.

sium Romanis pœnæ hostibus redditum. Res bello bene gestæ, ut Samnites quoque amicitiam peterent, effecerunt. Legatis eorum comiter ab senatu responsum : fœdere in societatem accepti. Non eadem domi, quæ militiæ, fortuna erat plebi romanæ; nam etsi, unciario fenere facto [2], levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes [3], nexumque inibant; eo nec patricios ambo consules, neque comitiorum curam, publicave studia præ privatis incommodis plebs ad animum admittebat. Consulatus uterque apud patricios manet. Consules creati C. Sulpicius Peticus quartum, M. Valerius Publicola iterum. In bellum etruscum intentam civitatem, quia Cæritem populum misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus adjunctum fama ferebat, legati latini ad Volscos convertere, nuntiantes, exercitum conscriptum armatumque jam suis finibus imminere : inde populabundos in agrum romanum venturos esse. Censuit igitur senatus, neutram negligendam rem esse : utroque legiones scribi, consulesque sortiri provincias jussit. Inclinavit deinde pars major curæ in etruscum bellum; postquam literis Sulpicii consulis, cui Tarquinii provincia evenerat [4], cognitum est, depopulatum agrum circa romanas salinas, præ-

2. *Unciario fenere facto*, etc. vide ad cap. 16, n. 1.

3. *Sorte ipsa obruebantur inopes*, vide ad II, 23, n. 1; et VI, 14, n. 6. Ante *sorte* intell. *tamen*, quod post *etsi*, *quamquam*, *quidem*, etc. omittere amat Livius, vide cap. XXV, 35, n. 1; XXXVIII, 9; XLI, 18; et aliis locis, quibus plerumque illud adjiciunt edd., non MSS. Confer Drak. ad XXII, 20, n. 1; et XXXVI, 38, n. 7. Similes ellipses notavi ad I, 40, n. 1. — *Nexumque inibant* et vincti apud creditores, operas pro pecunia, quam debebant, in servitute præbebant, teste Varrone de ling. lat. VI, p. 82. Ed. — *Eo*, ideo (vide ad I, 11, n. 6), *nec patricios ambo* (vide ad III, 62, n. 4) *consules*, etc. h. e. curam consulatus, ad quem patricii adspirabant, comitiorum aliarumque rerum publicarum *præ privatis incommodis*, propter ea (vide ad VI, 40, n. 1), *plebs ad animum admittebat.*

4. *Cui Tarquinii provincia evenerat*, vide ad II, 40, n. 9. — *Depopulatum agrum circa romanas salinas*, vide ad librum V, cap. 45, n. 3.

dæque partem in Cæritum fines avectam, et haud dubie juventutem ejus populi inter prædatores fuisse. Itaque Valerium consulem, Volscis oppositum, castraque ad finem tusculanum habentem, revocatum inde senatus dictatorem dicere jussit. T. Manlium, L. filium, dixit[5]: is, quum sibi magistratum equitum A. Cornelium Cossum dixisset, consulari exercitu contentus, ex auctoritate Patrum ac populi jussu Cæritibus bellum indixit.

XX. Tum primum Cærites, tanquam in verbis hostium[1] vis major ad bellum significandum, quam in suis factis, qui per populationem Romanos lacessierant, esset, verus belli terror invasit; et, quam non suarum virium ea dimicatio esset, cernebant; pœnitebatque populationis, et Tarquinienses exsecrabantur defectionis auctores: nec arma, aut bellum quisquam apparare, sed pro se quisque legatos mitti jubebat ad petendam erroris veniam. Legati senatum quum adissent, ab senatu rejecti ad populum, deos rogaverunt, quorum sacra bello gallico accepta[2] rite procurassent, ut Romanos florentes ea sui misericordia caperet, quæ se rebus affectis quondam populi romani cepisset; conversique ad delubra Vestæ, hospitium flaminum Vestaliumque ab se caste ac religiose cultum invocabant. *Eane meritos, crederet quisquam*[3], *hostes re-*

5. *T. Manlium, L. filium, dixit* (confer cap. 3, 4), qui, ut pater (supra cap. 3), dictator dictus, etsi nondum consul fuerat; nisi cap. 16 pr. *T. Manlio* legendum est: mirum vero, cur non addiderit *Torquatum*, et quæ causa coegerit dictatorem creari, quum tam eximium consulum par in magistratu esset; Glar.

Cap. XX. 1. *Tanquam in verbis hostium*, quibus bellum indixerant; quod docent adjecta verba *ad bellum significandum*, quæ tamen glossam sapere videntur; Doer.

2. *Quorum sacra bello gallico accepta*, etc. confer V, 40 et 50. — *Rebus affectis*, vide ad V, 10, n. 6.

3. *Eane meritos crederet quisquam*, num credibile et probabile esset, eos, vel se, qui tam bene de populo rom. meriti essent, nunc ejus *hostes repente sine causa factos* esse? *Ea*, talia (vide

pente sine causa factos? aut, si quid hostiliter fecissent, consilio id magis, quam furore lapsos, fecisse, ut sua vetera beneficia, locata præsertim apud tam gratos, novis corrumperent maleficiis? florentemque populum romanum ac felicissimum bello sibi desumerent hostem, cujus afflicti amicitiam cepissent? Ne appellarent consilium, quæ vis ac necessitas appellanda esset. Transeuntes agmine infesto per agrum suum Tarquinienses, quum præter viam nihil petissent, traxisse quosdam agrestium, populationis ejus, quæ sibi crimini detur, comites; eos, seu dedi placeat, dedere se paratos esse; seu supplicio affici, daturos pœnas. Cære, sacrarium populi romani, deversorium[4] *sacerdotum, ac receptaculum romanorum sacrorum, intactum inviolatumque crimine belli, hospitio Vestalium cultisque diis darent.* Movit populum non tam causa præsens, quam vetus meritum, ut maleficii, quam beneficii, potius immemores essent. Itaque pax populo cæriti data, induciasque in centum annos factas in senatusconsultum referri placuit. In Faliscos, eodem noxios crimine vis belli conversa est : sed hostes nusquam inventi. Quum populatione peragrati fines essent, ab oppugnatione urbium temperatum : legionibusque Romam reductis, reliquum anni muris turribusque reficiendis consumptum; et ædes Apollinis dedicata est.

XXI. Extremo anno comitia consularia certamen Patrum ac plebis diremit, tribunis negantibus passuros comitia haberi, ni secundum liciniam[1] legem

ad II, 29, n. 6), et *mereri* ea, vel *talia* pro : talia merita habere, tanta beneficia præstare.

4. *Cære, deversorium sacerdotum* (vide I, 51, n. 1). — *Intactum... hospitio Vestalium cultisque diis darent;* salvam præstarent civitatem in gratiam præbiti Vestalibus hospitii, eam habendo innoxiam ab illati belli crimine; vide II, 35, n. 5. — *Eodem noxios crimine*, vide IV, 15, n. 1.

Cap. XXI. 1. *Secundum liciniam legem*, scil. ut consulum utique alter ex plebe crearetur; vide supra VI, 35.

haberentur; dictatore obstinato tollere potius totum e republica consulatum, quam promiscuum Patribus ac plebi facere. Prolatandis igitur comitiis [2], quum dictator magistratu abisset, res ad interregnum rediit. Infestam inde Patribus plebem interreges quum accepissent, ad undecimum interregem seditionibus certatum est. Legis liciniæ patrocinium tribuni jactabant: propior dolor plebi feneris ingravescentis erat: curæque privatæ in certaminibus publicis erumpebant. Quorum tædio Patres L. Cornelium Scipionem interregem concordiæ causa observare legem liciniam comitiis consularibus jussere. P. Valerio Publicolæ datus e plebe collega C. Marcius Rutilus. Inclinatis semel in concordiam animis, novi consules, fenebrem quoque rem, quæ distinere unanimos [3] videbatur, levare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt; quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt. Meriti æquitate curaque sunt, ut per omnium annalium monimenta celebres nominibus essent; fuere autem C. Duilius,

— *Dictatore obstinato tollere*, ut *certus mori*, et al.

2. *Prolatandis comitiis*, prolatando, differendo comitia; vide ad I, 53, n. 3. — *Propior dolor plebi feneris ingravescentis erat;* conferunt Cic. Sext. 18, *Omnibus sua propiora esse pericula, quam aliena.* — Legitur apud Cic. loc. cit. strictiore sensu: « suaque sibi propiora esse pericula, quam mea. » Ed. — *Privatæ curæ*, dolor, quem ceperant ex suis injuriis, et adhuc presserant.

3. *Distinere unanimos*, disjungere et impedire unanimitatem; Doer. Cf. ad III, 23, n. 1. — *Mensarii* vel *mensularii* propr. iidem qui *nummularii* (confer Suet. Aug. 2, 4), *trapezitæ*, *collybistæ* et *argentarii*, nummos cum compendio (accepto lucro, collybo) permutantes, vel pecuniam, a locupletioribus apud se depositam, aliis feneri dantes creditoribusve exsolventes, et argentariam (rem) facientes, seu exercentes (*Geldwechsler*, *Banquiers*), sic dicti a *mensa* argentaria (τράπεζα; unde τραπεζῖται); sed *quinqueviri*, atque *triumviri mensarii* (XXIII, 21; XXIV, 18; XXVI, 36) sunt magistratus extraordinarii, ob argenti penuriam creati, qui pecuniæ publicæ ex ærario, *mensis cum ære in foro positis*, debitoribus *dispensandæ* vel singulis suppeditandæ (*vorschiessen*) curam habebant. Eodem modo rem fenebrem levavit Tiberius.

P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, et Ti. Æmilius; qui rem, difficillimam tractatu, et plerumque parti utrique, semper certe alteri, gravem, quum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura, sustinuerunt. Tarda enim nomina et impeditiora inertia debitorum[5], quam facultatibus, aut ærarium, mensis cum ære in foro positis, dissolvit, ut populo prius caveretur, aut æstimatio æquis rerum pretiis liberavit; ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque, exhausta vis ingens æris alieni sit. Terror inde vanus belli etrusci, quum conjurasse duodecim populos fama esset, dictatorem dici coegit: dictus in castris, eo enim ad consules missum senatus consultum est, C. Julius, cui magister equitum adjectus L. Æmilius: cæterum foris tranquilla omnia fuere.

XXII. Tentatum domi[1] per dictatorem, ut ambo

Conf. Tac. Ann. VI, 17, et infra XXII, 60; XXIII, 21; Salmas. de usur. p. 510; Budæus de asse lib. V, pag. 173.

4. *Tarda nomina et impeditiora inertia debitorum*, confer Ernesti clav. Cic. v. *nomen*, ubi docet, in tabulas acceptorum et expensorum referri nomina hominum, quibus debeamus et qui nobis debeant, una cum debito ac pecunia aliis credita, et hinc *nomen* dici vel *debitorem*, vel *debitum* (ut hoc loco), vel capita in tabulis scripta, *Schuldposten*. Itaque *tarda nomina* sunt vel debitores non justo tempore solventes, vel, ut hoc loco, debita, non opportuno justoque tempore soluta, et hinc facta *impeditiora inertia debitorum*, difficilius nunc solvenda, quoniam fenore aucta sunt, et debitores solutionem sæpe et diu distulere, *quam facultatibus*, quam quod debitorum opes non sufficerent ad debitum solvendum, modo non statim exigeretur. Sic contra *nomen expeditum* est certum, et *expedire nomen suum* solvere debitum. — *Tarda nomina* hæc *dissoluta* et *liberata* vel expedita sunt partim pecunia mutua ex ærario data, si quibus argentum in præsentia deesset, ita tamen et ea conditione *ut populo* et ærario *prius caveretur*, hoc est, satisdaretur, satisdatio, seu cautio et securitas præstaretur prædibus ac prædiis (vide XXII, 60 pr. et Ern. ad Cic. Verr. I, 54), partim bonis prædiisque debitorum ex *æquis rerum pretiis æstimatis*, et possessione eorum creditoribus cessa, vel syngraphis cum his factis; unde mox cap. 22 dicitur: *solutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos*.

Cap. XXII. 1. *Tentatum*, rectus hujus orationis casus est; ejusmodi forma dicendi usus est, I, 53. Ed.

patricii consules crearentur, rem ad interregnum perduxit: duo interreges C. Sulpicius et M. Fabius interpositi obtinuere, quod dictator frustra [2] tetenderat, mitiore jam plebe ob recens meritum levati æris alieni, ut ambo patricii consules crearentur. Creati ipse C. Sulpicius Peticus, qui prior interregno abiit, et T. Quintius Pennus; quidam Kæsonem, alii Caium nomen Quintio adjiciunt [3]. Ad bellum ambo profecti, faliscum Quintius, Sulpicius tarquiniense, nusquam acie congresso hoste, cum agris magis, quam cum hominibus, urendo populandoque gesserunt bella; cujus lentæ velut tabis senio victa utriusque pertinacia populi est, ut primum a consulibus, dein permissu eorum ab senatu inducias peterent: in quadraginta annos impetraverunt. Ita, posita duorum bellorum, quæ imminebant, cura, dum aliqua ab armis quies esset, quia solutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos, censum agi placuit. Cæterum quum censoribus creandis indicta comitia essent, professus censuram se petere C. Marcius Rutilus, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam omnium turbavit. Quod videbatur quidem tempore alieno fecisse; quia ambo tum forte patricii consules erant, qui rationem ejus se habituros negabant. Sed et ipse constantia inceptum obtinuit, et tribuni, omni vi recuperando jus consularibus comitiis amissum, adjuverunt; et quum ipsius viri majestas nullius honoris fastigium non æquabat, tum per eumdem, qui ad dictaturam aperuisset viam, censuram quoque [4] in partem vocari

2. *Quod dictator frustra tetenderat*, scilicet obtinere. Sed confer ad IV, 7, n. 6. Mox verba *ut ambo patricii consules crearentur* ab interpolatore, ea repetente, profecta videntur.

3. *Caium nomen Quintio adjiciunt*, hoc est, prænomen, ut et al. cognomen. Cf. ad XXX, 18, n. 3. — *Cujus lentæ velut tabis senio*: vide ad I, 22, n. 3.

4. *Censuram quoque in partem vocari plebes volebat.* Legendum censet

plebes volebat. Nec variatum comitiis est, quin cum Manlio Cnæo censor Marcius crearetur. Dictatorem quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, sed ne licinia lex [5] comitiis consularibus observaretur. Magister equitum dictatori additus Q. Servilius : nec tamen dictatura potentiorem eum consensum Patrum consularibus comitiis fecit, quam censoriis fuerat.

XXIII. M. Popillius Lænas a plebe consul, a Patribus L. Cornelius Scipio datus. Fortuna quoque illustriorem plebeium consulem fecit; nam quum ingentem Gallorum exercitum in agro latino castra posuisse nuntiatum esset; Scipione gravi morbo implicito, gallicum bellum Popillio extra ordinem datum [1]. Is, impigre exercitu scripto, quum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire armatos juniores jussisset, signaque eodem quæstores ex ærario deferre [2], quatuor expletis legionibus, quod superfuit militum, P. Valerio Publicolæ prætori tradidit; auctor Patribus scribendi alterius exercitus, quod ad incertos belli eventus subsidium reipublicæ esset. Ipse, jam satis omnibus instructis comparatisque, ad hostem pergit; cujus ut prius nosceret vires, quam periculo ultimo

Gronovius: *Censuræ quoque in partem vocari plebes volebat.* Sed nihil mutatione opus. Vulgatam tuetur Livius IV, 35 : *ad spem consulatus in partem revocandam adspirare.* Similiter lib. VI, cap. 40, *hoccine est in commune honores vocare, ut duos plebeios fieri consules liceat,* etc. Ed. Nam res dicitur *in partem vocari* et *revocari*, quæ revocatur ad divisionem, tanquam quæ communis sit plebeiis et patriciis, quo plures ejus participes fiant; ut sup. l. l. *in commune vocare;* Drak. qui tamen non improbat conjecturam Gron. *censuræ.* Confer ad IV, 35, n. 2; et V, 21, n. 4. — *Cum Manlio Cnæo*, vide ad III, 1, n. 1.

5. *Licinia lex*, vide ad cap. 21, n. 1. — *Potentiorem*, efficaciorem : nam et in his comitiis plebs vicit.

Cap. XXIII. 1. *Gallicum bellum Popillio* (tertium consuli, quod Livius sæpe non adjicit) *extra ordinem datum*, vide ad III, 2, n. 1. Gallos terrore perculsos domum rediisse tradit Polyb. II, 19.

2. *Signa quæstores ex ærario deferre :* vide ad III, 69, n. 7.

tentaret, in tumulo, quem proximum castris Gallorum capere potuit, vallum ducere cœpit. Gens ferox et ingenii avidi ad pugnam[3], quum, procul visis Romanorum signis, ut extemplo prælium initura, explicuisset aciem; postquam neque in æquum demitti agmen vidit, et quum loci altitudine, tum vallo etiam integi Romanos, perculsos pavore rata, simul opportuniores, quod intenti tum maxime operi essent, truci clamore aggreditur. Ab Romanis nec opus intermissum, triarii erant, qui muniebant, et ab hastatis principibusque, qui pro munitoribus[4] intenti armatique steterant, prælium initum. Præter virtutem locus quoque superior adjuvit, ut pila omnia hastæque non, tamquam ex æquo missa, vana, quod plerumque fit, caderent, sed omnia librata ponderibus figerentur; oneratique telis Galli, quibus aut corpora transfixa, aut prægravata inhærentibus gerebant scuta, quum cursu pæne

3. *Gens ferox et ingenii avidi ad pugnam*, etc. Confer ad V, 44, n. 4. — *Simul opportuniores*, vide ad I, 54, n. 4. — De *triariis, hastatis* et *principibus*, vide infra VIII, 8; Polyb. VI, 19 seq. Lips. de Mil. rom. II, 1.

4. *Pro munitoribus:* vide ad V, 19, n. 9. — *Ex æquo* loco *missa*, in campo, seu planitie. — *Omnia* pila et hastæ *librata ponderibus figerentur*, hoc est, superne jacta et amenti, seu loramenti ope fortius vibrata, vel circumacta majore vi et pondere defigerentur. *Librare*, proprie a fluctuante libræ motu, sursum deorsum movere denotat, et hinc ad aves, quæ alas ita movent, transfertur. Bene Ernesti : « *librare*, inquit, est, ei, quo ferire velis, aliquo motu vim majorem addere, ut alte attollendo, torquendo, circumagendo; unde XXX, 10, n. 7, *gravior ac pondere ipso libratior*, validior, *superne ictus*, et XXXVIII, 29, *Libratior quum sedet glans*, quum circumagenda funda, vel ejus circumactu glans nisum majorem accipit et hæret tenacius in *scutali*, ut inde certius evolet : *scutale* autem *triplex* est pars media fundæ (seu corium) cui imponitur lapis mittendus, sic dicta a figura rhombi ; ut paulo ante *non simplicis habenæ funda :* nempe si triplex est scutale, etiam triplices sunt habenæ, *suturis* æque connexæ et *duratæ*, singulis scutalibus una cum habenis ab utraque parte e corio sectis : unde et XLII, 65, forte leg. *funda media, duo scutalia imparia habebant*, non *funalia*, quæ commode explicari non possunt. » Confer tamen ad XXXVIII, 29, n. 2. Eadem habet Livius de secundo bello punico X, 10, ubi Carthaginienses Romanorum oppugnant naves. Eadem Dyonisius Halicarn. X,

in adversum[5] subissent, primo incerti restitere: dein, quum ipsa cunctatio et his animos minuisset, et auxisset hosti, impulsi retro ruere alii super alios, stragemque inter se cæde ipsa fœdiorem dare; adeo præcipiti turba obtriti plures, quam ferro necati.

XXIV. Necdum certa Romanis victoria erat; alia in campum degressis supererat moles[1]; namque multitudo Gallorum, sensum omnem talis damni exsuperans, velut nova rursus exoriente acie, integrum militem adversus victorem hostem ciebat; stetitque suppresso impetu Romanus, et quia iterum fessis subeunda dimicatio erat, et quod consul, dum inter primores incautus agitat[2], lævo humero matari prope trajecto, cesserat parumper ex acie. Jamque omissa cunctando victoria erat, quum consul, vulnere alligato[3], revectus ad prima signa, «Quid stas, miles? inquit. Non cum latino sabinoque hoste res est, quem victum armis socium ex hoste facias: in belluas strinximus ferrum; « hauriendus, aut dandus est sanguis. Propulistis a castris, supina valle præcipites egistis[4], stratis corporibus hostium superstatis: complete eadem strage campos, qua montes replestis. Nolite exspectare, dum « stantes vos fugiant. Inferenda sunt signa, et vaden-

pag. 643, ubi Romani App. Herdonium in Capitolio oppugnant. Ed.

5. *Quum cursu pæne in adversum*, scilicet locum superiorem *subiissent*, ut I, 12, 28; II, 31; IX, 37; XXI, 7, 32; XXVIII, 19; XXXI, 45; XXXVIII, 51, al.—*Stragemque inter se dare*, et ruina sterni ac devolvi supra se mutuo, ut cæde ipsa fœdior strages fuerit; *confusæ stragis acervum* dixit Virg. Æn. VI, 504. Ed.

Cap. XXIV. 1. *Alia supererat moles*, vide ad I, 38, n. 4.

2. *Inter primores incautus agitat*, scilicet res (occupatus est), vel etiam se movet, hoc est, versatur; id. qd. *agere;* vide ad Tac. Ann. I, 68, n. 1. — *Mataris*, seu *materis* et *matara* lancea, vel telum gallicum: μάτερις, πάλτου τὶ εἶδος apud Strab. IV, pag. 196 (ubi vide Intpp.) et μαδάρεις πλατύτερα λογχίδια apud Hesych. Confer Drak.

3. *Vulnere alligato*, deligato, obligato, ut passim; vide Gron. et Ernesti clav. Cic. — *Hauriendus sanguis*, vide ad VII, 10, n. 5.

4. *Supina valle præcipites egistis*,

« dum in hostem. » His adhortationibus iterum coorti pellunt loco primos manipulos Gallorum; cuneis deinde in medium agmen perrumpunt. Inde barbari dissipati, quibus nec certa imperia, nec duces essent, vertunt impetum in suos; fusique per campos, et præter castra etiam sua fuga prælati[5], quod editissimum inter æquales tumulos occurrebat oculis, arcem albanam petunt. Consul, non ultra castra insequutus, quia et vulnus degravabat, et subjicere exercitum pugna fessum tumulis ab hoste occupatis nolebat, præda omni castrorum militi data, victorem exercitum opulentumque gallicis spoliis Romam reduxit. Moram triumpho vulnus consulis attulit; eademque causa dictatoris desiderium senatui fecit, ut esset, qui ægris consulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magistro equitum P. Cornelio Scipione, reddidit Patribus possessionem pristinam consulatus; ipse ob id meritum ingenti Patrum studio creatus consul, collegam Ap. Claudium Crassum dixit[6].

vide ad IV, 46, n. 4. — *Cuneis in agmen perrumpunt:* vide II, 50, n. 8. Tò *in* del. forte; nec favet III, 18; ubi *in* est *usque in*, ut IV, 39; *ad*, Duk.

5. *Præter castra sua prælati*, vide ad II, 14, n. 3. — *Subjicere exercitum tumulis ab hoste occupatis*, exponere eum hosti superiorem locum nacto, aut eo ducere, ubi hostis montibus occupatis ex inferiore loco aggressum exercitum subjectum et obnoxium telis haberet; Gron. (qui et locum hunc e MSS emendavit). Conf. cap. 35 extr. et XXXVIII, 46 pr. — Hunc locum Gronov. affirmat in vett. libris sic legi: *consul non ultra castra insequutus, quod et vulnus degravabat, et subjicere exercitum tumulis ab hoste occupatis nolebat, præda omni castrorum militi data*, etc. Atque hæc lectio sane concinnior et elegantior vulgata videtur. Nostri omnes codd. consentiunt cum Gronovianis. Ed.

6. *Collegam Ap. Claudium Crassum dixit*, ut XXXVII, 47 extr. hoc est, rogavit (vide XXII, 35), vel renuntiavit (ut mox cap. 26) in comitiis, quibus præerat. Confer Gruch. de com. Rom. I, 4; et Duker. infra ad XXXVII, 47, n. 7; ubi monet hæc: « Omnino probabile est, quod dicit Gruchius, etsi nihil de ea re proditum legitur, lege cautum fuisse, ut, si tantum unus consul crearetur, quod cæteri candidati centurias non explessent, is aliis comitiis, vel postero, vel alio die, collegam rogaret, eumque, qui populi suffragiis creatus erat, renuntiaret. Male vero Sigon. de lege cur. cap. 7, *collegam dixit* interpretatur: nomi-

XXV. Prius quam inirent novi consules magistratum, triumphus a Popillio de Gallis actus magno favore plebis: mussantesque[1] inter se rogitabant, *num quem plebeii consulis pœniteret?* Simul dictatorem increpabant, qui legis liciniæ spretæ mercedem consulatum, privata cupiditate, quam publica injuria, fœdiorem, cepisset, ut se ipse consulem dictator crearet. Annus multis variisque motibus fuit insignis. Galli ex albanis montibus, quia hyemis vim pati nequiverant, per campos maritimaque loca vagi populabantur. Mare infestum classibus Græcorum erat, oraque litoris antiatis, laurensque tractus, et Tiberis ostia; ut[2] præ-

navit sine comitiis; quemadmodum consules dicunt dictatorem (confer Plut. Marcell. pag. 312), et ex tribunis pl., si eorum numerus comitiis expleri non potuit, qui creati erant, collegas sibi poterant cooptare. Hoc enim tribunis pl., non uni consuli, lege concessum, eaque lex jam dudum abrogata fuerat; vide III, 64, 65. Dictatorem vero ex lege dicebat alter consulum, quem vellet ex iis, qui per legem dictatores esse poterant (vide II, 18); et consulem, qui unus creatus erat, sibi non potuisse ita dicere collegam, patet ex XXII, 35. *C. Terentius consul unus creatur, ut in manu ejus essent comitia rogando collegæ*, etc. Confer et XXXVII, 47. Neque favet Sigonio locus Liv. VII, 24; nam primum satis apparet, illis comitiis omnia per factionem patriciorum contra leges gesta fuisse, per quas ei, qui comitia habebat, neque nomen suum recipere, neque duos patricios consules creare licebat; vide III, 35; VI, 37 seq. VII, 25. Deinde verba *collegam Ap. Claudium dixit* etiam hanc interpretationem recipere possunt: Camillum, quum se ingenti Patrum studio consulem fieri videret, iis commendasse Claudium, et id egisse, ut is sibi comitiis, quibus factio patriciorum superior erat, collega adderetur. Confer X, 13 et 22. Nam et in universum candidati multum ab iis, qui comitia habebant, adjuvari poterant; quod ex XXII, 35, aliisque locis intelligitur.» Cf. supra ad cap. 16, n. 6.

Cap. XXV. 1. *Mussantesque:* mussare, occulte et pressa voce loqui, quod celatum quis velit. Non. V, 23; Sallust. orat. Philippi: *Vos mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus pacem optatis magis*, etc. Idem orat. Licinii: *Mussantibus vobis circumventus erat.* Livius XXVIII, 39: *Idque consilium haudquaquam primoribus Patrum placeret, cæterique per metum, aut ambitionem mussarent.* Ed. — *Legis Liciniæ* (vide ad cap. 21, n. 1), *spretæ mercedem cepisset* hanc, *ut se ipse consulem dictator crearet.* Vocem *consulatum* importunam et glossam esse, recte opinor, suspicatur Doer. — *Publica injuria*, ob injuriam plebi factam, neglecta illa lege.

2. *Ut* (ita ut, vel: quo factum ut) *prædones maritimi*, Græci, *tum ter-*

dones maritimi, cum terrestribus congressi, ancipiti semel prælio decertarint, dubiique discesserint in castra Galli, Græci retro ad naves, victos se, an victores, putarent. Inter hos longe maximus exstitit terror, concilia populorum latinorum ad lucum Ferentinæ habita : responsumque haud ambiguum imperantibus milites Romanis datum, *absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent. Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio, laturos arma.* Inter duo simul bella externa, defectione etiam sociorum senatus anxius, quum cerneret metu tenendos, quos fides non tenuisset [3], extendere omnes imperii vires consules delectu habendo jussit; civili quippe standum exercitu esse, quando socialis cœtus desereret [4]. Undique, non urbana tantum, sed etiam agresti juventute, decem legiones scriptæ dicuntur quaternum millium et ducenorum peditum equitumque trecenorum; quem nunc novum exercitum [5], si qua externa vis ingruat,

restribus prædonibus, Gallis, *congressi...dubiique,* utrum *victos se, an victores, putarent. Inter hos,* sc. motus, etc. — *Concilia populorum latinorum ad lucum Ferentinæ,* vide ad I, 50, n. 1.

3. *Metu tenendos, quos fides non tenuisset,* conf. ad II, 63, n. 3, et XXII, 22, n. 9.

4. *Quando socialis cœtus* exercitus *desereret,* cœtum, coitum, conjunctionem, congressum. M. Seneca dicit, *cœtum* esse *multitudinis magnæ nomen coeuntis ex consensu quodam.* Gronovius emend. *fœdus desereret.* — Offendit Gronovium vox *cœtus;* quæ profecto minus proprie hic usurpata videtur. Fortasse deleri posset, ut male inserta ab imperito quodam emendatore, qui non videret post nomen *socialis,* supplendum esse ex priore membro *exercitus.* Atque eam ab uno ex MSS suis abesse testatur Hearnius. Ed.

5. *Quem nunc novum exercitum,* præter eos qui jam sunt, et ex junioribus in Urbe scribendum, *si aliqua externa vis,* gens barbara, *ingruat,* repente Urbi immineat, *hæ vires* (v. ad I, 5, n. 1) *populi romani,* etc. sed vel sic hyperbolam inesse verbis, ut in commoti et indignantis verbis esse solet, fatemur; Strothius. Totidem quoque legiones jam ann. Urb. 260 scriptæ, vide II, 30. — Observanda sedulo est vox *novum,* si quis mentem Livii assequi velit. Augusto quidem imperante, ipso pacis tempore, 23, vel etiam 25 legiones, teste Dione LV, per provincias sparsæ erant. At vult Livius, si novo exercitu, in subita re, opus sit, haud facile tantum militum

hæ vires populi romani, quas vix terrarum capit orbis, contractæ in unum haud facile efficiant: adeo, in quæ laboramus sola, crevimus, divitias luxuriamque. Inter cætera tristia ejus anni, consul alter Ap. Claudius in ipso belli apparatu moritur: redierantque res ad Camillum; cui unico consuli, vel ob aliam dignationem haud subjiciendam dictaturæ, vel ob omen faustum ad gallicum tumultum[6] cognominis, dictatorem adrogari haud satis decorum visum est Patribus. Consul, duabus legionibus Urbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore divisis, memor paternæ virtutis, gallicum sibi bellum extra sortem sumit[7]: prætorem maritimam oram tutari Græcosque arcere litoribus jussit; et, quum in agrum pomptinum descendisset (quia neque in campis congredi nulla cogente re volebat, et prohibendo populationibus, quos rapto vivere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem), locum idoneum stativis delegit.

XXVI. Ubi quum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit, magnitudine atque armis insignis; quatiensque scutum hasta[1], quum silentium fecisset, provocat per interpretem unum ex Romanis,

armari posse, quantum tunc consules subito scripsere. Ed. — *Adeo* in ea, *in quæ sola* crescere *laboramus, crevimus,* in iis incrementa fecimus. Cf. ad III, 20, n. 6.

6. *Ob omen faustum ad gallicum tumultum* (vide ad II, 26, n. 1), *cognominis*, paterni, scil. *Camilli:* nam pater, qui Gallos antea devicerat et deleverat, solus et forte etiam primus proprio cognomine atque simpliciter appellabatur *Camillus,* at *Furii* nomen cum Fusis, Medullinis, Pacilis aliisque habebat commune; unde hoc cognomine a Livio ubivis et in ipsis quoque orationibus insignitur: quod jam monuit Perizon. Anim. hist. c. 2, pr. — *Adrogari,* addi, adjungi, ut *apponi,* II, 18. Eodem modo *fidem abrogare,* et supr. c. 6, *derogare* pro demere, minuere, dicitur; Drak.

7. *Gallicum sibi bellum extra sortem sumit,* non sortitus cum collega, qui mortuus erat, vel cum prætore. Conf. ad III, 2, n. 1. — *In agrum pomptinum*, conf. Gell. IX, 11.

Cap. XXVI. 1. *Quatiens scutum hasta,* vide ad cap. 10, n. 4, ubi simile certamen *T. Manlii* Torquati cum Gallo memoratur. — Gellius IX, 11

qui secum ferro decernat. M. erat Valerius tribunus militum, adolescens, qui haud indigniorem eo decore se, quam T. Manlium, ratus, prius sciscitatus consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minus insigne certamen [2] humanum numine interposito deorum factum: namque conserenti jam manum Romano corvus repente in galea consedit, in hostem versus: quod primo, ut augurium cælo missum, lætus accepit tribunus: precatus deinde, *si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius* [3] *adesset.* Dictu mirabile, tenuit non solum ales captam semel sedem, sed, quotiescumque certamen initum est, levans se alis, os oculosque hostis rostro et unguibus appetiit;

dicit *manu telum reciprocans*, nimirum ex antiquo aliquo annali totam hanc Galli et Valerii pugnam sumens. Ed. — *Consulis voluntatem*, Furii Camilli; nam alter consul jam mortuus erat; vide cap. 25. *Consules* tamen memorat Gell. l. l. — Nempe alios secutus annales; narrat enim: *instruebanturque acies a consulibus, de vi ac multitudine hostium satis agentibus.* Et deinde: *Tum Valerius tribunus, impetrato prius a consulibus, ut in Gallum tam inaniter arrogantem pugnare sese permitterent, progreditur.* Gell. IX, 11. Ed.

2. *Minus insigne certamen*, scil. ob auxilium a diis misso corvo præstitum; sed malim *magis insigne;* Doering. Fabulam autem inde ortam putant, quod corvi effigiem in galea habuerit Valerius. — Walchius, pag. 34, legendum proposuit: *minus insigne certamen humanum numine interposito deorum auctum;* eamque scripturam censor ejus in Ephem. litt. Lips. 1815, n. 205, genuinam pronuntiat. Attamen haud minore forsitan probabilitate aliquis conjiciat: *minus insigne... deorum clarum factum.* Clarum facile assumitur ex præcedentis vocis apicibus; nam *deorum* et *clarum* quid differunt? XLII, 8, *claram victoriam vincendo oppugnantes, non sæviendo in afflictos, fieri.* Vide Buttn. p. 45. Ed.

3. *Volens propitius*, vide ad I, 16, n. 14. *Præpetes* aves, quæ aut opportune et prosperius, aut altius sublimiusque, aut ingentibus alis patulæ atque porrectæ prævolant, Homero τανυπτέρυγες, quas potissimum augures spectabant. Ita Gell. VI, 6. — *Appetiit*, vide ad V, 19, n. 2. — At mirabilius esse Clericus inquit Livium nulla re significasse, se ejusmodi fabulæ fidem non habere, quod in tam gravi historia par erat. Verum attendere debuisset ad illa, quæ Livius supra jam dixerat in præfatione: *sed hæc et his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine.* Præterquam quod causas hic Livius habuerit, cur ne verbo quidem historiam hanc, de qua haud quisquam est nobilium scriptorum, qui secus dixerit, falsi arguere voluerit; ne scilicet

donec territum prodigii talis visu, oculisque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat: corvus e conspectu elatus orientem petit. Hactenus quietæ utrimque stationes fuere: postquam spoliare corpus cæsi hostis tribunus cœpit, nec Galli se statione tenuerunt, et Romanorum cursus ad victorem etiam ocior fuit. Ibi, circa jacentis Galli corpus contracto certamine, pugna atrox concitatur. Jam non manipulis proximarum stationum, sed legionibus utrimque effusis[4] res geritur. Camillus lætum militem victoria tribuni, lætum tam præsentibus ac secundis diis, ire in prælium jubet: ostentansque insignem spoliis tribunum, *hunc imitare, miles,* aiebat, *et circa jacentem ducem sterne Gallorum catervas.* Dii hominesque illi adfuere pugnæ; depugnatumque haudquaquam certamine ambiguo cum Gallis est: adeo duorum militum[5] eventum, inter quos pugnatum erat, utraque acies animis perceperat. Inter primos,

Augustum Cæs. offenderet, *qui statuam Corvino isti in foro suo statuendam curavit, et in ejus statuæ capite, corvi simulacrum esse voluit, rei pugnæque monumentum,* teste Gellio, loc. cit. Quantopere autem cavere conatus sit, ne principem offenderet, patet ex lib. IV, cap. 20, ubi vult ita Augusto assentari, ut tamen perspicuum sit, quid ipse sentiat. Ed.

4. *Legionibus utrimque effusis,* vide ad I, 14, n. 7. — *Tam præsentibus ac secundis diis,* et *dii adfuere pugnæ,* vide ad I, 12, n. 6, et III, 14, n. 6. — *Jacentem ducem,* vide ad XLIV, 45, n. 2. Hic Gallus *dux* etiam dicitur Valer. Max. III, 2, n. 6, et Gell. IX, 11, quod adversus Perizon. defendit Duk. ad Flor. I, 13, n. 20.

5. *Adeo duorum militum,* h. e. pugnæ eorum *eventum,* qui in altero mors fuit, in altero victoria (ut VIII, 7, *nostro duorum ex eventu cernatur*), *utraque acies animis perceperat,* eleganter; nam *percipitur,* quod penitus capitur, et *animis percipitur,* quod eos penetrat et totos occupat, nec alii affectui aut cogitationi locum relinquit; Gronov. In melioribus libris legitur *præceperat* prob. Stroth. ut sensus sit, *adeo duorum militum eventum,* h. e. eventum prælii universi similem illi, quem singularis duorum militum pugna habuerat (cf. ad II, 58, n. 7, et V, 27, n. 4), *utraque acies animis præceperat,* id quod futurum erat, jam ante quam hoc fieret, cogitatione sibi finxerat, ut IX, 5, et XXXI, 49. Addo loca similiora sup. IV, 27, n. 5; X, 26, n. 3; XXXV, 35, n. 1; XXXVIII, 20 pr. et XLII, 61. Sed h. l. verbum *percipere* aptius videtur et ponderosius. — *Alia multitudo,* v. ad IV, 10, n. 2.

quorum concursus alios exciverat, atrox prælium fuit: alia multitudo, priusquam ad conjectum teli veniret, terga vertit. Primo per Volscos falernumque agrum dissipati sunt : inde Apuliam ac mare inferum petierunt[6]. Consul, concione advocata, laudatum tribunum decem bubus aureaque corona donat. Ipse, jussus ab senatu bellum maritimum curare, cum prætore junxit castra. Ibi, quia res trahi segnitia Græcorum non committentium se in aciem videbantur, dictatorem comitiorum causa T. Manlium Torquatum ex auctoritate senatus dixit. Dictator, magistro equitum A. Cornelio Cosso dicto, comitia consularia habuit, æmulumque decoris sui[7] absentem M. Valerium Corvum (id enim illi deinde cognominis fuit), summo favore populi, tres et viginti natum annos, consulem[8] renuntiavit. Collega Corvo de plebe M. Popillius Lænas quartum consul futurus datus est. Cum Græcis a Camillo nulla memorabilis gesta res : nec illi terra, nec Romanus mari bellator erat. Postremo, quum litoribus arcerentur, aqua etiam præter cætera necessaria usui deficiente, Italiam reliquere[9]. Cujus populi ea, cujusque gentis classis fuerit, nihil certi est. Maxime Siciliæ

6. *Mare inferum petierunt*, forte *superum* : nam Volsci ad inferum, Apuli ad superum mare sunt. — *Superum;* sic Venet. antiq. 1495 et 1506. Ascens. 1510, 1513 et 1516. Paris. 1529, Glareano, et Sigonio suffragantibus. *Mare inferum* obtrusere nescio qui emendatores, reclamante ipso locorum situ. Ed. — *Tribunum decem bubus donat*, vide ad IV, 16, n. 2.

7. *Æmulum decoris sui*, qui idem sibi decus pepererat, quod Torquatus, de quo vide supra cap. 10. — *Corvus* primum dictus est Valerius, ut alii *Albus, Rufus, Crassus, Luscus, Longus*, ac posteri eorum *Corvinus, Albinus, Rufinus, Crassinus, Luscinus, Longinus;* Sigon. et Pigh. Conf. Drak. ad h. l. et Arutzen. ad Aurel. Vict. de vir. ill. c. 29.

8. *Consulem renuntiavit :* quidam *pronuntiavit*. Sic et *declarare* XXVI, 22, n. 1. Conf. Drakenb. et ad Suet. Cæs. 41.

9. *Italiam reliquere* Græci : cujus populi ea classis fuerit, *nihil certi est : maxime Siciliæ fuisse tyrannos crediderim :* nec male hoc credidit Livius ; dubitari enim vix potest, quin classis ea fuerit, non Timoleontis Corinthii,

fuisse tyrannos crediderim; nam ulterior Græcia, ea tempestate intestino fessa bello, jam Macedonum opes horrebat.

XXVII. Exercitibus dimissis, quum et foris pax, et domi concordia ordinum otium esset, ne nimis lætæ res essent, pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris, ut libros sibyllinos [1] inspicerent; eorumque monitu lectisternium fuit. Eodem anno Satricum ab Antiatibus colonia deducta, restitutaque urbs, quam Latini diruerant; et cum carthaginiensibus legatis Romæ fœdus ictum [2], quum amicitiam ac societatem petentes venissent. Idem otium domi forisque mansit T. Manlio Torquato, C. Plautio consulibus: semunciarium tantum ex unciario fenus factum [3], et in pensiones æquas triennii, ita ut quarta præsens esset, solutio æris alieni dispensata est: et sic quoque parte plebis affecta, fides tamen publica pri-

qui Dionysium regno Siciliæ exegit, vel Postumii tyranni prædonis, quod suspicabatur Sigon. coll. Diodor. 16, sed Dionysii junioris, qui paulo ante (ann. Urb. 398) Syracusis ejectus in Italia circa Locros, unde maternum ducebat genus, usque ad an. 407, quo iterum recepit Syracusas, residens, multa in Locrenses libidinose ac crudeliter statuerat, simulque Italiæ litora latrociniis infesta fecisse videtur. Hæc jam monuit Heyn. Opusc. Acad. t. II, pag. 44, 56 sq. et t. III, p. 57, coll. Strab. VI, p. 397, 398, 401, B. Diodor. XIV, 44, 103-107; Ælian. V. H. VI, 12; IX, 8; Athen. XII, p. 541, et Plutarch. Timol. p. 242, C.— *Macedonum opes horrebat*: scilic. hoc ipso tempore, Philippus Alexandri magni pater Olynthum expugnabat. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Imperare decemviris, ut libros sibyllinos inspicerent... et lectisternium fuit*, vide ad III, 10, n. 6, et V, 13, n. 5.

2. *Et cum carthaginiensibus legatis Romæ fœdus ictum* super navigatione ac mercatura, et quidem alterum (de priori vide ad II, 8, n. 10), ac valde memorabile, de cujus conditionibus vide Polyb. III, 24; Heyn. Opusc. Acad. t. III, pag. 56-66, et Diodor. XVI, 69, qui tamen primum fuisse hoc fœdus dicit. Tertium fœdus memoratur inf. IX, 43, et iisdem conditionibus renovatum videtur. Polybius mentionem ejus non facit, et quartum, temporibus Pyrrhi sancitum (vide Epit. Liv. XIII), apud eum est tertium; vide Heyn. l. l. pag. 66 sq. et Polyb. III, 25. Quintum est percussum confecto bello punico I. Vide Polyb. I, 62, 63; III, 27. De sexto vide inf. ad XXI, 2, n. 9.

3. *Semunciarium ex unciario fenus*

vatis difficultatibus potior ad curam senatui fuit. Levatæ maxime res, quia tributo ac delectu supersessum. Tertio anno post Satricum restitutum a Volscis, M. Valerius Corvus, secundum consul cum C. Pœtelio factus, quum ex Latio nuntiatum esset, legatos ab Antio circumire populos Latinorum ad concitandum bellum, priusquam plus hostium fieret, Volscis arma inferre jussus, ad Satricum exercitu infesto pergit: quo quum Antiates aliique Volsci præparatis jam ante, si quid ab Roma moveretur, copiis occurrissent, nulla mora inter infensos diutino odio dimicandi facta est. Volsci, ferocior ad rebellandum, quam ad bellandum, gens, certamine victi, fuga effusa Satrici mœnia petunt; et, ne in muris quidem satis firma spe, quum corona militum cincta jam scalis caperetur urbs [4], ad quatuor millia militum, præter multitudinem imbellem, sese dedidere. Oppidum dirutum atque incensum: ab æde tantum Matris Matutæ abstinuere ignem. Præda omnis militi data: extra prædam quatuor millia deditorum habita; eos vinctos consul ante currum triumphans egit: venditis deinde, magnam pecuniam in ærarium redegit. Sunt, qui hanc multitudinem captivam servorum fuisse scribant: idque magis verisimile est, quam deditos veniisse.

XXVIII. Hos consules sequuti sunt M. Fabius Dorso, Ser. Sulpicius Camerinus. Auruncum inde bellum ab repentina populatione cœptum; metuque, ne id factum

factum (vide ad cap. 16, n. 1) *et solutio æris alieni*, seu sortis *dispensata est in* quatuor *æquas pensiones*, *ita ut* prima *præsens*, vel statim (vide ad I, 12, n. 6), altera sub fine primi, tertia sub fine secundi, quarta sub fine tertii anni, adeoque intra triennium omnes solverentur; Doer. Conf. XXIX, 16; XXXIII, 30; XXXVIII, 9, 38. — *Parte plebis affecta*, vide ad V, 10, n. 6.

4. *Corona militum cincta urbs*, v. ad II, 17, n. 3. — *Ab æde Matris Matutæ abstinuere ignem;* vide ad II, 22, n. 3, et V, 19, n. 6. Ratio forte prodigium, VI, 33, memoratum: su-

populi unius, consilium omnis nominis latini [1] esset, dictator velut adversus armatum jam Latium L. Furius creatus, magistrum equitum Cn. Manlium Capitolinum dixit : et quum, quod per magnos tumultus fieri solitum erat, justitio indicto, delectus sine vacationibus habitus esset; legiones, quantum maturari potuit, in Auruncos ductæ: ibi prædonum magis, quam hostium, animi inventi. Prima itaque acie debellatum est; dictator tamen, quia et ultro bellum intulerant, et sine detrectatione se certamini offerebant, deorum quoque opes adhibendas ratus, inter ipsam dimicationem ædem Junoni Monetæ vovit [2] : cujus damnatus voti quum victor Romam revertisset, dictatura se abdicavit. Senatus duumviros ad eam ædem pro amplitudine populi romani faciendam creari jussit : locus in arce destinatus, quæ area ædium M. Manlii Capitolini fuerat. Consules, dictatoris exercitu ad bellum volscum

perfuit itaque adhuc belli punici II tempore (vide XXVIII, 11); Drak.

Cap. XXVIII. 1. *Omnis nominis latini*, vide ad I, 10, n. 2. — *Quod per magnos tumultus fieri solitum erat* (vide ad II, 26, n. 1), *justitio indicto* (vide ad III, 3, n. 1), *delectus sine vacationibus habitus esset*, vide ad IV, 26, n. 7.

2. *Ædem Junoni Monetæ vovit*, v. ad VI, 20, n. 11. — *Damnatus voti*, vide ad V, 25, n. 2. — *Votum* Cicero (de Legib. II, 16) dixit esse *sponsionem, qua deo obligamur*, ut juriscons. et theolog. definitiones prætermittamus. Qui vero vota pro re aliqua a diis impetranda faciebat, *vovere*, seu vota *suscipere*, et *nuncupare* dicebatur; qui vero solvebat, *persolvere* et *signare vota*. Teste Plinio X, ad Traj. 36, *solennia vota pro incolumitate tua et suscepimus et solvimus, precati deos ut velint semper ea solvi semperque signari.* At qui votum susceperat, necdum voti compos persolverat, *reus* voti appellabatur. Virg. Æneid. V, 236, *Vobis lætus ego candentem litore taurum Constituam ante aras, voti reus.* Et ad h. l. Macrob. Saturn. III, c. 11, *Hæc vox*, inquit, *propria sacrorum est, ut reus vocetur qui suscepto voto numinibus se obligat.* Qui vero voto suscepto, assecutus id, pro quo voverat, nondum tamen soluto voto, *damnatus voti* dicebatur; quod clare Livii dicta XXVII, 45, demonstrant, *deos omnes*, ait, *deasque precabantur, ut illis faustum iter felixque pugna, matura ex hostibus victoria esset, damnarenturque ipsi votorum, quæ pro iis suscepissent.* Vide et al. simil. V, 25; XXXIX, 9; Virgil. Ecl. V, 79. Ed. — *Duumviros*, etc. conf. ad XL, 44, n. 5. — *Locus in arce* (v.

usi, Soram ex hostibus, incautos adorti, ceperunt. Anno post, quam vota erat, ædes Monetæ dedicatur, C. Marcio Rutilo tertium, T. Manlio Torquato secundum consulibus. Prodigium[3] extemplo dedicationem sequutum, simile vetusto montis albani prodigio; namque et lapidibus pluit, et nox interdiu visa intendi: librisque inspectis, quum plena religione civitas esset, senatui placuit, dictatorem feriarum constituendarum causa dici. Dictus P. Valerius Publicola; magister equitum ei Q. Fabius Ambustus datus est. Non tribus tantum[4] supplicatum ire placuit, sed finitimos etiam populos; ordoque iis, quo quisque die supplicarent, statutus. Judicia eo anno populi tristia in feneratores facta[5], quibus ab ædilibus dicta dies esset, traduntur. Et res, haud ulla insigni ad memoriam causa, ad interregnum rediit. Ex interregno, ut id actum videri posset, ambo patricii consules creati sunt, M. Valerius Corvus tertium, A. Cornelius Cossus.

XXIX. Majora jam hinc bella, et viribus hostium, et longinquitate vel regionum, vel temporum[1] spatio, quibus bellatum est, dicentur. Namque eo anno adversus Samnites, gentem opibus armisque validam,

ad I, 55, n. 6) *destinatus, quæ area ædium Manlii fuerat,* vide ad VI, 20, n. 11. — *Ædes Monetæ dedicatur,* v. Macrob. Sat. I, 12.

3. *Prodigium simile vetusto montis albani prodigio: namque et lapidibus pluit, et nox interdiu visa intendi,* vide ad I, 31, n. 1, et I, 57, n. 5. — *Librisque* sibyllinis *inspectis,* vide ad III, 10, n. 6. — *Dictatorem feriarum constituendarum causa,* conf. ad III, 5, n. 12.

4. *Non tribus tantum,* populum romanum (ut al. *tribus* et *tribules* de plebe) *supplicatum ire,* v. III, 63, n. 2.

5. *Judicia tristia in feneratores facta,* vid. ad V, 2, n. 6, et VII, 16, n. 1. — *Ex interregno ambo patricii consules* (ut et superiore anno) *creati sunt, ut id actum,* ut interregnum eo spectasse, et hæc ejus causa *videri posset.*

Cap. XXIX. 1. *Et longinquitate vel regionum, vel temporum* jungenda, et voc. *spatio* delendum; Gronovius. Alioqui dedisset Livius *et vel longinq. reg.*; Bauer. Sanissimus est hic locus: negligit haud raro Livius ἀκρίβειαν in collocandis verbis; Schæf. Confer Creverium ad præfation. n. 5.

mota arma. Samnitium bellum, ancipiti marte gestum, Pyrrhus hostis, Pyrrhum Pœni sequuti. Quanta rerum moles! quoties in extrema[2] periculorum ventum, ut in hanc magnitudinem, quæ vix sustinetur, erigi imperium posset! Belli autem causa cum Samnitibus, Romanis, quum societate amicitiaque juncti essent, extrinsecus venit; non orta inter ipsos est. Samnites Sidicinis injusta arma, quia viribus plus poterant, quum intulissent, coacti inopes ad opulentiorum auxilium confugere, Campanis sese conjungunt. Campani magis nomen[3] ad præsidium sociorum, quam vires, quum adtulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in sidicino pulsi agro, in se deinde molem omnem belli verterunt; namque Samnites, omissis Sidicinis, ipsam arcem finitimorum Campanos adorti, unde æque fa-

2. *Quoties in extrema periculorum*, pericula, *ventum* est, *ut in hanc* (vide ad I, 5, n. 1) *magnitudinem, quæ vix sustinetur* (conf. ad Præf. Liv. n. 7), etc. — *Quum societate amicitiaque juncti essent* cum Samnitibus; vide cap. 19. — *Inter ipsos*, scil. Samnites ac Romanos; Bauer. — *Opulentiorum*; opulentus hic est potens, viribus prævalens. Vide ad lib. II, 21. Ed.

3. *Campani magis nomen* (vide ad III, 65, n. 6) *ad præsidium*, etc. — *Fluentes luxu*, ut al. *diffluentes*, vel *voluptate liquescentes* et *liquefacti* ap. Cicer. Tusc. Quæst. II, 22; V, 6. Nam *diffluere*, *liquescere* et *dilabi* proprie dicuntur nix, glacies, cera et plumbum, deinde ea, quæ dissolvuntur, mollescunt, languescunt, enervantur (ut contra h. l. *durati usu armorum* Samnites), minuuntur, labant, labefactantur, depereunt, ut XXXIII, 46, n. 4. Conf. tamen ad Juven. XV, 47. *Fluere* etiam et *labi* est ita fugere et abire, ut vix sentias, instar rivi leniter fluentis. Conf. inf. cap. 32, n. 4, cap. 33, n. 6; X, 28, n. 3; XXXIV, 47, n. 3; XXXVII, 17, et XXVII, 17, ubi vide Gronov. qui coll. Virg. Æn. II, 169 (ubi vide Intpp.), et aliis locis docet, *fluere* et *fluxa* (v. c. *fides* XXVIII, 5 extr. et XL, 50) dici, quæ facile dilabantur, vel sublabantur, nec constent, quæ statum et firmitudinem non habeant, vel proprie quæ quasi *decolent* se, h. e. de colo defluant, transmittantur, deficiant. Similiter *fusa corpora* Gallorum dicuntur XXXVIII, 21, quæ cap. 17, *mollia corpora* ac *fluentia sudore et lassitudine membra*, ut et *mollia et fluida corpora Gallorum* XXXIV, 47, ubi vide not. 3. — *Durati*, nostrum *abgehärtet*, ut XXXVIII, 17; XLII, 32, 52, al. Sic et *Ligures*, *durum in armis genus* hominum, seu gens (vide ad I, 18, n. 5) inf. XXVII, 48, n. 4. Conf. ad Sil. I, 558; VI, 308; XV, 566. — *Campanos arcem finitimorum*, præsidium, auxilium; vide ad III, 45,

cilis victoria, prædæ atque gloriæ plus esset, Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine[4] in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet : ibi rursus acie dimicatum : adversoque prælio Campani intra mœnia compulsi, quum, robore juventutis suæ acciso, nulla propinqua spes esset, coacti sunt ab Romanis petere auxilium.

XXX. Legati, introducti in senatum maxime in hanc sententiam loquuti sunt : « Populus nos campanus legatos ad vos, Patres conscripti[1], misit; amicitiam in « perpetuum, auxilium præsens a vobis petitum : quam « si secundis rebus nostris petissemus, sicut cœpta ce« lerius, ita infirmiore vinculo contracta esset : tunc « enim, ut qui ex æquo nos venisse in amicitiam[2] me« minissemus, amici forsitan pariter ac nunc, subjecti

n. 9, et IV, 31, n. 8. —*Tifata* nomen montis est numero plurali; XXIII, 36, *super Capuam in Tifatis habebat castra.* Silius Italic. XIII, 219, *Tifata umbrifero generatum monte Calenum Nutrierant, audere trucem.* Ed.

4. *Quadrato* cum *agmine*, vide ad II, 6, n. 3.—*Robore juventutis acciso*, vide ad III, 10, n. 9. — *Propinqua spes*, i. e. auxilii propinqui, e propinquo loco, a vicinis, cujus explendæ copia ex propinquo ostenderetur : metonymia objecti vel materiæ; Bauer.

Cap. XXX. 1. *Patres conscripti*, vide ad II, 1, n. 14. Similis oratio Corcyræorum, in senatu Atheniensium eadem fere et ob eamdem causam petentium, apud Thucydid. I, 32, 36, unde hæc expressa esse jam monuit Sigon. — *Auxilium præsens*, vide ad VI, 27, n. 4. — In edit. quæ Venet. ann. 1592 sub nomine Sigonii prodiit legitur *auxilium in præsens.* Et ita scribendum esse conjecit Perizon. hoc adscripto loc. ex lib. VII, 37, *milites duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bobus donati.* Sic et in Lovel. cod. 2, et potuit intercidisse τὸ *in*, ob similitudinem vocis præced. quemadmodum alibi sæpe factum. Sic et Livius, II, 42, *nec in præsens modo, sed etiam in venientem annum*, etc. XLII, 47, *interdum in præsens tempus plus profici dolo, quam virtute.* Vide al. simil. VIII, 7; et ap. Cic. ad Brut. epist. 15. Verum quum omnes alii codd. in editam lect. conspirent, eam veriorem esse censemus; nec aliter Livius, variandæ lectionis causa, loquitur infra IX, 3; XXXVIII, 39; XLV, 18. Ed.

2. *Ex æquo* jure *nos venisse in amicitiam*, ut fere *æquo fœdere* (quo neutra pars alteri obnoxia fit, vel ab ea pendet, Doer.) *vivere* et *esse*, IX, 4, et 20, vel apud Tacit. vit. Agric. cap. 20, *ex æquo agere* dicit Britannos, qui nondum Romanis *subjecti at-*

« atque obnoxii vobis minus essemus. Nunc, miseri-« cordia vestra conciliati, auxilioque in dubiis rebus « defensi, beneficium quoque acceptum colamus, opor-« tet; ne ingrati atque omni ope divina humanaque « indigni videamur. Neque, Hercule, quod Samnites « priores amici sociique vobis facti sunt, ad id valere « arbitror, ne nos in amicitiam accipiamur, sed ut ve-« tustate et gradu honoris nos præstent : neque enim « fœdere Samnitium, ne qua nova jungeretis fœdera, « cautum est. Fuit quidem apud vos semper satis justa « causa amicitiæ, velle eum vobis amicum esse, qui « vos appeteret[3]. Campani, etsi fortuna præsens ma-« gnifice loqui prohibet, non urbis amplitudine, non « agri ubertate, ulli populo præterquam vobis cedentes, « haud parva, ut arbitror, accessio bonis rebus vestris « in amicitiam venimus vestram. Æquis Volscisque, « æternis hostibus hujus urbis, quandocumque se mo-« verint, ab tergo erimus; et, quod vos pro salute nostra « priores feceritis, id nos pro imperio vestro et gloria « semper faciemus. Subactis iis gentibus, quæ inter nos « vosque sunt, quod propediem futurum spondet et « virtus et fortuna vestra, continens imperium usque « ad nos habebitis. Acerbum ac miserum est, quod fa-« teri nos fortuna nostra cogit. Eo ventum est, Patres « conscripti, ut aut amicorum, aut inimicorum Campani « simus[4]. Si defenditis, vestri : si deseritis, Samnitium

que obnoxii (vide ad III, 39, n. 1), sed liberi et sui juris erant, ut æquum fœdus postulare possent; Ern. — *Beneficium quoque acceptum colamus*, tueamur, ut *colere pacem* VIII, 17, n. 6. « *Colere*, ut græce θεραπεύειν, est tueri, servare, gratum prosequi, omni officio remunerari, ne auferatur, ne indigno datum putetur, aliove tempore negetur; » Bauer.

3. *Amicum esse, qui vos appeteret*, vestram amicitiam peteret. — *Haud parva accessio bonis rebus vestris*, ut XXX, 12, 40; XXXVIII, 54; XXXIX, 27; XLV, 7, 26, 39. Sic et *appendix* IX, 41; XXI, 5; XXXIX, 27. Conf. ad XLV, 26, n. 3. — *Continens imperium*, v. ad IV, 22, n. 4.

4. *Ut aut amicorum, aut inimicorum nos Campani simus*, vide ad III.

« erimus. Capuam ergo et Campaniam omnem vestris « an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. « Omnibus quidem, Romani, vestram misericordiam « vestrumque auxilium æquum est patere; iis tamen « maxime, qui, eam implorantibus aliis auxilium dum « supra vires suas præstant, omnes ipsi in hanc neces- « sitatem venerunt; quanquam pugnavimus verbo [5] pro « Sidicinis, re pro nobis, quum videremus, finitimum « populum nefario latrocinio Samnitium peti, et, ubi « conflagrassent Sidicini, ad nos trajecturum illud in- « cendium esse. Nec enim nunc, quia dolent injuriam « acceptam Samnites, sed quia gaudent oblatam sibi « esse causam, oppugnatum nos veniunt. An, si ultio « iræ hæc, et non occasio cupiditatis explendæ esset, « parum fuit, quod semel in sidicino agro, iterum in « Campania ipsa legiones nostras cecidere? Quæ est ista « tam infesta ira, quam per duas acies fusus sanguis « explere non potuerit? Adde huc populationem agro- « rum, prædas hominum atque pecudum actas, incen- « dia villarum ac ruinas, omnia ferro ignique vastata. « Hiscine ira expleri non potuit? Sed cupiditas explenda « est; ea ad oppugnandam Capuam rapit; aut delere

36, n. 4. — *Iis tamen maxime*, Campanis, *qui eam* misericordiam (nisi potius del. *eam*) *implorantibus aliis*, scil. Sidicinis, etc. Mox dele *omnes*, aut lege *una*, et forte *venerint* pro *venerunt;* Bauerus. — Orationem hic quibusdam partibus laborare putat Buttner. post Bauerum. Proponit scribendum *jam* pro *eam*, quippe quod secundum grammaticas regulas ad *vestram*, Romanorum, *misericordiam* referri debet, quum sensus ad Campanorum trahi jubeat (recte quidem; nisi Bauero accedere malimus, qui *eam* delendum censet); et *ante* post *præstant*, scil. ex vocis hujus literis ultimis, ita ut legatur: *præstant, ante omnes*, etc. qua interpolatione nihil opus esse credimus; nam vox *omnes*, ut Bauer. perspexit, redundat; et eam omittit unus e nostris codd. Ed.

5. *Quanquam pugnavimus verbo*, externa specie, simulatione, *pro Sidicinis*, *re*, reapse, re vera, *pro nobis*, ut *verbo* et *re* XXXV, 46; XXXVII, 53, et λόγῳ . . . ἔργῳ v. c. apud Thucyd. III, 70, Doer. — Mox *conflagrare* et *incendium* de extremis belli malis et pernicie. — *Ultio iræ*, ex ira, iræ data; Bauer.

« urbem pulcherrimam, aut ipsi possidere volunt. Sed « vos potius, Romani, beneficio vestro occupate eam, « quam illos habere per maleficium sinatis. Non lo- « quor apud recusantem justa bella populum; sed ta- « men[6], si ostenderitis auxilia vestra, ne bello quidem « arbitror vobis opus fore. Usque ad nos contemptus « Samnitium pervenit, supra non escendit. Itaque um- « bra vestri auxilii, Romani, tegi possumus; quidquid « deinde habuerimus, quidquid ipsi fuerimus, vestrum « id omne existimaturi. Vobis arabitur ager campanus, « vobis Capua urbs frequentabitur; conditorum, paren- « tum, deorum immortalium numero nobis eritis; nulla « colonia vestra erit, quæ nos obsequio erga vos fideque « superet. Annuite[7], Patres conscripti, nutum numen- « que vestrum invictum Campanis, et jubete sperare, « incolumen Capuam futuram. Qua frequentia omnium « generum multitudinis prosequente creditis nos illinc « profectos? quam omnia votorum lacrymarumque « plena reliquisse? in qua nunc exspectatione senatum « populumque campanum, conjuges liberosque no- « stros esse? Stare omnem multitudinem ad portas, viam « hinc ferentem prospectantes, certum habeo, quid illis « nos, Patres conscripti, sollicitis ac pendentibus[8] animi

6. *Sed tamen*, interim (ut Doering. monet; de quo vide ad I, 12, n. 1; at Stroth. *tamen* ad omissum *quamvis* refert, ut c. 33; X, 6, n. 9; XXXVII, 29; apud Cic. Mil. 28, 35), *si ostenderitis auxilia vestra*, spem tantum opis ferendæ nobis feceritis, vel verbis significaveritis (vide ad IV, 30, n. 1, et VI, 6, n. 1), vel simulaveritis; vide ad IV, 59, n. 2. — *Supra*, ultra nos, usque ad vos, vel ad summum quasi, quod vos obtinetis, dignitatis fastigium *non escendit*, v. ad II, 7, n. 7.

7. *Annuite*, nutu quasi significate, *Patres conscripti* (v. ad II, 1, n. 14), *nutum*, voluntatem, *numenque vestrum* (v. ad I, 55, n. 4), nisi malis: promittite nobis approbationem, h. e. favorem, et auxilium vestrum. Verecunde, ut de diis; sed *annuere nutum* bene dici vix crediderim. — Sic compellant Campani Romanos tanquam deos quosdam, tanquam Jovem ipsum, cujus *nutu* vertuntur ac reguntur omnia. *Numen* ab eadem origine est, a verbo nempe *nuere*, et divinam gubernationem et voluntatem denotat. Ed.

8. *Sollicitis ac pendentibus animi*,

« renunciare jubeatis. Alterum responsum salutem, victoriam, lucem ac libertatem; alterum ominari horreo, quæ ferat. Proinde ut aut de vestris futuris sociis atque amicis, aut nusquam ullis futuris nobis, consulite. »

XXXI. Submotis deinde legatis, quum consultus senatus esset, etsi magnæ parti urbs maxima opulentissimaque Italiæ, uberrimus ager marique propinquus ad varietates annonæ[1] horreum populi romani fore videbatur; tamen tanta utilitate fides antiquior fuit, responditque ita ex auctoritate senatus consul: « Auxilio vos, Campani, dignos censet senatus: sed ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua vetustior amicitia ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt[2]: itaque arma, deos prius, quam homines, violatura, adversus Samnites vobis negamus. Legatos, sicut fas jusque est, ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat. » Ad ea princeps legationis (sic enim domo mandatum attulerant), « Quandoquidem, inquit, nostra tueri adversus vim atque injuriam justa vi non vultis, vestra certe

vide ad II, 32, n. 5, et III, 26, n. 8. — *Salutem, victoriam, lucem*, vide ad I, 39, n. 3. — *Quæ ferat*, forte *feret*, ut et ad priora, *lucem, libertatem*, etc. referatur; Bauerus. — *Aut nusquam ullis futuris nobis*, qui ope vestra destituti funditus interibimus, ut nusquam vel vestigium nominis et populi nostri reliquum sit futurum. Conf. ad III, 66, n. 7.

Cap. XXXI. 1. *Ad varietates annonæ*; si pretium ejus variaret et præter modum cresceret. — *Utilitate fides antiquior fuit*, vide ad I, 32, n. 3.

2. *Samnites nobiscum fœdere juncti sunt*, vide cap. 19. — *Legatos, sicut fas jusque est, mittemus*; prima vox *legatos* deficit in Leid. 2 et Lovel. 1, quæ etiam abesse potest; *mittere* enim sæpius notat mittere legatos. Eo sensu hoc verbo Livius supra usus est I, 56: *Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum mittere statuit.* VI, 10: *Mitti tamen ad principes eorum placuit, ut secernerent se ab Etruscis.* XXX, 35: *Omnia eos æque impetraturos, si Romam misissent, dixit.* Pari sensu Græcos verbo πέμπειν usos fuisse, allatis exemplis probat Staveren ad Nepotem, Themistoc. cap. 11. Ed. — *Mandatum attulerant*, scilicet legati. *Attulerat* alii. — *Vestra certe defendetis.* Ἦ οὐχὶ καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς οἰκείοις οὕτω ποιοῦμεν, μᾶλλον ἐκείνων φροντίζοντες τῶν ὅλους ἑαυτοὺς ἐπιδεδωκότων τῇ ἡμετέρᾳ θεραπείᾳ, καὶ τούτων προνο-

« defendetis : itaque populum campanum, urbemque « Capuam, agros, delubra deum, divina humanaque « omnia [3] in vestram, Patres conscripti, populique ro- « mani ditionem dedimus; quidquid deinde patiemur, « dedititii vestri passuri. » Sub hæc dicta omnes, manus ad consules tendentes, pleni lacrymarum in vestibulo curiæ procubuerunt. Commoti Patres vice fortunarum humanarum [4], si ille præpotens opibus populus, luxuria superbiaque clarus, a quo paulo ante auxilium finitimi petissent, adeo infractos gereret animos, ut se ipse suaque omnia potestatis alienæ faceret. Tum jam fides agi visa [5], deditos non prodi; nec facturum æqua samnitium populum censebant, si agrum urbemque, per deditionem factum populi romani, oppugnarent. Legatos itaque extemplo mitti ad Samnites placuit: data mandata, *ut preces Campanorum, responsum senatus amicitiæ Samnitium memor* [6], *deditionem postremo factam, Samnitibus exponerent. Peterent pro societate amicitiaque, ut dedititiis suis parcerent: neque in eum agrum, qui populi romani factus esset, hostilia*

ούμενοι, ὡς μὴ προνοουμένων αὐτῶν; Theophylact. in Luc. XII. Ed.

3. *Divina humanaque omnia*, vide ad III, 17, n. 6. — *Sub hæc dicta*, vide ad II, 55, n. 1.

4. *Commoti Patres* sunt *vice*, vicissitudine, varietate, *fortunarum humanarum, si*, etc. hoc est, siquidem, quoniam; vel quod, ut passim Græci εἰ pro ὅτι, ita ut non dubiam, sed certam significet rem. Confer Juvenal. V, 1; Cic. Off. II, 8; et supra ad II, 28, n. 3. — *Luxuria superbiaque clarus*, forte *elatus;* Bauer. Præstat in hoc contextu *clarus*, mediæ vox significationis, ut Græci περιβόητος, Schæf. — Inter vitia Campanorum præsertim memorantur *luxuria* et *superbia;* vide Liv. XXIII, 8; Sil. Ital. XI, 33. Capuam *superbiæ domicilium* atque *luxuriæ sedes* esse testatur Cic. Or. ag. II, 35; et I, 7. Ed.

5. *Tum* (forte *et tum;* Duk.) *jam fides agi visa*, fidei esse, fidem postulare, ad fidem probandam et tuendam pertinere visum; ut *fama, libertas, honor, imperium*, etc. (hoc est, res eorum) *agi* dicuntur; Doer. Confer Gron. et Drak. ad h. l. ad XXVIII, 19; et XXVII, 36.

6. *Responsum senatus amicitiæ S. memor*, dignum amicitia, a memori ejus datum; Bauer. Confer ad I, 28, n. 7; et III, 36, n. 8. *Senatus memoris* multi MSS et edd. vett. ante Froben. quod mollius videbatur Gron. Nostra

arma inferrent. Si leniter agendo parum proficerent, denuntiarent Samnitibus populi romani senatusque verbis, ut Capua urbe campanoque agro abstinerent. Hæc legatis agentibus in concilio Samnitum adeo est ferociter responsum, ut non solum gesturos se esse dicerent id bellum, sed magistratus eorum e curia egressi, stantibus legatis [7], præfectos cohortium vocarent; iisque clara voce imperarent, ut prædatum in agrum campanum extemplo proficiscerentur.

XXXII. Hac legatione Romam relata, positis omnium aliarum rerum curis, Patres, fecialibus ad res repetendas [1] missis, belloque, quia non redderentur, solenni more indicto, decreverunt, ut primo quoque tempore de ea re ad populum ferretur : jussuque populi consules ambo cum duobus ab Urbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum, hic ad Saticulam castra ponunt. Priori Valerio Samnitium legiones (eo namque omnem belli molem inclinaturam censebant) occurrunt; simul in Campanos stimulabat ira, tam promptos nunc ad ferenda, nunc ad arcessenda adversus se auxilia. Ut vero castra romana viderunt, ferociter pro se quisque signum duces poscere [2], affirmare, eadem fortuna Romanum Campano laturum opem, qua Campanus Sidicino tulerit. Valerius, levibus certaminibus, tentandi hostis causa, haud ita multos moratus dies, signum pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus : *Ne*

lectio doctior et optimorum MSS. — Ex quo appareret Senatum retinuisse memoriam amicitiæ Samnitium. Audacius etiam Liv. loco citato : *Exempli parum memoris legum humanarum ;* et XXXIII, 12, *Quintius negare, Ætolos aut moris Romanorum memorem, aut sibi ipsis convenientem sententiam dixisse.* Quem locum restituit Gron. Ed.

7. *Stantibus legatis* adhuc more oratorum, vel *adstantibus*, præsentibus, nondum dimissis.

Cap. XXXII. 1. *Ad res repetendas*, vide ad I, 22, n. 5.

2. *Quisque signum duces poscere*, confer ad I, 24, n. 6.

novum bellum eos, novusque hostis terreret; quidquid ab Urbe longius proferrent arma[3]*, magis magisque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æstimarent virtutem; qualescumque inter se certaverint, necesse fuisse, alteram partem vinci. Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus*[4] *mollitiaque sua, quam vi hostium, victos esse. Quid autem esse duo prospera in tot sæculis bella Samnitium adversus tot decora populi romani, qui triumphos pæne plures, quam annos ab urbe condita, numeret? qui omnia circa se, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volscos, Auruncos, domita armis habeat? qui Gallos, tot præliis cæsos, postremo in mare ac naves fuga compulerit? Quum gloria belli ac virtute sua quemque fretos ire in aciem debere, tum etiam intueri, cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit. Utrum qui audiendus duntaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui et ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat.* « Facta mea, non dicta, vos, milites, in« quit, sequi volo; nec disciplinam modo, sed exem-

3. *Quidquid ab Urbe longius proferrent arma*, ut passim *quidquid* adverbial. pro, quantum, quanto, quo usque, quo longius, ut VIII, 39; XXI, 54; XXXI, 1; XXXIV, 62.

4. *Nimio luxu fluentibus rebus*, v. ad cap. 29, n. 3. — *Adversus tot decora*, ad ea, in comparatione cum illis. — *Gallos, tot præliis cæsos, postremo in mare ac naves fuga compulerit;* « id non liquet quidem ex cap. 26, nec tamen improbabile est, Gallos, qui dudum oram maris Adriatici occupaverant, etiam ibi naves cœpisse habere, in quas recipere se ex fuga potuerint. Sed hoc verum est, in hac oratione more oratorum ad exhortandos militum animos nonnulla dici, quibus res aliquantum exornatur, et virtus rom. exaggeratur »; Duk. Confer Wessel. Obss. II, 26, qui putat, Livium, quum Corvini hanc orationem perpoliret, alios annales ob oculos habuisse. — *Utrum ejus, qui audiendus duntaxat*, etc. Bene, nec opus est legere *audendi duntaxat*. — Potest quidem exponi: utrum is cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit, ejusmodi sit imperator, cujus audienda tantum verba sint, non etiam facta spectanda. En.

« plum etiam, a me petere. Non factionibus modo, nec « per coitiones[5] usitatas nobilibus, sed hac dextra, « mihi tres consulatus summamque laudem peperi. « Fuit, quum hoc dici poterat: patricius enim eras, et « a liberatoribus patriæ ortus; et, eodem anno familia « ista consulatum, quo urbs hæc consulem, habuit. « Nunc jam nobis Patribus vobisque plebeiis promi- « scuus consulatus patet; nec generis, ut ante, sed « virtutis est præmium. Proinde summum quodque « spectate[6], milites, decus. Non, si mihi novum hoc « Corvi[7] cognomen, diis auctoribus, homines dedistis, « Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen « memoria excessit. Semper ego plebem romanam mi- « litiæ domique, privatus, in magistratibus parvis ma- « gnisque, æque tribunus ac consul, eodem tenore per « omnes deinceps consulatus, colo atque colui; nunc, « quod instat, diis bene juvantibus, novum atque inte- « grum de Samnitibus triumphum mecum petite. »

XXXIII. Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo. In ludo præterea militari[1], quum velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis, vincere ac vinci vultu eodem; nec quemquam asper-

5. *Non factionibus modo;* vox *modo* quæ paulo ante præcessit, illinc videtur hunc in locum temere irrepsisse. Ed. — *Per coitiones*, vide ad III, 35, n. 10. — *Fuit, quum hoc dici poterat*, etc., verba Valerii de se loquentis et gloriantis, se sua virtute, non generis nobilitate tres sibi consulatus peperisse. De sensu eorum vide ad I, 25, n. 9. — *Enim*, vide ad III, 39, n. 8. — *A liberatoribus patriæ ortus, et eodem anno*, etc. Confer II, 2 extr. — *Familia ista*, forte gens, ut II, 49 pr. si hic Valerius Corvus non a Valerio Publicola, sed a fratre ejus, M. Valerio Maximo, genus traxit, quod ex Gell. IX, 11; et Zonar. VII, 25, probabile esse, jam monuit Pigh. in Ann. ad ann. 405, 410, 452.

6. *Summum quodque spectate*, vide ad I, 34, n. 5.

7. *Si mihi novum hoc Corvi*, etc. vide ad V, 51, n. 1.

Cap. XXXIII. 1. *In ludo militari*, etc. Conf. XXIII, 35; XXVI, 50, et Lips. Mil. rom. V, 14. — *Nec quemquam aspernari parem*, adversarium; ut *par pari componere, committere*,

nari parem, qui se offerret; factis [2] benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ, quam suæ dignitatis, memor : et, quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat. Itaque universus exercitus, incredibili alacritate adhortationem prosequutus ducis, castris egreditur; prælium, ut quod maxime unquam [3], pari spe, utrinque æquis viribus, cum fiducia sui, sine contemptu hostium, commissum est. Samnitibus ferociam augebant novæ res gestæ, et paucos ante dies geminata victoria; Romanis contra quadringentorum annorum decora, et conditæ urbi æqualis victoria : utrisque tamen novus hostis curam addebat. Pugna indicio fuit quos gesserint animos; namque ita conflixerunt, ut aliquandiu in neutram partem inclinarent acies. Tum consul, trepidationem injiciendam ratus, quando vi pelli non poterant, equitibus immissis turbare prima signa ho-

comparare, offerre (IX, 17, n. 6), ut in certamine vires suas experiantur, de iis qui viribus sibi pares, si non sunt, saltem esse putant; inprimis de gladiatoribus, athletis, histrionibus, pantomimis, et oratoriis poeticisve certaminibus. Cf. IX, 17; XXI, 1, n. 1; XXII, 27, 35; XXVIII, 44; XXX, 28, n. 8; ad Juvenal. I, 162; VI, 378, 436. Hinc et *comparati* dicuntur duo collegæ, X, 15, n. 11, et XL, 46, n. 1; proprie paria gladiatorum a lanista composita.

2. *Factis benignus pro re*, secundum rationem rei, seu facti (al. rei familiaris), et rei magis, quam personæ, ratione habita. Sic *bellum nequaquam pro præsenti terrore ac vetustate gentis gloriæ* (forte *vetusta gentis gloria*, Gron.) *fuit*, his non consentaneum, minus grave, quam timebatur, neque respondens gloriæ gentis, IX, 43, n. 3; *pro tempore*, XXX, 10; *prælium atrocius, quam pro numero pugnantium*, XXI, 29; *major, quam pro numero, jactura*, XXI, 59; *latius, quam pro copiis*, XXXVI, 10; *pro copia temporis*, XXVII, 6, n. 12; *pro inopia commeatuum* (eorum ratione habita), XXXVI, 7, n. 8. Cf. X, 14, n. 14; XXV, 13, n. 1; XXV, 16, n. 11; XXV, 19, n. 9; XXVI, 41, n. 2; XXXIII, 8, n. 1. — *Suæ dignitatis memor*, v. ad III, 36, n. 8.

3. *Prælium, ut quod unquam*, scilicet commissum est, *wie nur je eins.* — *Paucos ante dies*, etc. Si de gemina victoria a Samnitibus ex Campanis reportata hic agit Livius, de quo dubitare vix licet, brevius justo videtur intervallum ab his certaminibus ad hoc tempus assignare, ut facile colligi potest ex iis quæ inter utrumque tempus acta fuisse ipse memorat. Ed. — *Utris-*

stium conatur; quos ubi nequidquam tumultuantes in spatio exiguo volvere turmas[4] vidit, nec posse aperire in hostes viam, revectus ad antesignanos legionum, quum desiluisset ex equo, « Nostrum, inquit, peditum « illud, milites, est opus; agitedum, ut me videritis, qua-« cumque incessero in aciem hostium, ferro viam fa-« cientem, sic pro se quisque obvios sternite. Illa omnia, « qua nunc erectæ micant hastæ, patefacta strage va-« sta cernetis. » Hæc dicta dederat, quum equites consulis jussu discurrunt in cornua, legionibus in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium consul invadit hostem, et, cum quo forte contulit gradum[5], obtruncat: hoc spectaculo accensi dextra lævaque, ante se quisque, memorandum prælium cient. Stant obnisi Samnites, quanquam plura accipiunt, quam inferunt, vulnera. Aliquandiu jam pugnatum erat: atrox cædes circa signa Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat; adeo morte sola vinci destinaverant animis. Itaque Romani, quum et fluere jam lassitudine vires[6] sentirent, et diei haud multum superesset, accensi ira concitant se in hostem. Tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit; tum capi, occidi Samnis; nec superfuissent multi, ni[7] nox victoriam

que tamen novus hostis curam addebat, conf. ad I, 12, n. 1.

4. *Volvere turmas,* vide ad II, 50, n. 6. — *Nostrum,* h. e. *peditum, illud est opus,* scil. turbare prima signa hostium. *Nostrum* dixit consul, qui, quum desiluisset ex equo, nunc pedes erat ipse, et peditibus se immiscuerat: *peditum* vero τῷ *nostrum* adjecit majoris perspicuitatis causa. — *Nostrum illud opus,* quo signa hostium turbare conati sumus, *peditum est,* a peditibus perfici debet; Doer.

5. *Cum quo contulit gradum,* vide ad VI, 12, n. 7. — *Accensi... quisque ciet;* melius *cient,* quod præfert Campanus et unus e nostris codd. Sic supra, *pro se quisque obvios sternite,* non *sterne* aut *sternat.* Ed. — *Fuga ab nulla dum parte erat,* v. V, 34, n. 4.

6. *Fluere lassitudine vires,* vide hoc lib. ad cap. 29, n. 3. — Sic et infra lib. XXXVIII, cap. 17, *si primum impetum, quem fervido ingenio et cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore et lassitudine membra.* Ed.

7. *Ni nox victoriam magis, quam prælium, diremisset,* vide ad VI, 8,

magis, quam prælium, diremisset. Et Romani fatebantur nunquam cum pertinaciore hoste conflictum : et Samnites, quum quæreretur quænam prima causa tam obstinatos movisset in fugam, *oculos sibi Romanorum ardere visos,* aiebant, *vesanosque vultus, et furentia ora : inde plus, quam ex alia ulla re, terroris ortum;* quem terrorem non pugnæ solum eventu, sed nocturna profectione, confessi sunt. Postero die, vacuis hostium castris Romanus potitur : quo se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit.

XXXIV. Cæterum hoc gaudium magna prope clade in Samnio fœdatum est; nam ab Saticula profectus Cornelius consul exercitum incaute in saltum, cava valle pervium [1], circaque insessum ab hoste, induxit : nec prius, quam recipi tuto signa non poterant, imminentem capiti hostem vidit. Dum id moræ Samnitibus est, quoad totum in vallem infimam demitteret agmen, P. Decius tribunus militum conspicit unum editum in saltu collem [2], imminentem hostium castris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. Itaque consuli territo animi, « Videsne tu, inquit, « A. Corneli, cacumen illud supra hostem? arx illa est « spei salutisque nostræ, si eam, quam cæci reliquere « Samnites, impigre capimus. Ne tu mihi plus, quam

n. 3. — *Oculos sibi Romanorum ardere visos,* etc. conf. ad VI, 13, n. 1. Illud responsum alio tempore a Samnitibus datum tradit Florus, I, 16, 12; ubi vide Duk. — *Se effudit,* vide ad I, 14, n. 7.

Cap. XXXIV. 1. *In saltum, cava valle pervium,* etc. conf. ad III, 8, n. 6. — *Quoad totum in vallem infimam demitteret agmen,* sc. Cornelius consul; nisi malis : *demitteret,* scil. se *agmen* (vide ad II, 3, n. 2), vel leg. *demitteretur.* Ex aliquot MSS *demitterent* recepere Gron. et Drakenb. qui perperam hoc verbum ad Samnites referunt.

2. *Unum editum in saltu collem,* v. ad III, 55, n. 13. — *Arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem,* vide ad V, 16, n. 2. — *Consuli territo animi,* v. ad III, 26, n. 8. — *Arx spei salutisque,* vide ad III, 45, n. 9. — *Cæci reliquere Samnites,* scil. incauti, improvidi, vide ad IX, 5, n. 4.

« unius legionis principes hastatosque, dederis; cum « quibus ubi evasero in summum, perge hinc omni liber « metu, teque et exercitum serva: neque enim moveri « hostis, subjectus[3] nobis ad omnes ictus, sine sua per- « nicie poterit. Nos deinde aut fortuna[4] populi romani, « aut nostra virtus expediet. » Collaudatus ab consule, accepto præsidio, vadit occultus per saltum; nec prius ab hoste est visus, quam loco, quem petebat, appropinquavit. Inde admiratione paventibus cunctis, quum omnium in se vertisset oculos, et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum, et ipse in summo constitit vertice. Samnites, dum huc illuc signa vertunt, utriusque rei amissa occasione[5], neque insequi consulem, nisi per eamdem vallem, in qua paulo ante subjectum eum telis suis habuerant, possunt; nec erigere agmen in captum super se ab Decio tumulum. Sed quum ira in hos magis, qui fortunam gerendæ rei eripuerant[6], tum propinquitas loci, atque ipsa paucitas incitat; et nunc circumdare undique collem armatis volunt, ut a consule Decium intercludant; nunc viam patefacere, ut degressos in vallem adoriantur; incertos, quid agerent, nox oppressit.

3. *Hostis subjectus*, expositus, patens, *nobis ad omnes ictus*, ut XXVI, 46, n. 1; proprie omni ictui, ut mox *telis*. Conf. ad XLI, 24, n. 4. Sic et mox *subjectum eum telis suis habuerant;* et *subjectum habere hostem*, sc. hastis, XXXVI, 18; et *expositus ad convicia* apud Suet. Cæs. 49.

4. *Nos fortuna populi romani* (cf. ad VI, 30, n. 3) *expediet* difficultatibus, periculo liberabit, ut *explicare*, et contra *impedire* et *implicare :* vel expeditum, h. e. liberum iter dabit, ut contra *impedimur* obstante turba. Conf. IX, 9, n. 11.

5. *Utriusque rei amissa occasione*, omissa, dimissa, ut XXIX, 31; XXX, 24, al. vide Drak. et cf. ad Tac. Ann. XIII, 46, n. 7. — Codd. quidam et edd. *omissa;* restituit *amissa* Jac. Gronovius; et sic Pall. I et III, Camp. melius: non tantum huc illuc signa vertendo opportunam occasionem *omiserunt*, id est, ea usi non sunt, sed eamdem etiam *amiserunt*, adeo ut, licet quam maxime vellent, tamen nunc uti non possent. Cf. IX, 12, et XXXI, 36, ubi similiter variant codd. Ed.

6. *Qui fortunam... eripuerant*, opportunitatem rei feliciter gerendæ.

Decium primum spes tenuit, cum subeuntibus in adversum collem ex superiore loco se pugnaturum : deinde admiratio incessit, quod nec pugnam inirent, nec, si ab eo consilio iniquitate loci deterrerentur, opere se valloque circumdarent. Tum centurionibus ad se vocatis : « Quænam illa inscitia belli ac pigritia « est? aut quonam modo isti ex Sidicinis Campanisque « victoriam pepererunt? Huc atque illuc signa moveri, « ac modo in unum conferri, modo educi videtis; opus « quidem incipit nemo, quum jam circumdati vallo po- « tuerimus esse. Tum vero nos similes istorum simus, « si diutius hic moremur, quam commodum sit. Agite- « dum, ite mecum, ut, dum lucis aliquid superest, qui- « bus locis præsidia ponant, qua pateat hinc exitus, « exploremus. » Hæc omnia sagulo gregali [7] amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit.

XXXV. Vigiliis deinde dispositis, cæteris omnibus tesseram dari jubet [1] : *ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset* [2], *armati cum silentio ad se conve-*

7. *Sagulo gregali*, vide Lips. Mil. rom. II, 12. Quomodo tamen hoc a sago ducum diversum fuerit, nemo docuit.

Cap. XXXV. 1. *Tesseram dari jubet*, ξυλήφιον, vel generalius σύνθημα, tacitum signum militibus datum, gallice *bulletin*, nos: *bei der Parole die Ordre ausgeben*, Stroth. Nam *signum*, vel *vocale* erat, tuba, aut classico, aut cornu datum, vel *tacitum*, inscriptum, seu insculptum *tesseræ*, brevi ligno. Hoc inde *tessera* dicebatur, dabaturque sæpius, ut lateret hostem, neque ab eo exaudiretur. Sic inf. XXXIX, 30, n. 3, et apud Sil. XV, 475, *tacitum dat tessera signum*, etc. Conf. infra ad XXVIII, 24, n. 6; ad Tacit. Ann. I, 7, n. 15, et ad Sil. VII, 347, ubi Drak. (ut et infr. ad IX, 32, n. 3) monuit, *tesseras* duplicis olim generis ususque fuisse, primi, ut iis milites in pugna se internoscerent, neque vigiles fraude hostium circumvenirentur, alterius (ut IX, 32, n. 3), τὰ παραγγέλματα et διατάγματα, quibus dux militibus significaverit, quid voluerit fieri. Conf. Lips. Mil. rom. V, 9.

2. *Ubi secundæ vigiliæ buccina* (seu rectius *bucina*) *datum signum esset:* ante mediam noctem, priusquam tertia erat vigilia. Quatuor Romanis erant tum *vigiliæ*, tum *excubiæ*, et quælibet trium horarum, quæ a *buccinatore* aut tibicine committi, et a cornicine finiri ac revocari solebant. Conf. Ind. et ad

nirent. Quo ubi, sicut edictum erat, taciti convenerunt, « Hoc silentium, milites, inquit, omisso militari « assensu, in me audiendo servandum est. Ubi sententiam meam vobis peregero, tum, quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis: quæ pars « major erit, eo stabitur consilio. Nunc, quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic « vos circumvenit hostis; virtute cepistis locum; virtute « hinc oportet evadatis. Veniendo huc exercitum egregium populi romani servastis; erumpendo hinc vosmet ipsos servate; digni estis, qui pauci pluribus opem « tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoste « res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non ante viderit, « quam captum a nobis; nos tam paucos tot ipsi millibus « hominum nec ascensu arcuerint, nec tenentes locum, « quum diei tantum superesset, vallo circumdederint; « quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum « oportet fallatis; imo necesse est; in eo enim loco[3] res

XXVIII, 27, n. 9; ad Sil. VII, 154 sq. Hinc et XXVI, 15, n. 3, *ad tertiam buccinam*, h. e. sonitum ejus, signum ea datum. Cæterum *in stationes ac vigilias in ordinem ibatur* (XXVIII, 24, n. 6), ordine per singulos manipulos a quaternis militibus, ita ut in quavis legione, in qua triginta manipuli erant, excubarent centum et viginti homines; vide Lips. Milit. rom. V, 9. — *Omisso militari assensu*, vide Lips. Mil. rom. IV, 9. — *Ubi sententiam meam vobis peregero*, vide ad I, 18, n. 9. — *Quæ pars major erit*, scilicet consilii alicujus (ita Doer. qui primum tentaverat *cujus pars*, etc.), nisi potius cum Gronovio supplendum: quod illa sequuta fuerit, *eo stabitur consilio* (vide ad III, 36, n. 11); ut ap. Plaut. Curcul. II, 1, 35: *Quod eis respondi*, quæ ejus responsi sententia est, *ea omnes stant sententia*. — *Tot ipsi millibus hominum;* elegantius est quod subjicit Jac. Gronovius: *tot ipsi millia hominum*. Sic XXVIII, 28, *propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro securi percussa sunt*. Ibidemque, *vos octo millia hominum*. Nec rejicienda conjectura est; nam, ut observat, vox *millia* per epitomen scripta fuerat, in qua exponenda facillime error comitti potuit. Ed.

3. *In eo enim loco res sunt nostræ*, verba *enim loco* a quibusdam MSS absunt, prob. Gron. Cf. ad II, 17, n. 2.

« sunt nostræ, ut vobis eo magis necessitatis vestræ in« dex, quam consilii auctor, sim; neque enim maneatis, « an abeatis hinc, deliberari potest; quum, præter arma « et animos armorum memores, nihil vobis fortuna « reliqui fecerit, fameque et siti moriendum sit, si plus, « quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo « una est salus erumpere hinc atque abire; id aut in« terdiu aut nocte faciamus, oportet. Ecce autem aliud « minus dubium; quippe si lux exspectetur, quæ spes « est, non vallo perpetuo fossaque nos septurum ho« stem? qui nunc corporibus suis subjectis[6] undique « cinxerit, ut videtis, collem. Atqui, si nox opportuna « est eruptioni, sicut est, hæc profecto noctis aptissima « hora est. Signo secundæ vigiliæ convenistis, quod « tempus mortales somno altissimo premit. Per corpora « sopita vadetis; vel silentio incautos fallentes, vel sen« tientibus clamore subito pavorem injecturi. Me modo « sequimini, quem sequuti estis; ego eamdem, quæ duxit « huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria videntur, « agitedum, in dextram partem pedibus transite. »

XXXVI. Omnes transierunt, vadentemque per intermissa[1] custodiis loca Decium sequuti sunt. Jam evaserant media castra, quum superscandens vigilum strata somno corpora miles offenso scuto præbuit sonitum; quo excitatus vigil quum proximum movisset, erectique alios concitarent, ignari cives an hostes essent, præsidium erumperet, an consul castra cepisset: Decius, quum non fallerent[2], clamorem tollere

4. *Corporibus suis subjectis,* vide ad VII, 24, n. 5, et Brisson. de Formul. lib. II, pag. m. 183. Ed.

Cap. XXXVI. 1. *Per intermissa,* neglecta, non obsessa *custodiis* hostium *loca,* ut XXIV, 35. Conf. XXIII, 17, n. 2, et XXXIV, 37 extr. ubi conf. cap. seq. — *Strata somno* (cas. tert., ut XXXVII, 20, et ap. Virg. Georg. IV, 432) *corpora,* hoc est, somni capiendi causa; Doering. — *Præsidium erumperet* romanum.

2. *Decius, quum non fallerent* amplius hostem et laterent, etc. — *Tor-*

jussis militibus, torpidos somno insuper pavore exanimat; quo præpediti, nec arma impigre capere, nec obsistere, nec insequi poterant. Inter trepidationem tumultumque Samnitium, præsidium romanum, obviis custodibus cæsis, ad castra consulis pervadit. Aliquantum supererat noctis, jamque in tuto videbantur esse, quum Decius, « Macti virtute, inquit, milites romani, este; vestrum iter ad reditum omnia sæcula laudibus ferent. Sed ad conspiciendam tantam virtutem « luce ac die opus est; nec vos digni estis, quos cum « tanta gloria in castra reduces silentium ac nox tegat; « hic lucem quieti opperiamur. » Dictis obtemperatum : atque ubi primum illuxit, præmisso nuntio ad consulem in castra, ingenti gaudio concitantur[3]; et, tessera data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent, pro se quisque obviam effusi, laudant, gratulantur, singulos universosque servatores suos vocant; diis laudes gratesque agunt; Decium in cælum ferunt. Hic Decii castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, et omni honore tribunum consuli æquantibus. Ubi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem convocat[4] : orsusque meritas Decii laudes, interfante ipso Decio, distulit concionem : qui auctor omnia posthabendi, dum occasio in manibus esset, perpulit consulem, ut hostes, et nocturno pavore at-

pidos somno : male edidit Camp. *trepidos somno.* Cf. XXV, 28, *tum inter tot torpidos somno paventesque ad nec opinatum tumultum, et inermes in cubilibus suis oppressos illa cædes edatur.* Ubi fere eadem noster exhibet; sic *stupore torpidus* inf. XXII, 53. Ed.— *Macti virtute este*, v. II, 12, n. 10.

3. *Ingenti gaudio concitantur*, et implentur, scil. castra, nisi cum Gronovio leg. *ad consulem, castra ingenti gaudio concitantur : et tessera data, incolumes reverti, qui... objecissent*, vide ad cap. 35, n. 1.

4. *Consul classico ad concionem convocat*, vide ad XXVIII, 27, n. 9.

tonitos, et circa collem castellatim dissipatos [5], aggrederetur; credere etiam aliquos, ad se sequendum emissos, per saltum vagari. Jussæ legiones arma capere: egressæque castris, quum per exploratores notior jam saltus esset, via patentiore ad hostem ducuntur; quem incautum improviso adortæ, quum palati passim Samnitium milites, plerique inermes, nec coire in unum, nec arma capere, nec recipere intra vallum se possent, paventem primum in castra compellunt: deinde castra ipsa, turbatis stationibus, capiunt. Perfertur circa collem clamor: fugatque ex suis quemque præsidiis. Ita magna pars absenti hosti cessit; quos intra vallum egerat pavor, (fuere autem ad triginta millia) omnes cæsi; castra direpta.

XXXVII. Ita rebus gestis, consul, advocata concione, P. Decii non cœptas solum ante [1], sed cumulatas nova virtute laudes peragit; et præter militaria alia dona, aurea corona eum, et centum bubus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus, donat. Milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bubus binisque privis tunicis donati [2]. Secundum consulis donationem, legiones gramineam coronam obsidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt;

5. *Circa collem castellatim dissipatos*, vide ad V, 5, n. 2.

Cap. XXXVII. 1. *P. Decii cœptas ante* (vide cap. 36)... *laudes peragit*, vide I, 18, n. 10. — *Centum bubus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus donat*, vide ad IV, 16, n. 2.

2. *Binisque privis tunicis donati*, propriis, vel præcipuis; Drakenb. et Stroth. coll. Horat. Sat. II, 5, n. 11. *Privi*, h. e. singuli, conj. Scheller. in Lex. lat. Conf. X, 30 extr. — Potest exponi: quæ suæ cujusque ac propriæ forent. Sic Hor. Ep. lib. I, 1, 93, *quem ducit priva triremis*. Sed quum hæc vox necessaria non sit hoc loco, eamque ignorent quinque e nostris scriptis, eam libenter deleremus. Ed. — *Secundum*, post, *consulis donationem, legiones gramineam coronam obsidionalem Decio imponunt*, quæ omnium prima et dignissima erat (nam in donis militaribus magis honos, quam pretium spectabatur, de quo vide Cic. Phil. V,

altera corona, ejusdem honoris index, a præsidio suo imposita est. His decoratus insignibus bovem eximium Marti immolavit; centum boves militibus dono dedit, qui secum in expeditione fuerant; iisdem militibus legiones libras farris et sextarios vini contulerunt : omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur. Tertia pugna ad Suessulam commissa est; qua fugatus a M. Valerio Samnitium exercitus, omni robore juventutis domo accito, certamine ultimo fortunam experiri statuit. Ab Suessula nuntii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem, opem oratum, veniunt. Confestim signa mota; relictisque impedimentis castrorum valido præsidio, raptim agitur agmen : nec procul ab hoste locum perexiguum (ut quibus, præter equos, cæterorum jumentorum calonumque turba abesset) castris cepit. Samnitium exercitus, velut haud ulla mora pugnæ futura esset, aciem instruit : deinde, postquam nemo obvius ibat, infestis signis ad castra hostium succedit; ibi ut militem in vallo vidit, missique ab omni parte exploratum, quam in exiguum orbem [3] contracta castra essent, paucitatem inde hostium colligentes, retulerunt; fremere omnis acies, complendas esse fossas scindendumque vallum, et in castra irrumpendum; transactumque ea

13-17), eique dono dabatur, qui universum exercitum, vel magnam ejus partem *obsidione* liberasset; unde etiam *altera corona* obsidionalis *a præsidio*, quod et ipse servaverat, *imposita est.* Conf. loca class. Dionys. X, 37; Gell. V, 6; Plin. XXII, 4, 5 (qui etiam *centum boves Marti immolatos* fuisse a Decio dicit). — Observat Plinius loc. cit. cæteras coronas ab imperatore militibus dari solitas, obsidionalem solam a militibus imperatori. Ed. — *Militibus legiones libras farris,* etc., scil. singulis singulas. Conf. Gronov. ad IV, 15, et Cujac. Obss. IX, 37. — *Sextarios vini. Sextarius* est sexta pars congii, proindeque capiebat plus sexdecim vini uncias. Vide Crever. disputat. de ponderibus et mensur. præfationi subjunctam. Ed.

3. *Quam in exiguum orbem... retulerunt* junge.

temeritate bellum foret, ni duces continuissent impetum militum. Cæterum, quia multitudo sua commeatibus gravis[4], et prius sedendo ad Suessulam, et tum certaminis mora, haud procul ab rerum omnium inopia esset, placuit, dum inclusus paveret hostis, frumentatum per agros militem duci; interim et Romano, qui expeditus, quantum humeris inter arma geri posset frumenti, secum adtulisset, defutura omnia. Consul palatos per agros quum vidisset hostes, stationes infrequentes relictas, paucis milites adhortatus, ad castra oppugnanda ducit; quæ quum primo clamore atque impetu cepisset, pluribus hostium in tentoriis suis, quam in portis valloque, cæsis, signa captiva in unum locum conferri jussit: relictisque duabus legionibus custodiæ et præsidii causa[5], gravi edicto monitis, ut, donec ipse revertisset, præda abstinerent; profectus agmine instructo, quum præmissus eques velut indagine dissipatos Samnites[6] ageret, cædem ingentem fecit; nam neque quo signo coirent inter se, neque, utrum castra peterent, an longiorem in-

4. *Quia multitudo sua commeatibus gravis esset*, non facile tantum commeatus advehi posset, quantum satis esset ingenti multitudini. Cf. ad XXII, 14, n. 3. — *Sedendo ad Suessulam*, ut passim *sedere*, *assidere* (vide ad XXIII, 19, n. 3), *stare*, ἧσθαι et καθῆσθαι pro: tempus inutiliter consumere, seu perdere, nihil agere, negligentem, ignavum, otiosum esse. Cf. IX, 3, n. 4; XXI, 48, n. 8; XXII, 3, n. 14, et ad Sil. III, 142; VII, 151; X, 597. Sic et passim Fabius *sedere* dicitur, at XXII, 24, in laudem pro: considere in altis locis et castris.

5. *Relictisque duabus legionibus custodiæ causa*, qui integer est consularis exercitus. Hinc Jac. Gron. recte, opinor, emend. *duabus cohortibus*, vel *duobus millibus*.

6. *Dissipatos Samnites*, palatos per agros, *ageret velut indagine* clausos et circumdatos. « *Indago* non tantum retibus, cassibus et plagis constabat, sed etiam *formidine*, hoc est, innexis indagini variarum avium pennis plumisque, quæ formidinem injiciant feris, et efficiant ne propius accedere audeant, aut transcendere, vel alio modo evadere conentur: pro tali autem formidine Livius voce *indagine* non usus est hoc loco, ubi Duk. jam recte monuit, non conjungenda esse *indagine dissipatos*, sed *ind. ageret*: nam *indagine* et formidine non dissipari, sed claudi feras, ut evadere non possint »;

tenderent fugam, territis constare poterat. Tantumque fugæ ac formidinis fuit, ut ad quadraginta millia scutorum, nequaquam tot cæsis, et signa militaria cum iis, quæ in castris capta erant, ad centum septuaginta ad consulem deferrentur. Tum in castra hostium reditum : ibique omnis præda militi data.

XXXVIII. Hujus certaminis fortuna et Faliscos, quum in induciis essent[1], fœdus petere ab senatu coegit; et Latinos, jam exercitibus comparatis, ab Romano in Pelignum vertit bellum. Neque ita rei gestæ fama Italiæ se finibus tenuit: sed Carthaginienses quoque legatos gratulatum Romam misere cum coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Jovis cella poneretur; fuit pondo viginti quinque. Consules ambo de Samnitibus triumpharunt, sequente Decio insigni cum laude donisque; quum incondito militari joco haud minus tribuni celebre nomen, quam consulum, esset. Campanorum deinde Suessanorumque auditæ legationes[2] : precantibusque datum, ut præsidium eo in hiberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur. Jam tum minime salubris militari disciplinæ, Capua[3] instrumento omnium voluptatium delenitos militum animos avertit a memoria patriæ; inibanturque consilia in hibernis eodem scelere adimendæ Campanis Capuæ, per quod illi eam antiquis cultoribus ademissent : *neque immerito suum ipsorum exemplum*

Drak. Confer ad Sil. II, 419; XIII, 141; ad Tac. Ann. XIII, 42, n. 6; Duk. ad Florum, III, 6, 11; Barth. ad Grat. Cyn. 75; Vlit. ad Nemes. Cyn. 308.

Cap. XXXVIII. 1. *Quum in induciis essent*, ut fere IX, 9. Confer supra cap. 22. — *In Capitolio in Jovis cella*, vide ad III, 17, n. 3, et III, 19, n. 11. — *In Junonis cella* 3 MSS non male, quoniam eadem Juno præcipua religione culta fuit Carthagine.

2. *Suessanorumque auditæ legationes*, immo *Suessulanorumque*, a *Suessula*, ad quam pugnatum est; Sigon.

3. *Jam tum minime salubris militari disciplinæ Capua*, ut postea, quum Hannibalis ibi exercitus corrumperetur. — *Voluptatium*, vide Drak. — *Per quod... ademissent*, vide supr. IV, 37

in eos versurum. Cur autem potius Campani agrum Italiæ uberrimum, dignam agro urbem, qui nec se, nec sua tutari possint, quam victor exercitus haberet, qui suo sudore ac sanguine inde Samnites depulisset? An æquum esse, deditittios suos illa fertilitate atque amœnitate perfrui; se, militando fessos, in pestilente atque arido circa Urbem solo luctari, aut in Urbe insidentem tabem crescentis in dies feneris[4] *pati?* Hæc agitata occultis conjurationibus, necdum vulgata in omnes consilia, invenit novus consul C. Marcius Rutilus, cui Campania sorte provincia evenerat, Q. Servilio collega ad Urbem relicto. Itaque quum omnia ea, sicut gesta erant, per tribunos comperta haberet, et ætate et usu doctus, quippe qui jam quartum consul esset, dictatorque et censor fuisset, optimum ratus, differendo spem, quandocunque vellent, consilii exsequendi, militarem impetum frustrari; rumorem dissipat, in iisdem oppidis et anno post præsidia hibernatura: divisa enim erant per Campaniæ urbes, manaverantque a Capua consilia in exercitum omnem. Eo laxamento cogitationibus dato[5], quievit in præsentia seditio.

XXXIX. Consul, educto in æstiva milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus[1] turbulentorum hominum instituit, aliis emerita di-

pr. — *Exemplum in eos versurum* se, versum iri. Confer ad II, 3, n. 2, et ad Tac. An.VI, 10, n. 6. Verbo *luctari* indicatur difficultas qua laborabant agri romani cultores, ut in morbida ac sterili regione victum compararent. Ita cum finitimis *luctantur*, qui difficile bellum cum iis gerunt et se vix tuentur. Similiter vero, ut hoc loco, Plinius XVIII, 5: *Malus est ager, cum quo dominus luctatur.* Ed.

4. *Tabem crescentis in dies feneris,* vide ad II, 23, n. 6.

5. *Eo laxamento cogitationibus dato,* vide ad II, 24, n. 4.

Cap. XXXIX. 1. *Exercitum purgare missionibus,* etc. quæ *missio* erat vel *honesta* (scilicet *emeritis stipendiis*), vel *causaria* scilicet ægrotorum, debilium, *gravium ætate* aut *viribus parum validorum*, vel *gratiosa* (vide ad XLIII, 14, n. 6), vel *justa* (vide

cendo stipendia esse, alios graves jam ætate, aut viribus parum validos; quidam in commeatus mittebantur, singuli primo, deinde et cohortes quædam, quia procul ab domo ac rebus suis hibernassent. Per speciem etiam militarium usuum, quum alii alio mitterentur, magna pars ablegati; quam multitudinem consul alter Romæ, prætorque, alias ex aliis fingendo moras, retinebat. Et primo quidem, ignari ludificationis, minime inviti domos revisebant; postquam neque reverti ad signa primos, nec ferme alium, quam qui in Campania hibernassent, præcipueque ex iis seditionis auctores mitti viderunt; primum admiratio, deinde haud dubius timor incessit animos, consilia sua emanasse : *jam quæstiones, jam indicia, jam occulta singulorum supplicia, impotensque et crudele consulum ac Patrum in se regnum*[2] *passuros*. Hæc, qui in castris erant, occultis sermonibus serunt, nervos conjurationis ejectos arte consulis cernentes. Cohors una, quum haud procul Anxure esset, ad Lautulas[3] saltu angusto inter

ad XLIII, 15, n. 4), vel *injusta*, vel *ignominiosa*. Confer ad III, 57, n. 5; IV, 26, n. 7; Lips. de Mil. rom. V, 19; Salmas. ad jus Att. et Rom. cap. 21, pag. 423. — *Quidam in commeatus mittebantur*, dimittebantur ab exercitu. Confer ad I, 57, n. 2. — In quæ cuique liberet loca, dato commeatu. — *Jam quæstiones, jam indicia*. Quæstio est capitis judicium. Itaque male hic olim legebatur *judicia;* moniti a Gronovio, qui in optimis quibusque scriptis edi testatur *indicia*, assentientibus tribus regiis, hanc vocem reposuimus. Intellige cum eodem Gronov. *indicia* et insontium, qui aliquid comperissent, et magis proprie illorum, qui ejusdem culpæ conscii, fide publica data, alios indicarent. Ed.

2. *Impotensque et crudele regnum*, vide ad III, 36, n. 2. — *Hæc occultis sermonibus serunt*, al. *ferunt*. Confer ad III, 43, n. 2. — *Nervos conjurationis*, ejus auctores, in quibus omnes *nervi*, hoc est, vis et robur, *ejectos*, ut fere *nervos virtutis elidere* apud Cic. Tusc. Qu. II, 11. Puteanus ingeniose suspicabatur *exsectos*, ut *nervos exsecare reip.* apud Cic. Agr. II, 33; et *incidere* infra XXXVII, 42. Ita tropus continuatur: quanquam Livius non semper in troporum continuatione sui memor est, ut XXXI, 44; ubi *moderari* et *effundere* non satis sibi respondent; Ern. Græci eadem metaphora ἐκτέμνειν τὰ νεῦρα et νευροκοπεῖν dicunt; Duk.

3. *Haud procul Anxure, ad Lau-*

mare ac montes consedit, ad excipiendos, quos consul aliis atque aliis, ut ante dictum est, causis mittebat. Jam valida admodum numero manus erat; nec quidquam ad justi exercitus formam, præter ducem, deerat; incompositi itaque prædantes in agrum albanum perveniunt, et sub jugo Albæ Longæ castra vallo cingunt. Perfecto inde opere, reliquum diei de imperatore sumendo sententiis decertant, nulli ex præsentibus satis fidentes. *Quem autem ab Roma posse exciri? quem*[4] *Patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens offerat, aut cui ex injuria insanientis exercitus causa recte committatur?* Postero die, quum eadem deliberatio teneret, ex prædatoribus vagis quidam compertum adtulerunt, T. Quintium in Tusculano agrum colere, Urbis honorumque immemorem. Patriciæ hic vir gentis erat: cui quum militiæ, magna cum gloria actæ, finem pes alter ex vulnere claudus fecisset, ruri agere vitam procul ambitione ac foro constituit. No-

tulas (oppidulum, vel saltus in Latio inter Anxur et Fundos) *saltu angusto inter mare ac montes*, vide ad IV, 59, n. 2; et XXII, 15, n. 6. Λαυστόλας vocat Diodor. XIX, p. 711. Locum forte a lavando dictum monet Drak. ut alium Romæ, vel extra Urbem; vide Fest. et Varr. L. L. IV, p. 37.

4. *Quem Patrum aut plebis esse, qui aut se tanto periculo sciens* et ultro *offerat*, ducem si insanientis exercitus se profiteatur, *aut cui insanientis exercitus causa recte*, sine periculo, *committatur ex injuria* (ut contra *ex jure*), si ad imperium ductumque ejus suscipiendum cogatur vi et injuria, Stroth. qui conferebat formulas *ex edicto bellum gerere* 1, 27, *ex lege*, *ex Senatusconsulto*, *ex auctoritate senatus*, *ex præceptis*, *ex sententia*, etc., et verba mox seqq. *parum spei erat, voluntate quidquam facturum; vim adhiberi ac metum placuit.* Sed expeditior videtur ratio eorum, qui jungunt *causa exercitus ex injuria insanientis*, hoc est, propter acceptam injuriam exacerbati et furentis, ut apud Terent. Ad. II, 1, n. 43; *minime miror, qui insanire occipiunt ex injuria.* Confer ad XXXIII, 18, n. 6; XXV, 26, n. 7; XXVI, 45, n. 1; XXXI, 36, n. 3. Quænam vero illa injuria fuerit, utrum ludificatio illa, qua consul missionibus turbulentorum hominum consilium Capuæ Campanis adimendæ impediverit, an potius alia nobis ignota, quod ex cap. 41, 42, probabile fit, non satis liquet. Omnino dolemus, historiam hujus conjurationis, quæ admodum memorabilis est, parum perspicue tradi a Livio iisque, quos consuluit; vide cap. 42. Nota

mine audito, extemplo agnovere virum : et, quod bene verteret [5], acciri jusserunt : sed parum spei erat, voluntate quidquam facturum; vim adhiberi ac metum placuit. Itaque silentio noctis, quum tectum villæ, qui ad id missi erant, intrassent, somno gravem Quintium oppressum, nihil medium, aut imperium atque honorem, aut, ubi restitaret, mortem, ni sequeretur, denuntiantes, in castra pertraxerunt. Imperator extemplo adveniens appellatus; insigniaque honoris exterrito subitæ rei miraculo deferunt, et ad Urbem ducere jubent. Suo magis inde impetu, quam consilio ducis, convulsis signis, infesto agmine ad lapidem octavum viæ [6], quæ nunc Appia est, perveniunt : issentque confestim ad Urbem, ni venire contra exercitum, dictatoremque adversus se M. Valerium Corvum dictum audissent, et magistrum equitum L. Æmilium Mamercinum.

XL. Ubi primum in conspectum ventum [1] est, arma signaque agnovere; extemplo omnibus memoria patriæ iras permulsit. Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem, nec, præter externa, noverant bella :

Dukeri est : « At his injuria nulla facta, verum ab ipsis orta erat. Forte del. τὸ *ex :* nam quia sibi conscii sunt, se *injuria,* id est, sine causa et ratione, insanire, desperant se patronum inventuros. Nisi Livius significet, hos ex eo genere fuisse, qui, quum injuriam aliis fecerint, idque intelligi videant, ipsi ultro, quasi injuria accepta, expostulant, ut apud Terentium, Ad. IV, 3, n. 3. »

5. *Quod bene verteret,* vide ad I, 28, n. 1. — *Nihil medium,* tertium, præter hæc duo (vide ad I, 32, n. 5), *aut imperium atque honorem, aut, ubi restitaret,* quum resisteret, postquam repugnaverat, *mortem, ni sequeretur, denuntiantes :* nisi leg. *honorem, si sequeretur, aut, ubi restitaret, mortem denuntiantes,* vel verba *ni sequeretur,* tanquam interpretamentum τῶν *ubi restitaret,* plane delenda sunt.

6. *Ad lapidem octavum viæ, quæ nunc Appia est,* vide ad VII, 29, n. 5, *via* MSS quidam, ut II, 11; III, 6; V, 49; VII, 9 al. Sed Livium forte vitare voluisse quintum ablativum, suspicabatur Stroth.

Cap. XL. 1. *Ubi primum in conspectum ventum, et arma,* etc. emend. J. Fr. Gron. Confer ad II, 39, n. 10. — *Nondum erant tam fortes ad sanguinem civilem* profundendum, ut posteri eorum. Confer ad III, 20, n. 6.

ultimaque rabies secessio ab suis habebatur. Ita jam duces, jam milites utrinque, congressus quærere ad colloquia. Quintius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum adversus patriam; Corvus, omnes caritate cives, præcipue milites, et ante alios suum exercitum, complexus, ad colloquium processit. Cognito ei extemplo haud minor ab adversariis verecundia, quam ab suis, silentium datum : « Deos, in« quit, immortales, milites, vestros publicos meosque, « ab Urbe proficiscens, ita adoravi, veniamque sup« plex poposci, ut mihi de vobis concordiæ partæ « gloriam, non victoriam darent. Satis fuit[2] eritque, « unde belli decus pariatur : hinc pax petenda est. « Quod deos immortales inter nuncupanda vota ex« poposci, ejus me compotem voti vos facere potestis; « si meminisse vultis, non vos in Samnio, nec in Vol« scis, sed in romano solo castra habere; si illos colles, « quos cernitis, patriæ vestræ esse; si hunc exercitum « civium vestrorum; si me consulem vestrum, cujus « ductu auspicioque priore anno bis legiones Samni« tium fudistis, bis castra vi cepistis. Ego sum M. Va« lerius Corvus, milites, cujus vos nobilitatem bene« ficiis erga vos, non injuriis, sensistis; nullius superbæ « in vos legis, nullius crudelis senatus consulti auctor; « in omnibus meis imperiis in me severior, quam in « vos. Ac si cui genus, si cui sua virtus, si cui etiam

— *Haud minor ab adversariis verecundia, quam ab suis silentium*, etc.; habet Leid. I, *haud minor ejus adversariis*, quæ lectio tanto verisimiliorem efficit Perizonii conjecturam : *haud minore ab adversariis verecundia, quam ab suis, silentium datum.* Certe ut orationem in medium inter duas acies progressus haberet, haud minus ab adversariis, quam ab suis silentium datum oportuit; et quidem tanto magis ab adversariis, quod eos proprie allocutus sit. Et quid, quæso, est, *dare alicui verecundiam?* Durum sane et inusitatum loquendi genus. Si *minore* vel ab uno codice confirmaretur, in contextum optimo jure recipiendum esset. Ed.

2. *Satis fuit eritque*, scilicet hostium. . . *hinc*, a vobis.

« majestas, si cui honores subdere spiritus potuerunt, « iis eram natus, id specimen mei dederam, ea ætate « consulatum adeptus eram [3], ut potuerim, tres et vi- « ginti annos natus, consul patribus quoque ferox « esse, non solum plebi. Quod meum factum dictumve « consulis gravius, quam tribuni, audistis? eodem « tenore duo insequentes consulatus gessi, eodem hæc « imperiosa dictatura geretur, ut neque in hos meos « et patriæ meæ milites mitior, quam in vos, horreo « dicere, hostes. Ergo vos prius in me strinxeritis « ferrum, quam in vos ego. Istinc signa canent [4], istinc « clamor prius incipiet atque impetus, si dimicandum « est. Inducite in animum, quod non induxerunt pa- « tres avique vestri; non illi, qui in Sacrum montem « secesserunt; non hi, qui postea Aventinum insede- « runt. Exspectate, dum vobis singulis, ut olim Co- « riolano, matres conjugesque crinibus passis obviæ « ab Urbe veniant. Tum Volscorum legiones, quia ro- « manum habebant ducem, quieverunt; vos, romanus « exercitus, ne destiteritis impio bello? T. Quinti, « quocumque istic loco, seu volens, seu invitus, con- « stitisti, si dimicandum erit, tum tu in novissimos « te recipito : fugeris etiam honestius, tergumque civi « dederis, quam pugnaveris contra patriam. Nunc ad « pacificandum bene atque honeste inter primos sta-

3. *Ea ætate consulatum adeptus eram*, confer ad II, 29, n. 6. — *Eodem hæc imperiosa dictatura geretur; ut neque*, etc. sensus est : ita geram dictaturam, ut non minus me mitem præbeam in patriæ meæ milites, quam in vos, si hostes, quod dicere horreo, eritis, *hostilem*. Sic ad libr. VI, 18 : *Quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversus unum hostem eritis*. An *clientes?* imo *hostes*. Nec incognita ea negligentia, ex sermone quotidiano adscita, Græcis; vide Plat. Apol. 36 I, et Walch. Emend. Ed.

4. *Istinc* (a vestra parte) *signa canent*, ut al. *classicum canit*, vel *tuba* et *signa concinunt* IX, 32; XXX, 5; hoc est, canuntur, resonant. Confer ad IX, 41, n. 10; et XXVIII, 27, n. 9. Sic et *bellicum cani* XXXV, 18, n. 4, scilicet signum, tuba datum, quo milites ad prælîandum excitantur.

« bis, et colloquii hujus salutaris interpres[5] fueris. « Postulate æqua, et ferte : quanquam vel iniquis « standum est potius, quam impias inter nos conseramus manus. » T. Quintius plenus lacrymarum, ad suos versus, « Me quoque, inquit, milites, si quis usus « mei est, meliorem pacis, quam belli, habetis ducem. « Non enim illa modo Volscus aut Samnis, sed Romanus, verba fecit; vester consul, vester imperator, « milites : cujus auspicia pro vobis experti, nolite adversus vos velle experiri. Qui pugnarent vobiscum « infestius, et alios duces senatus habuit : qui maxime « vobis, suis militibus, parceret, cui plurimum vos « imperatori vestro crederetis, eum elegit. Pacem, « etiam qui vincere possunt, volunt; quid nos velle « oportet? quin, omissis ira et spe, fallacibus auctoribus, nos ipsos nostraque omnia cognitæ permittimus fidei. »

XLI. Approbantibus clamore cunctis, T. Quintius, ante signa progressus, in potestate dictatoris milites fore dixit : oravit, ut causam miserorum civium susciperet, susceptamque eadem fide, qua rempublicam administrare solitus esset, tueretur : *Sibi se privatim nihil cavere*[1] *: nolle alibi, quam in innocentia, spem habere. Militibus cavendum, quod apud Patres semel plebi, iterum legionibus cautum sit, ne fraudi seces-*

5. *Colloquii hujus salutaris interpres fueris*, vide ad II, 33, n. 10. *Postulate æqua, et ferte*, accipite (vide ad I, 50, n. 7), vel proferte, proponite : — Si τὸ *ferte* hic dictum est quemadmodum vulgatum illud *ferre conditiones*, parum differt ab eo quod præcessit *postulate*. Quare interpretandum putamus, *perferte, accipite;* tum ratio antitheseos expedita et clara; sed veremur ne hanc interpretationem non patiatur latini sermonis proprietas. Ed. *Quanquam vel iniquis standum est potius*, vide supra ad lib. III, cap. 36, n. 11.

Cap. XLI. 1. *Sibi se privatim nihil cavere*, vide ad XXIV, 2, n. 3. — *Militibus cavendum, quod apud Patres semel plebi*, in Sacrum montem, *iterum*, deinde, *legionibus*, in Aventinum secedentibus, *cautum sit, ne fraudi secessio esset*, vide II, 32, 33; III, 50,

sio esset. Quintio collaudato, cæteris bonum animum habere jussis, dictator, equo citato ad Urbem revectus, auctoribus Patribus, tulit ad populum in luco Petelino [2], ne cui militum fraudi secessio esset; oravit etiam bona venia Quirites, ne quis eam rem joco seriove cuiquam exprobraret. Lex [3] quoque sacrata militaris lata est, ne cujus militis scripti nomen, nisi ipso volente, deleretur; additumque legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id propter P. Salonium postulatum est ab conjuratis; qui alternis prope annis et tribunus militum, et primus centurio erat, quem nunc primipili appellant. Huic infensi milites erant, quod semper adversatus novis consiliis fuisset, et particeps eorum esset, qui ab Lautulis fugissent [4]. Itaque quum hoc unum propter Salonium ab senatu non impetraretur; tum Salonius, obtestatus Patres conscriptos, ne suum honorem pluris, quam concordiam civitatis, æstimarent, perpulit, ut id quoque ferretur. Æque impotens postulatum [5] fuit, ut de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur, quod adversati conjurationi fuissent.

XLII. Præter hæc invenio apud quosdam, L. Ge-

54. — *Quintio laudato*. Sic Leid. I, Mediol. ed. ann. 1505. Collaudari sive de uno dici, qui plures, sive de pluribus, qui unum laudent, supra vidimus cap. 11. Hic vero usurpatur de uno dictatore Valerio, qui unum etiam Quintium laudat. Ita VIII, 25: *Collaudatus ab imperatore tria millia militum accepit;* XXXV, 11: *Collaudatum eum consul spe præmiorum onerat.* Ed.

2. *In luco Petelino*, v. ad VI, 20, n. 8.

3. *Lex quoque sacrata*, etc.; vide ad II, 8, n. 3. — *Ordinum ductor*, vide ad II, 23, n. 4. — *Primus centurio, quem nunc primipili* centurionem *appellant*, vide ad II, 27, n. 7, ubi etiam de lege illa dictum.

4. *Et particeps eorum esset, qui ab Lautulis* (vide ad cap. 39, n. 3) *fugissent* e duobus MSS edidi, extruso *ne*, quod vulgo ante *particeps* inseritur; nisi cum Gron. legere malis *et, ne particeps e. esset, ab L. fugisset.*

5. *Æque impotens postulatum*, vide ad III, 36, n. 2. — Equites *merebant triplex* stipendium *ea tempestate*, confer ad V, 12, n. 11.

nucium, tribunum plebis, tulisse ad populum, ne fenerare liceret[1]: item aliis plebiscitis cautum, ne quis eumdem magistratum intra decem annos caperet[2]; neu duos magistratus uno anno gereret; utique liceret consules ambos plebeios creari; quæ si omnia concessa sunt plebi, apparet, haud parvas vires defectionem habuisse. Aliis annalibus proditum est, neque dictatorem Valerium dictum, sed per consules omnem rem actam; neque, antequam Romam veniretur, sed Romæ, eam multitudinem conjuratorum ad arma consternatam esse; nec in T. Quintii villam, sed in ædes C. Manlii, nocte impetum factum, eumque a conjuratis comprehensum, ut dux fieret; inde ad quartum lapidem profectos loco munito consedisse nec ab ducibus mentionem concordiæ ortam; sed repente, quum in aciem armati exercitus processissent, salutationem factam; et permixtos dextras jungere, ac complecti inter se lacrymantes milites cœpisse, coactosque consules, quum viderent aversos a dimicatione militum animos, retulisse ad Patres de concordia reconcilianda. Adeo nihil, præterquam seditionem fuisse, eamque compositam, inter antiquos rerum auctores constat. Et hujus fama seditionis, et susceptum cum Samnitibus grave bellum, aliquot populos ab romana societate avertit: et, præter Latinorum infidum jam diu fœdus, Privernates etiam Norbam atque Setiam, finitimas colonias romanas, incursione subita depopulati sunt.

Cap. XLII. 1. *Ne fenerare liceret*, vide ad VII, 16, n. 1. *Fenerari* VI MSS quod idem est: nam errare, qui dicant, *fenerare* esse δανείζειν, feneri dare, et *fenerari* δανείζεσθαι, feneri accipere, docet Drak. ad h. l.

2. *Ne quis*, cf. X, 13, n. 7; XXVII, 6. — *Neu duos magistratus*, forte ordinarios: nam ordinarium et extraordinarium multi deinde eodem gesserunt anno; duos ordin. vix quisquam. — *C. plebeios*, cf. VIII, 12; XXIII, 28. — *Consternatam*, cf. II, 47, n. 3. — *Salutationem*, cf. I, 1, n. 9.

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBER OCTAVUS.

BREVIARIUM.

Cap. I; C. Plautius cos. devincit Privernates, sed cum Antiatibus dubio marte confligit, armaque, ex hostibus capta, dat Luæ matri: collega ejus, L. Æmilius Mamercinus vastat agros Samnitium, et hi legatos Romam mittunt. — II; Fœdere cum Romanis icto, Samnites bellum inferunt Sidicinis; hi vero, adjuti a Latinis Campanisque, agros illorum populantur; id queruntur Samnites apud senatum rom. qui anceps illis dat responsum. — III; Latini Campanique occulte bellum parant adversus Romanos: sed indicia conjurationis Romam emanant, quo decem principes Latinorum evocantur, nominatimque L. Annius Setinus et L. Numisius Circeiensis, prætores Latii. — IV; Annii oratio in concilio Latinorum, — V; et in senatu rom. habita, in qua has pacis conditiones fert, ut alter ab Latinis consul et æqua senatus pars detur, et utraque gens unus fiat populus, qui omnes Romani vocentur: T. Manlius cos. iratus respondet. — VI; Annius, per gradus Capitolii lapsus, exanimatur: bellum latinum, severissimo imperio administratur ad Capuam: nocturna species, utrique visa consuli, haruspicesque victoriam ei portendunt exercitui, cujus imperator legiones hostium, et super eas se devovisset. — VII; Geminus Metius, qui tusculanis equitibus præest, ad singulare certamen provocat T. Manlii Torquati consulis filium; is victor redit ad patrem; sed hujus jussu securi percutitur. — VIII; Forma aciei romanæ: duo exercitus consulares. — IX; Pugna atrox cum Latinis. P. Decius Mus cos., qui minus egregie, quam collega, litaverat, diis Manibus se devovet, tre-

pidantibus Romanis, et in medios hostes ruens telis obruitur. — X; Victoria Romanorum : devotionis ritus. — XI; Latini tumultuarium undique exercitum conscribunt, sed iterum a Manlio victi se dedunt omnes una cum Campanis : latinus, privernas et falernus ager plebi rom. dividitur. Cum Laurentibus renovatur fœdus, et civitas datur campanis equitibus, quia non desciverant. — XII; Antiatium Latinorumque rebellio : adversus illos dictator dicitur L. Papirius Crassus, adversus hos Q. Publilius Philo cos., qui tres leges fert, ut plebiscita omnes Quirites teneant; ut legum ante initum suffragium Patres fiant auctores; utque alter utique ex plebe censor creetur. — XIII; Latium, quod neque bellum, neque pacem pati potest, omne subigitur : et de eo L. Furius Camillus cos. ad senatum refert. — XIV; Latinorum populi vel in civitatem accepti, vel agris mulctati : Veliternorum muri dejecti, et senatores Romam abducti, jussique trans Tiberim habitare : Antiatium naves abductæ et rostris eorum suggestus in foro adornatus. — XV; Aurunci, a Sidicinis pulsi, Suessam commigrant, auxiliumque petunt ab Romanis : Minucia Vestalis mundioris justo cultus et deinde incesti accusatur, ac viva defoditur : Q. Publilius Philo primus de plebe prætor fit. — XVI; M. Valerius Corvus cos. capit Cales, Ausonum opp. quo colonia deducitur. — XVII; M. Papirius Crassus, ob falsam gallici belli famam dictator dictus, agrum sidicinum vastat : Samnites et Lucani ab Alexandro epirensi funduntur : novæ tribus Mæcia et Scaptia : Acerrani facti Romani. — XVIII; Veneficia matronarum : multæ epotis medicamentis suis intereunt et ad CLXX damnantur : dictator dicitur clavi figendi causa. — XIX; Privernates et Fundani, duce Vitruvio Vacco, bellum inferunt Romanis, et vincuntur : deditio Fundanorum. — XX; Carceres in circo primum statuti : falsa tumultus gallici fama. Privernum vi captum, Vitruviusque ab suis traditus : ædes ejus in Palatio dirutæ, et bona Semoni Sanco consecrata : senatus Privernas trans Tiberim habitare jussus. — XXI; Senatus rom. Privernatibus civitatem dat, motus feroci responso unius ex legatis eorum. — XXII; Colonia Fregellas deducta : visceratio data populo a M. Flavio in funere matris : Palæpolitani, finitimi Neapolitanis, et, ut hi, Cumis oriundi, multa hostilia adversus Romanos, agrum campanum falernumque incolentes, faciunt, Samnitium societate freti. — XXIII; Legatis romanis ferox ab Samnitibus redditur responsum : Q. Publilius Philo cos., inter

Palæpolim Neapolimque loco opportune capto, utrumque premit oppidum, et proximo anno rem gerit pro consule. — XXIV; Alexander, Epiri rex, bellum gerit in Italia, et, ab exsule lucano interfectus, sortes dodonæi Jovis eventu affirmat. — XXIV; Lectisternium quintum : Lucani Apulique fœdere in amicitiam rom. accepti : res prospere in Samnio gestæ : deditio Palæpolitanorum. — XXVI; Fuga Nolanorum Samnitiumque, qui Palæpoli fuerant : Publilio primum et prorogatum imperium, et triumphus finito consulatu decretus. — XXVII; Bellum exoritur cum Tarentinis, qui Lucanos etiam arte impellunt ad abolendam societatem rom. — XXVIII; L. Papirius fenerator C. Publilium, qui ob æs alienum paternum se ei nexum dederat, minis verberibusque ad fœdam libidinem pellicere conatur; hæc causa tumultus, legisque, qua cautum, ut pecuniæ creditæ non corpus, sed bona debitoris obnoxia essent, nec quisquam necteretur, nisi qui noxam meruisset : ita nexi solvuntur. — XXIX; Vestini Samnitibus sese conjungunt : eorumque tum agri a Jun. Bruto Scæva cos. vastantur, tum expugnantur oppida : adversus Samnites L. Papirius Cursor dictator, et ab hoc Q. Fabius Maximus Rullianus magister equitum dicitur. — XXX; Papirius ad auspicia repetenda e Samnio Romam revertitur, et Fabius contra edictum ejus secundoque cum hoste prælio confligit; hinc dictator plenus minarum iræque proficiscitur in castra. — XXXI; Fabius milites obtestatur, ut se ab impotenti crudelitate dictatoris tutentur. — XXXII; Hic virgas et secures expediri jubet; ille ad milites, tumultum jam miscentes, se recipit. — XXXIII; Fabius, postero die iterum adesse jussus, clam ex castris Romam profugit, et Papirius eum confestim sequitur : universo senatu frustra deprecante, Fabii pater, qui dictator et ter consul fuerat, tribunos plebis appellat, concionemque habet ad populum. — XXXIV; Oratio dictatoris. — XXXV; Ira ejus sedatur precibus et obtestatione populi romani, tribunorum Fabiorumque : indignatio exercitus ob irritas preces suas. — XXXVI; L. Papirius Crassus magister equitum dicitur; et legiones rom. de industria impediunt victoriam : itaque dictator comitatem miscet severitati, moxque Samnites magna clade et populatione agrorum ad pacem petendam compellit. — XXXVII; Nova Samnitium defectio, bellumque apulum : agri utriusque populi evastati : nocturna et inanis trepidatio in Urbe. Legem, a M. Flavio trib. pl. latam, ut in Tusculanos animadverteretur, tribus omnes,

præter Polliam, antiquant: hinc nunquam fere Papiria tribus, in qua Tusculani erant, candidato cuiquam ex Pollia suffragium dedit. — XXXVIII; A. Cornelius Arvina dictator in Samnio castra incuriose posita noctu relinquit, et postero die conserit pugnam, quæ diu anceps est. — XXXIX; Tandem vincuntur Samnites; et præter res Brutulum quoque Papium, auctorem belli, Romanis dedi decernunt. — XL; Hoc bellum a consulibus gestum, quidam auctores sunt, et ægrotante L. Plautio prætore, A. Cornelium dictatorem dictum, ut in ludis rom. signum mittendis quadrigis daret. Historia vitiata falsis imaginum titulis laudationibusque funebribus.

I. JAM consules erant C. Plautius secundum, L. Æmilius Mamercinus; quum Setini Norbanique Romam, nuntii defectionis Privernatium, cum querimoniis acceptæ cladis venerunt. Volscorum item exercitum, duce antiati populo, consedisse ad Satricum, allatum est. Utrumque bellum Plautio sorte evenit. Prius ad Privernum[1] profectus extemplo acie conflixit; haud magno certamine devicti hostes: oppidum captum, redditumque Privernatibus, præsidio valido imposito: agri partes duæ ademptæ. Inde victor exercitus Satricum contra Antiates ductus. Ibi magna utrinque cæde atrox prælium fuit: et quum tempestas eos, neutro inclinata spe, dimicantes diremisset, Romani, nihil eo certamine tam ambiguo fessi, in posterum diem prælium parant. Volscis, recensentibus quos viros in acie amisissent, haudquaquam idem animus ad iterandum periculum fuit; nocte pro victis[2] Antium agmine trepido, sauciis ac parte impedimentorum relicta, abierunt. Armorum magna vis tum inter cæsa

CAP. I. 1. *Prius ad Privernum profectus*, ut passim præpos. *ad* nominibus urbium præponitur; vide Drak. et confer ad XXXV, 27, n. 8; XXXVI, 11, n. 4; XXXVIII, 37, n. 4. Sic et *ab Roma redii* XL, 12, n. 2; *proficisci ab Thessalonica* et *redire in Thessalonicam* XL, 4. Vide Sanctium in Minerva lib. IV, 6. Contra τὸ *in* ante nomina regionum nonnunquam omittitur; vide ad X, 37, n. 1.

2. *Nocte pro victis abierunt*, vide

corpora hostium, tum in castris inventa est : *ea Luæ matri dare se*, consul dixit : finesque hostium usque ad oram maritimam est depopulatus. Alteri consuli Æmilio, ingresso sabellum agrum, non castra Samnitium, non legiones usquam oppositæ. Ferro ignique vastantem agros legati Samnitium pacem orantes adeunt, a quo rejecti ad senatum, potestate facta dicendi, positis ferocibus animis, pacem sibi ab Romanis bellique jus adversus Sidicinos petierunt. *Quæ se eo justius petere, quod et in amicitiam populi romani secundis suis rebus, non adversis, ut Campani, venissent; et adversus Sidicinos sumerent arma, suos semper hostes, populi romani nunquam amicos, qui nec, ut Samnites, in pace amicitiam, nec, ut Campani, auxilium in bello petissent, nec in fide populi romani, nec in ditione essent*[3].

II. Quum de postulatis Samnitium Ti. Æmilius prætor senatum consuluisset, reddendumque his fœdus Patres censuissent, prætor Samnitibus respondit : *Nec quo minus perpetua cum eis amicitia esset, per populum romanum stetisse*[1], *nec contradici, quin, quoniam ipsos belli culpa sua contracti tædium ceperit,*

ad II, 7, n. 4. — *Lua Mater* Saturni filia (vide Gell. XIII, 22 pr.), sic dicta a *luere*, seu expiare, vel Diana, si fides habenda Diomedi lib. III, p. 484, de orig. Bucol. *Dianam* Λύην *cognominaverunt*, *quasi solutricem malorum;* etsi quidam *Lunam* corrupte *Luam* putant dictam. Confer. viri docti infra ad XLV, 33 pr. ubi *Luamque* pro *Lunamque* substituere. Ei spolia hostium dicari solebant, ut Marti et Minervæ; vide XLV, 33 pr. De quo more arma hostium concremandi confer Schweigh. ad Appian. Pun. 48. — *Sabellum agrum*, id est, Samniticum : Samnites alio nomine *Sabellos* dictos esse testis est Plin. III, 12, quia nempe a Sabinis orti erant, ut memorat Varro de ling. lat. VI, 3. Ed.

3. *Nec in fide populi romani, nec in ditione*, confer Duk. et ad XXXVI, 28, n. 2. — *Fides* nihil aliud est, quam defensio et clientela ex fide expressa, vel tacita; unde *fides et clientela*, *fides et patrocinium* sæpe conjunguntur. Porro ex hoc Livii loco liquet, discrimen inter eos esse, qui *in fide*, et qui *in ditione* sunt; quod etiam significat XXXIX, 54; XXXVI, 28; adde Valer. Maxim. VI, 5, ex. 1. Ed.

amicitia de integro reconcilietur. Quod ad Sidicinos attineat, nihil intercedi, quo minus samniti populo pacis bellique liberum arbitrium sit. Fœdere icto, quum domum revertissent, extemplo inde exercitus romanus deductus, annuo stipendio et trium mensium frumento accepto; quod pepigerat consul, ut tempus induciis daret, quoad legati redissent. Samnites, copiis iisdem, quibus usi adversus romanum bellum fuerant [2], contra Sidicinos profecti, haud in dubia spe erant mature urbis hostium potiundæ. Tum ab Sidicinis deditio prius ad Romanos cœpta fieri est : dein, postquam Patres ut seram eam, ultimaque tandem necessitate expressam aspernabantur, ad Latinos jam sua sponte in arma motos facta est. Ne Campani quidem (adeo injuriæ Samnitium, quam beneficii Romanorum, memoria præsentior erat) his se armis abstinuere. Ex his tot populis unus ingens exercitus, duce latino, fines Samnitium ingressus, plus populationibus, quam præliis, cladium fecit. Et, quanquam superiores certaminibus Latini erant, haud inviti, ne sæpius dimicandum foret, agro hostium excessere. Id spatium Samnitibus datum est Romam legatos mittendi; qui quum adissent [3] senatum, conquesti eadem se fœderatos pati, quæ hostes essent passi, precibus infimis petiere, *ut satis ducerent Romani victoriam, quam Samnitibus ex campano sidicinoque hoste eripuissent : ne vinci etiam se ab ignavissimis populis sinerent. Latinos Campanosque, si sub ditione populi*

Cap. II. 1. *Per populum romanum stetisse*, v. ad II, 31, n. 7. — *Annuo stipendio accepto*, scil. a Samnitibus.

2. *Quibus usi adversus romanum bellum fuerant*, hoc est, ad, ut passim apud Tacitum; Stroth. Vox *bellum* esse ex glossa suspicabatur; Duk.

3. *Adissent; adiissent* dant Voss. I, et Ald. Sed has amat contractiones Livius; vide VII, 20, et sim. XXVII, 19. Ed. — *Ut ducerent Romani victoriam satis*, scil. esse, sufficere; Drak. *ut satis victoriam d. R. Samnitibus ex campano ... eripuisse* conj. Duk.

romani essent, pro imperio arcerent samniti agro; sin imperium abnuerent, armis coercerent. Adversus hæc responsum anceps datum, quia fateri pigebat, in potestate sua Latinos jam non esse[4], timebantque, ne arguendo abalienarent: *Campanorum aliam conditionem esse, qui non fœdere, sed per deditionem, in fidem venissent: itaque Campanos, seu velint, seu nolint, quieturos. In fœdere latino nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, prohibeantur.*

III. Quod responsum sicut dubios Samnites, quidnam facturum Romanum censerent, dimisit, ita Campanos metu abalienavit; Latinos, velut nihil jam non concedentibus Romanis, ferociores fecit. Itaque, per speciem adversus Samnites belli parandi crebra concilia indicentes, omnibus consultationibus inter se principes occulte romanum coquebant bellum[1]. Huic quoque adversus servatores suos bello Campanus aderat. Sed quanquam omnia de industria celabantur, priusque, quam moverentur Romani, tolli ab tergo Samnitem hostem volebant; tamen per quosdam, privatis hospitiis necessitudinibusque conjunctos, indicia conjurationis ejus Romam emanarunt. Jussisque ante tempus consulibus abdicare se magistratu[2], quo ma-

4. *In potestate sua Latinos jam non esse,* vide ad II, 56, n. 16. — *Arguendo*, id significando, dicendo. Confer XXX, 23; et XXXIV, 62, n. 4.

Cap. III. 1. *Romanum coquebant bellum*, vide ad III, 36, n. 3. — Non assentimur Ernestio in Gloss. Liv. comparanti Polybianum illud συγχέειν πόλεμον; id verius est *confundere, miscere bellum* (*confundere prœlia.* Hor. Od. I, 17, 23): *miscere* tumultus, Liv. VIII, 32. Nec simile, sed ab alia re translatum est *conflare bellum* quod comparat Schneiderus. Si quis autem in illo *coquere* patavinum quiddam, et abhorrens ab urbanitate romana agnoscat, is meminerit, voce e Liv. adsumpta, crebro uti Sil. Italic. (VIII, 403; X, 429; XVI, 3) ea ætate qua plurima essent et in Liv. et in Cic. quæ sorderent auribus illorum hominum. Quæ communis sors est omnium, qui vernaculis linguis utuntur. Vide Walch. pag. 244. Ed.

2. *Jussisque ante tempus consulibus abdicare se magistratu, quo maturius,* etc. causa adjecta non satis facit: licet enim maturius consules crearentur,

turius novi consules adversus tantam molem belli crearentur, religio incessit[3], ab eis, quorum imminutum imperium esset, comitia haberi. Itaque interregnum initum : duo interreges fuerunt M. Valerius ac M. Fabius. Creati consules T. Manlius Torquatus tertium, P. Decius Mus. Eo anno Alexandrum[4], Epiri regem, in Italiam classem appulisse constat; quod bellum, si prima satis prospera fuissent, haud dubie ad Romanos pervenisset. Eadem ætas rerum magni Alexandri est : quem, sorore hujus ortum, in alio tractu orbis, invictum bellis juvenem, fortuna morbo exstinxit. Cæterum Romani, etsi defectio sociorum nominisque latini haud dubia erat, tamen, tanquam de Samnitibus, non de se, curam agerent, decem principes Latinorum Romam evocaverunt, quibus imperarent, quæ vellent. Prætores tum duos Latium habebat, L. Annium Setinum et L. Numisium Circeiensem, ambo ex coloniis romanis : per quos, præter Signiam Velitrasque, et ipsas colonias romanas, Volsci etiam exciti ad arma erant; eos nominatim evocari placuit. Haud cuiquam dubium erat, super qua re accirentur; itaque, concilio prius habito, præ-

non necesse tamen erat, ut anni proximi consules magistratu se abdicarent; Drak. Uterque etiam consul bello strenue se gesserant; Glar.

3. *Religio incessit,* vide ad II, 5, n. 4, et II, 27, n. 10. — *Imminutum imperium,* tempus imperii, seu consulatus.

4. *Eo anno Alexandrum* I Molossum, *Epiri regem* (cujus *soror* Olympias, Alexandri magni mater), etc. Livium non recte calculos posuisse, disputat Dodwell. de cyclis diss. 10, § 73. Nempe Expeditionem Alexandri Epirensis putat rejiciendam potius esse in annum ab hoc, qui nunc agitur, octavum, quo memorat infra Liv. cap. 17 victoriam Alexandri de Lucanis et Samnitibus. Ed. — *Eadem ætas rerum magni Alexandri est,* etc. Confer cap. 17, et 24; Justin. VIII, 6; IX, 6, 7; XII, 1 seq.; Gell. XVII, 21; Pausan. I, 11; Strab. VI, 1, n. 5; VI, 3, n. 4, p. 256, 280. Ab hoc Alexandro I; Neoptolemi filio, diversus Alexander II, Epiri rex, Pyrrhi et Lanassæ filius, de quo vide Paus. IV, 35; Justin. XXVI, 2 seq.; XXVIII, 1; Strab. pag. 624; Polyb. II, 45, n. 1 (ubi cf. Schweigh.) IX, 34, n. 7.

tores, quam Romam proficiscerentur, evocatos se ab senatu docent romano, et, quæ actum iri secum credant, quidnam ad ea responderi placeat, referunt.

IV. Quum aliud alii censerent, tum Annius: « Quanquam ipse ego retuli quid responderi placeret, tamen magis ad summam rerum nostrarum [1] pertinere arbitror, quid agendum nobis, quam quid loquendum sit; facile erit, explicatis consiliis, accommodare rebus verba. Nam, si etiam nunc, sub umbra fœderis, æqui servitutem pati possumus, quid abest, quin, proditis Sidicinis, non Romanorum solum, sed Samnitium quoque dicto pareamus, respondeamusque Romanis, nos, ubi innuerint, posituros arma? Sin autem tandem libertatis desiderium remordet animos [2], si fœdus est, si societas æquatio juris est, si consanguineos nos Romanorum esse, quod olim pudebat, nunc gloriari licet, si socialis illis exercitus is est, quo adjuncto duplicent vires suas, quem secernere ab se consules bellis propriis ponendis sumendisque nolint; cur non omnia æquantur? cur non alter ab Latinis consul datur? ubi pars virium, ibi et imperii pars est. Est quidem nobis hoc per se haud nimis amplum,

Cap. IV. 1. *Ad summam rerum nostrarum*, vide ad III, 5, n. 6. — *Proditis* (vide ad II, 43, n. 5) *Sidicinis* a Romanis. Confer cap. 2. — *Samnitium dicto pareamus*, immo *Samnitibus d. p.*, est enim *alicui parere dicto*, ut *alicui audientem* vel *obedientem esse dicto;* Gron. Verum *dicto audiens* semper dativum habet adjunctum, quia *dicto* tum est partic., et semper priore loco ponitur : sed *parere dicto* sæpe dicitur non addito casu, et *parere dicto alicujus* æque recte ac *parere imperio alicujus;* Duk. coll. II, 18, 20; XXXII, 3; XXXVI, 31; Virg. Æn. I, 689; IV, 238; vide et Periz. ad Sanctii Min. IV, 4, 45.

2. *Libertatis desiderium remordet animos*, vide ad VI, 34, n. 7. — *Si æquatio juris est societas* scilicet nostra cum Romanis; non omnis. — Falsa definitio societatis est; multi enim obnoxia pace et impari fœdere in societatem veniebant. Sic Gronov. qui legendum censet : *Si societas æquati juris est;* nempe nobis cum Romanis. — *Bellis propriis ponendis*, componendis, pace commutandis. Qui enim pacem

« quippe concedentibus, Romam caput Latio esse; « sed, ut amplum videri posset, diuturna patientia « fecimus. Atqui, si quando unquam consociandi im- « perii, usurpandæ libertatis tempus optastis, en hoc « tempus adest, et virtute vestra, et deum benignitate « vobis datum. Tentastis patientiam negando mili- « tem[3]; quis dubitat exarsisse eos, quum plus ducen- « torum annorum morem[4] solveremus? pertulerunt « tamen hunc dolorem. Bellum nostro nomine cum « Pelignis gessimus: qui ne nostrorum quidem finium « nobis per nos tuendorum jus antea dabant, nihil « intercesserunt. Sidicinos in fidem receptos, Cam- « panos ab se ad nos descisse, exercitus nos parare « adversus Samnites fœderatos suos audierunt, nec « moverunt se ab urbe. Unde hæc illis tanta mode- « stia, nisi a conscientia virium et nostrarum et sua- « rum? Idoneos auctores habeo, querentibus de nobis « Samnitibus ita responsum ab senatu romano esse, « ut facile appareret, ne ipsos quidem jam postulare, « ut Latium sub romano imperio sit. Usurpate modo « postulando eo, quod illi vobis taciti concedunt. Si « quem hoc metus dicere prohibet, en ego ipse, au- « diente non populo romano modo senatuque, sed « Jove ipso, qui Capitolium incolit, profiteor me di- « cturum; ut, si nos in fœdere ac societate esse ve- « lint, consulem alterum ab nobis, senatusque partem « accipiant. » Hæc ferociter non suadenti solum, sed

haud obnoxiam cupit, is viribus iis instructus esse debet, quibus bellum possit gerere. Ed.

3. *Tentastis patientiam negando militem*, vide ad I, 32, n. 5.

4. *Plus ducentorum annorum morem*, milites dandi, si a fœdere, icto cum Servio Tullio (vide I, 45), non ab illo, cujus I, 50 seq. vel II, 33, mentio fit, annos numeraveris, vel rem ab irato in majus auctam credideris. Mos autem ille jam diu solutus; vide VII, 12. — *Senatusque partem*: dimidiam, ut clare exprimit idem Annius, cap. seq. *senatus partem æquam ex utraque gente esse*. Ed.

pollicenti, clamore et assensu omnes permiserunt, ut ageret diceretque, quæ e republica nominis latini fideque sua viderentur [5].

V. Ubi est Romam ventum, in Capitolio eis senatus datus est [1]. Ibi quum T. Manlius consul egisset cum eis ex auctoritate Patrum, ne Samnitibus fœderatis bellum inferrent; Annius, tanquam victor armis Capitolium cepisset, non legatus, jure gentium tutus, loqueretur : « Tempus erat, inquit, T. Manli, vos- « que, Patres conscripti, tandem jam vos nobiscum « nihil pro imperio agere, quum florentissimum deum « benignitate nunc Latium armis virisque, Samnitibus « bello victis, Sidicinis Campanisque sociis, nunc « etiam Volscis adjunctis, videretis; colonias quoque « vestras latinum romano prætulisse imperium. Sed « quoniam vos, regno impotenti [2] finem ut imponatis, « non inducitis in animum : nos, quanquam armis « possumus asserere Latium in libertatem, consan- « guinitati tamen hoc dabimus, ut conditiones pacis « feramus æquas utrisque, quoniam vires quoque « æquari diis immortalibus placuit. Consulem alterum

5. *Quæ e republica nominis latini fideque sua viderentur*, vide ad I, 10, n. 2, et VI, 22, n. 2.

Cap. V. 1. *In Capitolio eis* (al. *ei*) *senatus datus est* (ut XXI, 12 et 18; XXVI, 21 pr. XXXVII, 52), scilicet decem principibus Latinorum Romam evocatis : in senatum admissi sunt, ut exponerent, quæ vellent. Confer cap. 3. *Senatus alicui datus* et *præbitus* (ut XLII, 48 pr.) dicitur non tam, ut vulgo putant, pro : aditus ad senatum ei concessus est (etsi sententia hæc firmari videtur XXXIX, 33 extr. et multis locis convenit, v. c. iis, quibus senatus dicitur legatis datus, ut XXI, 12, 18; XXIX, 15, n. 6; XXXVII, 52, al.), quam, quoniam *senatus* etiam est conventus senatorum, pro : ejus gratia senatus est coactus, seu convocatus; quod vel ex iis locis intelligitur, ubi aut senatus magistratibus triumphum petentibus dicitur datus a consulibus et prætore urbano, verbi c. XXVI, 21; XXVIII, 28, 38, 44 al. aut aliquis *senatum postulasse*, ut XXIII, 7, n. 11; aut *concilium alicui datum*, seu *præbitum*, ut XXIV, 37; XXXVI, 31, n. 4; XXXIX, 33, n. 2.

2. *Regno impotenti*, vide ad III, 36, n. 2. — *Consanguinitati tamen hoc dabimus*, vide ad III, 58, n. 4. — *Consulem alterum Roma*, ex Romanis, *creari*, vel *Roma* scilicet creabit, seu

« Roma, alterum ex Latio creari oportet : senatus « partem æquam ex utraque gente esse : unum po« pulum, unam rempublicam fieri : et, ut imperii « eadem sedes sit, idemque omnibus nomen, quoniam « ab alterutra parte concedi necesse est, quod utris« que bene vertat [3], sit hæc sane patria potior, et « Romani omnes vocemur. » Forte ita accidit, ut parem ferociæ hujus et Romani consulem T. Manlium haberent : qui adeo non tenuit iram, ut, si tanta dementia Patres conscriptos cepisset, ut ab setino homine [4] leges acciperent, gladio cinctum in senatum venturum se esse, palam diceret, et, quemcumque in curia latinum vidisset, sua manu interempturum; et, conversus ad simulacrum Jovis : « Audi, Jupiter, « hæc scelera, inquit; audite, Jus Fasque. Peregrinos « consules et peregrinum senatum in tuo, Jupiter, « augurato templo, captus atque ipse oppressus, vi« surus es? Hæccine fœdera Tullus romanus rex cum « Albanis, patribus vestris, Latini, hæc L. Tarquinius « vobiscum postea fecit? Non venit in mentem pugna « apud Regillum lacum [5]? adeo et cladium veterum « vestrarum, et beneficiorum nostrorum erga vos obliti « estis? »

VI. Quum consulis vocem subsequuta Patrum indignatio esset, proditur memoriæ, adversus crebram implorationem deum, quos testes fœderum sæpius invocabant consules, vocem Annii, spernentis numina

creet; nam oratio turbatur affectu loquentis, ut et in seqq. Sed videtur leg. *Romæ*.

3. *Quod utrisque bene vertat* (vide ad I, 28, n. 1), *sit hæc sane patria potior*, Roma sit *sedes imperii* fortunarumque nostrarum, et ab ea, tanquam a patria, *Romani omnes vocemur*.

4. *Ab setino homine*, contemptim de Annio Setino, de quo vide cap. 3 extr. — *Audite, Jus Fasque*, numina, eadem fere, quæ Justitia, Astræa, Themis, Dice. Cf. I, 24 et 32, n. 7, et Brisson. de Formul. I, p. 80. Ed.

5. *Pugna apud Regillum lacum*, vide II, 19, n. 20.

Jovis romani, auditam : certe, quum commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per gradus, capite graviter offenso [1], impactus imo ita est saxo, ut sopiretur. Exanimatum auctores quoniam non omnes sunt, mihi quoque in incerto relictum sit : sicut inter fœderum ruptorum testationem ingenti fragore cæli procellam effusam : nam et vera esse, et apte ad repræsentandam iram deum [2] ficta possunt. Torquatus, missus ab senatu ad dimittendos legatos, quum jacentem Annium vidisset, exclamat, ita ut populo Patribusque audita vox pariter sit : « Bene habet. « Dii pium movere bellum. Est cæleste numen! es, « magne Jupiter! haud frustra te patrem deum homi- « numque hac sede sacravimus. Quid cessatis, Quiri- « tes, vosque, Patres conscripti, arma capere diis du- « cibus? Sic stratas legiones Latinorum dabo, quem- « admodum legatum jacentem videtis. » Assensu populi excepta vox consulis tantum ardoris animis fecit, ut legatos proficiscentes cura magistratuum magis, qui jussu consulis prosequebantur, quam jus gentium, ab ira impetuque hominum tegeret. Consensit et senatus bellum [3] : consulesque, duobus scriptis exercitibus per Marsos Pelignosque profecti, adjuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quo jam Latini sociique convenerant, castra locant. Ibi in quiete utrique con-

Cap. VI. 1. *Capite graviter offenso*, percusso, vel impacto, illiso gradibus, ut XXV, 37, n. 2, *capita offensare*, hoc est, illidere capitibus, vel parietibus, foribus, terræ; de quo luctus genere vide Casaub. ad Suet. Aug. 23 extr. — *Ut sopiretur*, vide ad I, 41, n. 6. — *Exanimatum* eum esse *quoniam non omnes auctores sunt*, vide ad II, 58, n. 1. — *Sicut;* scilicet et hoc mihi relictum sit in incerto.

2. *Ad repræsentandam iram deorum*, vide ad II, 36, n. 6. — *Bene habet!* (vide ad VI, 35, n. 6.) *Dii pium movere*, moverunt, *bellum*, confer ad I, 22, n. 6. — *Est cæleste numen*, etc., hoc est, quis nunc dubitet, omnia regi providentia divina, non fortuito agi. Confer Stat. Silv. I, 4, n. 1; ubi vide Barth., et Brisson. de Form. I, p. 80.

3. *Consensit et senatus bellum*, vide ad I, 32, n. 14. — *Ibi in quiete*, in

suli eadem dicitur visa species viri majoris, quam pro humano habitu, augustiorisque, dicentis : *Ex una acie imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus matrique Terræ deberi*[4]*; utrius exercitus imperator legiones hostium, superque eas se devovisset, ejus populi partisque victoriam fore.* Hos ubi nocturnos visus inter se consules contulerunt, placuit averruncandæ deum iræ victimas cædi; simul ut, si extis eadem, quæ somno visa fuerant, portenderentur, alteruter consulum fata impleret[5]. Ubi responsa aruspicum insidenti jam animo tacitæ religioni congruerunt; tum, adhibitis legatis tribunisque, et imperiis deum propalam expositis, ne mors voluntaria consulis exercitum in acie terreret, comparant inter se, ut, ab utra parte cedere romanus exercitus cœpisset, inde se consul devoveret pro populo romano Quiritibusque. Agitatum etiam in consilio[6] est, ut, si quando unquam severo ullum imperio bellum administratum esset, tunc uti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. Curam acuebat, quod adversus Latinos bel-

somno (ut IX, 37, n. 6 et al.), *visa species viri majoris, quam pro humano habitu,* forma et figura humani corporis scilicet esse posset, *augustiorisque;* qualis deorum species et forma esse putabatur; vide ad Sil. VI, 426; et XV, 21. Prudentia civilis hoc commento alebat superstitionem vulgi. — Imaginatio quoque incenditur metu et religione. Confer infra cap. 9, n. 8.

4. *Exercitum diis Manibus matrique Terræ deberi,* confer cap. 9. — *Superque eas se devovisset,* vide ad V, 41, n. 4, et XXI, 14, n. 4. — *Averruncandæ deum iræ victimas cædi,* vide ad III, 35, n. 1, et XXIX, 27, n. 2.

5. *Alteruter consulum fata impleret,* vid. ad I, 7, n. 11. — *Adhibitis legatis,* vide ad V, 25, n. 5. — *Comparant inter se, ut,* etc. Confer ad III, 2, n. 1. — *Inde,* ab ea parte.

6. *Agitatum etiam in consilio* militari, quod constabat legatis, tribunis militum et centurionibus primi pili. Confer ad I, 54, n. 2. Mox pro *tunc uti* forte leg. *nunc utique* (confer tamen III, 64 extr.), vel delendum præc. *ut.* Sed *ut* sæpe perspicuitatis quoque causa repetitur. Confer Drak. ad h. l., Duk. ad Flor. II, 6, n. 19, et nos infra ad XXII, 11, n. 2. — Admonuit Sigonius legendum esse *tunc utique,* quod est tunc omnino, tunc maxime; ne vel *ut* vacet, vel *uti.* Nec improbabilis conjectura. Tamen non rara occurrunt exempla geminatæ particulæ

landum erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes : milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis compares collegæque, iisdem præsidiis, sæpe iisdem manipulis permixti fuerant; per hæc ne quo errore milites caperentur, edicunt consules, ne quis extra ordinem in hostem pugnaret [7].

VII. Forte inter cæteros turmarum præfectos, qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius consulis filius super castra hostium cum suis turmalibus evasit, ita ut vix teli jactu ab statione proxima abesset; ibi tusculani erant equites; præerat Geminus Metius [1], vir tum genere inter suos, tum factis, clarus. Is ubi romanos equites, insignemque inter eos præcedentem consulis filium (nam omnes inter se, utique illustres viri, noti erant), cognovit: « Unane, ait, turma, « Romani, cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? « quid interea consules, quid duo exercitus consulares « agent? » « Aderunt in tempore [2], Manlius inquit, et « cum illis aderit Jupiter ipse, fœderum a vobis viola- « torum testis, qui plus potest polletque. Si ad Regillum « lacum ad satietatem vestram pugnavimus, hic quoque « efficiemus profecto, ne nimis acies vobis et collata « signa nobiscum cordi sint. » Ad ea Geminus, paulu- lum ab suis equo provectus : « Visne igitur, dum dies « ista venit, qua magno conatu exercitus moveatis, in- « terea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum « jam hinc eventu cernatur, quantum eques latinus ro- « mano præstet? » Movet ferocem animum juvenis seu

ut, ubi semel expressa sufficeret. Ed.

7. *In hostem pugnaret* pro : adversus hostem, vel cum eo. Confer VIII, 7, n. 5; IX, 3, n. 3; XXVII, 18; XXX, 34, et alibi.

Cap. VII. 1. *Geminus Metius*, al. *Geminius*, et *Mæcius* vel *Mettius*. — *Utique illustres viri*, vide ad II, 30, n. 1.

2. *Aderunt in tempore*, vide ad II, 47, n. 4. — *Cordi sint*, vide ad VI,

ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati; oblitus itaque imperii patrii consulumque edicti, præceps ad id certamen agitur, quo vinceret, an vinceretur, haud multum interesset: equitibus cæteris velut ad spectaculum submotis, spatio, quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos: et, quum infestis cuspidibus[3] concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est. Circumactis deinde equis, quum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit[4]; ad cujus vulneris sensum quum equus, prioribus pedibus erectis, magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmaque innisum, attollentem se ab gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit; spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra, atque inde ad prætorium ad patrem, tendit, ignarus facti futurique, laus an pœna merita esset: « Ut me omnes, inquit, pater, tuo san- « guine ortum vere ferrent, provocatus equestria hæc « spolia capta ex hoste cæso porto. » Quod ubi audivit consul, extemplo, filium aversatus, concionem classico advocari jussit; quæ ubi frequens convenit:

9, n. 1. — *Nostro duorum eventu*, vide ad VII, 26, n. 5. — *Imperii patrii*, forte *paterni*: nam *patrium* magis est a parente vel majoribus traditum, aut in patria solitum: sed et infra in hoc cap. *majestas patria* dicitur, et *patria potestas* sat nota; Bauer. Conf. ad II, 5, n. 12; VII, 5, n. 3; XXXVIII, 1, n. 6; et Ernesti clav. Cic.

3. *Infestis cuspidibus concurrissent*, vide ad I, 13, n. 2. — *Elapsa est* sine ictu in vacuum, Bauer. — *Ad ictum consurrexisset*, vide ad Sil. Ital. lib. I, v. 401, et lib. IV, v. 610.

4. *Spiculum inter aures equi fixit*, etc. ut apud Virg. Æn. X, 890 seq. Doering. — *Excussit*. Confer Curt. III, XI; Sil. Ital. IX, 595. — *Ignarus facti futurique*: editiones recentiores *fati* ex emendat. Sigon. « Sed sic aut *futuri*, aut certe *que* redundat. *Facti ignarus* dicitur, qui nesciat, recte an perperam fecerit; immo hoc loco qui falso credat, se recte fecisse. — *Facti* vett. habent edd. et tres e scriptis nostris vel optimi. Ed. — *Filium aversatus*, avertens se ab ejus conspectu, nec visu nec sermone dignatus »; Bauer.

« Quandoque[5], inquit, tu, T. Manli, neque imperium « consulare, neque majestatem patriam veritus, ad« versus edictum nostrum extra ordinem in hostem « pugnasti, et, quantum in te fuit, disciplinam mili« tarem, qua stetit ad hanc diem romana res, solvisti, « meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut rei« publicæ mihi, aut mei meorumque obliviscendum « sit; nos potius nostro delicto plectemur, quam res« publica tanto suo damno nostra peccata luat : triste « exemplum, sed in posterum salubre juventuti, eri« mus. Me quidem quum ingenita caritas liberum, tum « specimen istud virtutis, deceptum vana imagine de« coris, in te movet. Sed quum aut morte tua san« cienda sint consulum imperia, aut impunitate in « perpetuum abroganda; ne te quidem, si quid in te « nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disci« plinam militarem, culpa tua prolapsam, pœna resti« tuas. I, lictor, deliga ad palum. » Exanimati omnes tam atroci imperio, nec aliter quam in se quisque destrictam cernentes securim[6], metu magis, quam modestia, quievere. Itaque, velut emerso ab admiratione animo, quum silentio defixi stetissent, repente, postquam cervice cæsa fusus est cruor, tum libero

5. *Quandoque, inquit*, etc. vide ad V, 25, n. 3. — *In hostem pugnasti*, vide ad cap. 6, n. 7. — *Deceptum vana imagine decoris*, id est, deceptæ virtutis, vel in te decepto ; hypallage : neque enim *specimen deceptum* intelligatur ; Bauer. Sed *virtus* si *vana imag. decoris decepta* dici potest, quidni et *virtutis specimen?* Schæf. Conf. ad III, 36, n. 8. Possis etiam transponere : *in te deceptum v. i. d. movet;* Ern. — Specimen istud virtutis quod edidisti deceptus vana imagine decoris. Posset quoque, ut dictum jam est, τὸ *deceptum* referri ad *te* quod sequitur : sed ut simplicior oratio, ita impeditior structura fieret. Ed.

6. *Destrictam cernentes securim ;* al. *districtam*, vulgari vocum permutatione, ut XXVII, 13, n. 4, et al. Confer Drak., et nos ad Tac. Ann. XII, 51, n. 3, et ad Sil. XVI, 528; Duk. ad h. l. et ad Flor. II, 2, n. 17. « Sed nec illud securi satis convenit ; a gladio tamen ductum, et huc translatum (manus quoque *stringi*, id est, ad feriendum parari dicuntur) » : Bauer. — *Velut emerso ab*, propr. *ex*, *admira-*

conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis, neque exsecrationibus parceretur; spoliisque contectum juvenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra vallum rogo cremaretur; Manlianaque imperia[7] non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent.

VIII. Fecit tamen atrocitas pœnæ obedientiorem duci militem: et, præterquam quod custodiæ vigiliæque et ordo stationum intentioris ubique curæ erant, in ultimo etiam certamine, quum descensum in aciem est, ea severitas profuit. Fuit autem civili maxime bello pugna similis; adeo nihil apud Latinos[1] dissonum ab romana re, præter animos, erat. Clypeis antea Romani usi sunt: deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere: et, quod antea phalanges similes macedonicis, hoc postea manipulatim

tione animo, postquam animus attonitus ad se redierat. Confer ad II, 29, n. 7. Quæ verba non jungenda seqq. *quum silentio defixi stetissent* (de quibus vide ad III, 47, n. 9), sed *tum libero conquestu,* etc. adeoque post *stetissent* non semicolon ponendum; Stroth. — Hæc sibi non bene conveniunt; stant enim defixi silentio, qui admirantur, non quorum *emersus est ab admiratione animus,* id est, e stupore, qui primo oppresserat, expergefactus. Suspicamur luxatum esse potius locum, quam corruptum, sicque omnia in ordinem revocari posse: *Itaque quum silentio defixi stetissent, repente, postquam cervice cæsa fusus est cruor, velut emerso ab admiratione animo, tum,* sive potius *tam, libero conquestu coortæ voces sunt, ut neque lamentis, neque exsecrationibus parceretur.* Ed.

7. *Manliana imperia* hinc in proverbium abierunt, non vero *Imperiosi* cognomen inde Manlio inditum. Cf. ad IV, 29, n. 3, ubi simile exemplum paternæ severitatis memoratur. Hoc editum fuisse in bello gallico tradit Dionys. VIII, 79.

Cap. VIII. 1. *Adeo nihil apud Latinos dissonum,* vide ad Præf. n. 15.— *Clypeis antea Romani usi sunt* plerumque, *deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta* ingentia pro *clypeis fecere* (vide ad I, 43, n. 4, et V, 10, n. 5). — *Stipendiarius* vulgo est is qui stipendium solvit: hic contra sumitur pro eo qui stipendium accipit: postquam stipendia de publico accipere cœpere. Ed. — *Et acies* romana, quæ *antea,* a Servii inde temporibus, una continua et profunda acie, ut *phalanx macedonica,* instructa erat (conf. IX, 19), *postea,* forte inde a

structa acies cœpit esse: postremo in plures ordines instruebantur. Ordo sexagenos milites duos [2], centurionem et vexillarium unum habebat; prima acies hastati erant, manipuli quindecim, distantes inter se

primis consulibus, *manipulatim structa* (vide ad XLII, 51, n. 2), intervallis inter singulos manipulos disposita, *cœpit esse* (unde *manipulos*, quos jam sub Romulo et Tarquinio fuisse legimus I, 52; apud Ovid. Fast. III, 117, 118, et Victor. de Orig. Rom., desiisse postea suspicabatur Lips. Mil. rom. II, 3, qui confer. ad totum hoc caput), *postremo in plures ordines instruebantur*, in tres, quos formabant hastati, principes et triarii, quorum prima mentio fit supra VII, 23; (sed apud Ovid. Fast. III, 127 sq. jam in institutis Romuli, et triariorum sup. II, 47.) Hi sunt tres gradus aciei romanæ, phalanx continua, acies manipularis, et *acies triplex*, seu quincuncialis, XXIII, 29, n. 10, et al. Confer *Nast's Röm. Alterthümer*, § 27 sq. 58 seq. et 126-142, qui etiam recte monuit, a Livio antiquiorem legionis romanæ faciem ac formam, a Polybio, VI, 10 sq. aliisque eam, quæ inde a punicorum bellorum temporibus fuerit, describi, adeoque vanam fuisse operam virorum doctorum (inprimis Lipsii Milit. rom. II, 1 sq. Patric. et Salmas. de Milit. rom. in Græv. Thes. t. X), qui multa in Livio emendaverint (v. c. mox *manipuli decem...hoc viginti manipulorum agmen* et alia; quasi in legione semper fuerint triginta manipuli), ut diversa tempora et res inter se conciliarent.

2. *Ordo sexagenos milites duos, centurionem et vexillarium unum habebat;* ita cum Strothio e certissima emendat. Lipsii et Gronovii rescripsi pro vulg. *Ordo, seu milites, duos centuriones, vexillarium unum habebat:* nam mox legimus, ordinem subsignanorum, seu pilanorum tres partes, seu tria vexilla, et 186 homines, adeoque triplo plus hominum continuisse, quam ordinem hastatorum vel principum. Synonymæ autem voces sunt *ordo* (scil. hastatorum et principum), *manipulus, centuria* et *vexillum*. Polyb. VI, 22, καὶ τὸ μὲν μέρος ἕκαστον ἐκάλεσαν καὶ τάγμα (*ordinem*), καὶ σπεῖραν (*manipulum*), καὶ σημαίαν, *vexillum:* nam cuique centuriæ suum erat vexillum et vexillarius; sed *vexilla* in hoc cap. triariis tantum tribuuntur, ut sociis XXXIX, 20, ubi a *signis* legionum distinguuntur: nam vexilla fuere postea sociis, et signa legionibus. (Cf. XXV, 23, n. 9.) Jam XV erant manipuli, seu ordines et hastatorum et principum (quos omnes *antepilanos* vel antesignanos appellabant; vide ad II, 20, n. 3); totidemque partes aut vexilla et triariorum, et rorariorum et accensorum (qui omnes *sub signis*, h. e. post signa, *locati* erant, vide ad II, 20, n. 3, et in XV quoque ordines divisi, quorum tamen *unusquisque tres partes*, seu tria *vexilla habebat*, et 186, non 62 hominum erat), adeoque LXXV manipuli aut vexilla in tota legione. Manipulus vel vexillum 62, XV igitur 930, LXXV (vel universa legio) 4650, et, si his 75 centuriones totidemque vexillarios adjeceris, 4800 homines complectebantur. His si addideris cornicines, tubicines et fabros, rationes tuæ congruent forte cum Livianis. Conf. not. 4 et 10.

modicum spatium: manipulus leves[3] vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat; leves autem, qui hastam tantum gæsaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubescentium ad militiam habebat. Robustior inde ætas totidem manipulorum, quibus principibus est nomen, hos sequebantur, scutati omnes, insignibus maxime armis; hoc triginta manipulorum agmen[4] antepilanos appellabant, quia sub signis jam alii quindecim ordines locabantur: ex quibus ordo unusquisque tres partes

3. *Manipulus leves vicenos milites habebat*, et *aliam*, reliquam (vide ad IV, 10, n. 1), *turbam scutatorum*, h. e. reliqui erant scutati (h. e. gravis armaturæ milites; quæ levi armaturæ opponuntur etiam XXVIII, 2), adeoque XLII; nam ordo, seu manipulus LXII milites habebat. — *Gæsum* telum missile, proprium Gallis et Hispanis. Cf. ad Sil. I, 629. — *Principibus est nomen:* hi nimirum videntur olim principem in acie locum tenuisse. Vide Lips. de Mil. rom. II, 1; IV, 2. Ed.

4. *Hoc XXX manipulorum agmen*, scil. hastatorum et principum, *antepilanos appellabant*, sive antesignanos, *quia sub signis*, post signa, *jam alii XV ordines locabantur*, scilic. triariorum. Vide ad II, 20, n. 3, et XXII, 5, n. 4. Mox perperam in omnibus libris legitur: *earum unamquamque primum pilum vocabant.* Lips. emend. *earum unamquamque primam pilum vocabant;* Nast. l. l. *earum unam primum pilum vocabant.* Gron. et Stroth. *earum primam quamque* (partem, sc. triariorum, quorum tres partes *primum, secundum, tertium pilum* appellabant), *primum pilum vocabant* (vide ad II, 27, 7), quod recepi, tanquam cæteris probabilius, etsi non indubium sit. Vide Duk. ad hunc locum. Præterea voc. *vexillum* tanquam spurium uncinis inclusi, neque dissimulo, verba quoque *tribus ex vexillis constabat* (scil. ordo) post illa, *earum primam... vocabant* parum commode adjecta, et ab interpolatore ad superiora *ordo unusquisque tres partes habebat* in marg. adscripta videri. Idem suspicabatur Strothius, cujus hæc est nota: « Sic omnia plana sunt, apteque cohærent: *Sub signis*, post signa et antepilanos, *jam alii XV ordines locabantur*, quos communi nomine latiorique vocabuli usu *triarios* appellare possis. Hi vero ordines non illis ordinibus hastatorum et principum æquales erant, sed triplices tanti. Quoniam enim triarii latiori significatu in tria genera distinguebantur, in triarios nempe proprie stricteque sic dictos, rorarios et accensos, sic etiam *ordo unusquisque illorum tres partes habebat*, seu tria vexilla. *Earum partium quamque primam*, i. e. triarios proprie sic dictos, *primum pilum vocabant*, quorum erant igitur sicut reliquorum XV vexilla. Omnes vero tres partes unius ordinis 186 *homines erant. Primum* igitur cujusque ordinis *vexillum triarios* propr. sic dictos *ducebat, secundum rorarios, tertium accensos.* Cæterum eorum, *qui sub signis locati erant*, triplicem tan-

habebat; earum primam quamque primum pilum vocabant. Tribus ex vexillis constabat: (vexillum) centum octoginta sex homines erant. Primum vexillum triarios ducebat[5], veteranum militem spectatæ virtutis: secundum rorarios, minus roboris ætate factisque: tertium accensos, minimæ fiduciæ manum; eo et in postremam aciem rejiciebantur. Ubi his ordinibus exercitus instructus esset, hastati omnium primi pugnam inibant; si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes[6] in intervalla

tum numerum fuisse, quam principum vel hastatorum seorsim, intelliges primum ex eo, quod, si rationem duxeris, ex XV ordinibus subsignanis, quorum quisque erat 186 hominum, non numerum 930, ut ex XV manipulis, vel hastatorum, vel principum, sed 2790 conficies; deinde ex verbis Livii ad finem hujus cap. *novam repente aciem exsurgentem auctam numero cernebant;* denique e cap. 10: nam quomodo ibi Manlius consul, reservatis ad extremum certamen triariis, solos accensos hosti opponere potuisset, hostesque non sensissent istam paucitatem, nisi solis accensis idem numerus fuisset, qui reliquis militum generibus? »

5. *Primum vexillum Triarios ducebat*, vide ad II, 20, n. 3. — *Secundum rorarios*, quos Varro L. L. VI, 3, Festus et Nonius Marcellus dictos monent *a rore, quod prælium committebant primi: ideo ante imbrem rorare solet.* Strothius hæc notavit: « *Rorarii* iidem fuisse videntur, qui postea *velites* dicti sunt, primique pugnam inibant. (Sed hoc Livius mox dicit de hastatis.) Ex quo jam patet, Livium longe aliam aciei formam enarrare, quam quæ postea fuit. Quid igitur mirum, si ter quindecim ordines commemoret, licet postea modo ter decem fuerint? » Confer ad XXVI, 4, n. 6. — *Tertium Accensos;* vide ad I, 43, n. 13. — Interpretatur Festus, qui ad censum legionum adjiciebantur: id est, qui extra numerum legioni jam completæ adscribebantur, ut in locum demortuorum militum subrogarentur, interim jaculis missilibusque telis pugnaturi. Ed. — *Minimæ fiduciæ manum*, in quibus minimum collocaretur fiduciæ.

6. *Pede presso retrocedentes*, gradibus parvis (ut *premere vestigia, gradum, cursum* pro comprimere, inhibere), vel pedetentim, lente, gradatim, pede post et ad pedem posito, gradu dimenso et militari (vide ad IV, 32, n. 6, *modico gradu* XXX, 5, n. 4), ut mox *sensim referebantur*, XXVIII, 14; *presso gradu incedere*, βάδην καὶ πραεῖαν ποιεῖσθαι τὴν ἐπαγωγὴν, seu πορείαν, ἐν τάξει καὶ βάδην ποιεῖσθαι τὴν ἔφοδον, βάδην προάγειν, προϊέναι, ἐκπορεύεσθαι apud Polyb. II, 27; III, 65, 72; IV, 65; V, 80; VIII, 30; X, 30; XI, 23; etc. et contra ἐνεργῇ ποιεῖσθαι τὴν ἔφοδον XI, 23, n. 2; et *citato gradu ducere* XXVIII, 14. — *In*, per, *intervalla ordinum*, ita ut hastati ea transirent, et post principes collocati essent.

ordinum principes recipiebant; tum principum pugna erat; hastati sequebantur; triarii sub vexillis considebant[7], sinistro crure porrecto, scuta innisa humeris, hastas subrecta cuspide in terra fixas[8], haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, a prima acie ad triarios sensim referebantur; inde *rem ad triarios redisse*, quum laboratur, proverbio increbruit. Triarii consurgentes[9], ubi in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias; unoque continenti agmine, jam nulla spe post relicta, in hostem incidebant; id erat formidolosissimum hosti, quum, velut victos insequuti, novam repente aciem exsurgentem auctam numero cernebant. Scribebantur autem quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones tre-

7. *Triarii sub vexillis considebant*, subsidebant, ὑφιζάνουσι (vide ad I, 14, n. 5), *sinistro crure*, pede, *porrecto*, protento (qui etiam gradus est, seu status pugnantis et jaculum vel sagittam emittentis, cujus inde sinistrum crus vel pes, quia scuto tegi non poterat, *ocrea tegi*, seu muniri solebat, de quo vide IX, 40; et ad Juvenal. VI, 256), et *genu dextro innisi; et nutum ducis ad consurgendum exspectabant;* vide infra cap. 9 extr. Confer ad XXVIII, 2, n. 4.

8. *Hastas subrecta cuspide in terra fixas tenentes*, hastas non ad perpendiculum erectas, sed ima earum parte in terra oblique fixa, ita tenebant, ut cuspis fere ad XLV aut LX graduum angulum erecta esset, Stroth. Confer ad VII, 10, n. 6. Triarii eadem, quæ principes, habebant arma, sed *hastas* pro pilis, quibus in stataria et manuaria pugna hostium fodiebant ora. Confer ad cap. 10, n. 5; Polyb. VI, 23, n. 16; Lips. mil. Rom. III, 6 extr. *in terram* (ut II, 65; IX, 7; X, 29) *fixas, ut haud secus*, etc. malebat Gron. et sic unus e nostris codd. Ed. — *Haud secus quam si vallo septa inhorreret acies*, hastis triariorum erectis; ut *inhorrere, horrere* et Græci φρίσσειν dicuntur ea, quæ erecta sunt seu eminent, res acutæ simul stantes, v. c. hastæ, capilli, aristæ, valli; vide XLIV, 41, n. 5; et Sil. I, 423. — *Proverbio increbruit*, v. VII, 12, n. 1.

9. *Triarii consurgentes* (vide not. 7), *ubi in intervalla*, etc. vide not. 6. — *In hostem incidebant*, ed. Gryph. *incedebant*, quod dignius est velut gravitate triariorum et justa pugna, non casu commissa; Bauer. — *Novam repente aciem exsurgentem auctam numero*, vide not. 4.

cenis[10]; alterum tantum[11] ex latino delectu adjiciebatur, qui ea tempestate hostes erant Romanis, eodemque ordine instruxerant aciem: nec vexilla cum vexillis tantum[12], universi hastati cum hastatis, principes cum principibus; sed centurio quoque cum centurione, si ordines turbati non essent, concurrendum sibi esse sciebant. Duo primipili ex utraque acie inter triarios erant: Romanus corpore haudquaquam satis validus, cæterum strenuus vir, peritusque militiæ: Latinus viribus ingens bellatorque primus; notissimi inter se, quia pares semper ordines duxerant. Romano, haud satis fidenti viribus, jam Romæ permissum erat ab consulibus, ut subcenturionem[13] sibi,

10. *Scribebantur autem quatuor fere legiones, quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis:* voc. *fere* inter *quinis* et *millibus* ponendum putant intpp. Sed plures etiam legiones nonnunquam scriptæ. Numerus militum inpr. peditum, postea subinde variavit, et modo imminutus est (v. XXI, 17), modo auctus; vide XXII, 36, ubi tamen legioni in pugna demum Cannensi *centenos equites adjectos* legimus, ut in quavis *treceni equites* essent. Sed totidem jam nostro loco memorantur, et aliis, v. c. III, 62; VII, 25; et XXI, 17. Hinc Lips. Mil. rom. II, 6; et Duk. ad Liv. XXII, 36. suspicantur, ea, quæ XXII, 36, de equitibus dicta sint, interpolatori deberi, vel *quadringenos equites*, substituendos esse: nam tot quoque nonnunquam, etsi raro, reperiri, verbi c. XXIII, 34; XL, 36; XLV, 16. At Livius nusquam 200 equites in legione memorat; et XXII, 36, aliorum affert sententiam quam et Polybius III, 107, amplectitur, ubi dicit, primis reip. temporibus in legione peditum fere 4000 (rotundo numero, pro 4200, ut al.), et equites 200 fuisse, sed, quoties major fuerit necessitas, fere 5000 peditum et 300 equites: qui equitum numerus perpetuus forte fuit. Confer Ind. voc. *Legio*, ad XXIII, 34, n. 7; XXXIII, 1, n. 2; Polyb. I, 16; II, 24; III, 72, 107; VI, 18 et 20; ad quæ loca confer Casaub. et Schweigh.

11. *Alterum tantum ex latino delectu adjiciebatur* (vide ad XXII, 36, n. 4), *qui* scil. Latini *erant*, etc. Cf. ad V, 49, n. 5. — Ex ipsa verborum vi, secunda quædam summa priori æqualis, adeoque modo intelligi debet tantumdem, modo duplum. Si, verbi gratia, ad quatuor *alterum tantum* adjicere velis, addes alia quatuor. At si datis uni homini, v. c. quatuor assibus, al. *alterum tantum* dare cupis, octo asses dabis: priore modo hic usurpatur *alter. tantum*, posteriore positum reponitur quum alibi sæpius, tum infra X, 46. Ed.

12. *Nec vexilla cum vexillis tantum* triariorum, hoc est, triarii cum triariis. Confer Duk. — *Duo primipili*, etc. Cf. II, 27, n. 7. — *Pares semper ordines duxerant*, v. II, 23, n. 4.

13. *Subcenturionem*, qui vice cen-

quem vellet, legeret, qui tutaretur eum ab uno destinato hoste; isque juvenis, in acie oblatus, ex centurione latino victoriam tulit. Pugnatum est haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat.

IX. Romani consules prius, quam educerent in aciem [1], immolaverunt. Decio caput jocinoris a familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse; alioqui acceptam diis hostiam esse: Manlium [2] egregie litasse. « Atqui bene habet [3], inquit Decius, si ab collega lita« tum est. » Instructis, sicut ante dictum est, ordinibus, processere in aciem. Manlius dextro, Decius lævo cornu præerat; primo utrinque æquis viribus, eodem ardore animorum gerebatur res: deinde ab lævo cornu hastati romani, non ferentes impressionem Latino-

turionis (in pugna) fungeretur (*Lieutenant*), *et tutaretur eum ab uno destinato hoste*, ab Latino primi pili centurione, cui Romanus erat oppositus, et quocum is *concurrendum sibi esse sciebat*.

CAP. IX. 1. *Prius quam educerent in aciem*, vide ad I, 23, n. 4. — *Caput jocinoris* (al. *jecinoris*) quid proprie fuerit in haruspicum disciplina, non satis constat: exta vero ab iis *limite*, seu *fisso*, hoc est, linea imaginaria, ducta a fisso (Græci πύλην dicunt, ubi finduntur lobi jecoris) dividebantur in duas partes, in *hostilem*, et in *familiarem partem* extorum vel *fissum familiare*. Illa pars, et quidquid in ea erat, vel boni vel mali ominis ad hostes, hæc ad sacrificantem ejusque amicos vel familiam et domum pertinebat; unde et *familiare ostentum* infra XXVI, 6, dicitur, quo nobismet ipsis aliquid portenditur. Confer Ernesti clav. Cic. v. *fissum*; Lucan. I, 618 seq. Virg. Ge. I, 485; Cic. Div. I, 10, 52; II, 12 et 13, ubi *haruspices*, dicit, *fissum familiare et vitale tractant; caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant: si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius*. Inde lucebit sensus hoc loco. Confer ad XXVII, 26 extr. XXX, 2, n. 6; XLI, 14, n. 3; inpr. XLI, 15, n. 3 et 4; Scheffer. ad Obseq. p. 68, ed. Oudend. *Cæsum* autem *caput jecinoris* mali fuisse ominis, patet etiam ex Ov. Met. XV, 795. — Harduin. ad Plin. XI, 37, interpretatur, victimarii cultro per imprudentiam læsum. ED.—*Ostendisse*, « i. e. dixisse, retulisse. Non enim adesse solebant semper duces, ac, si adesset Decius, Manlius quoque affuisset, et ipse, litasse eum, vidisset. Certe ad reliqua, *acceptam diis hostiam esse* et *Manlium litasse*, debet intelligi per διλογίαν *narrasse* »; Bauer.

2. *Manlium egregie litasse*, vide ad V, 38, n. 1.

3. *Atqui bene habet*, vide ad VI 35, n. 6.

rum, se ad principes recepere. In hac trepidatione Decius consul M. Valerium magna voce inclamat: « Deo-« rum, inquit, ope, Valeri, opus est. Agedum, pon-« tifex publicus [4] populi romani, præi verba, quibus « me pro legionibus devoveam. » Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, et, velato capite, manu subter togam ad mentum exserta, super telum subjectum pedibus stantem, sic dicere: « Jane, Jupiter, « Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Noven-« siles [5], dii Indigetes, divi, quorum est potestas no-« strorum hostiumque, diique Manes, vos precor, « veneror, veniam peto feroque [6], uti populo romano « Quiritium vim victoriamque prosperetis, hostesque « populi romani Quiritium terrore, formidine, mor-« teque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro re-« publica Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliis po-« puli romani Quiritium, legiones auxiliaque hostium « mecum diis Manibus Tellurique devoveo. » Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, matureque collegæ se devotum pro exercitu nuntiare. Ipse, incinctus cinctu [7] gabino, armatus in equum insiluit, ac se in medios hostes immisit. Conspectus ab utraque

4. *Agedum, pontifex publicus* (nominat. pro vocat. ut I, 24; et al. passim) *populi romani, præi verba, quibus me pro legionibus devoveam*, ut infra X, 28, de filio ejus. Confer ad V, 41, n. 4, et de formula devotionis Macrob. Sat. III, 9.

5. *Divi Novensiles* a Sabinis accepti teste Varr. L. L. IV, 10. Quales fuerint, et unde dicti, utrum a numero, an novitate et salitione, an ab alia re, ipsos quoque Romanos ignorasse contendit Arnob. adv. gent. lib. III.—*Dii Indigetes*, vide ad I, 2, n. 3.

6. *Veniam*, gratiam hanc, *peto feroque*, aufero, obtineo, impetro. Ita Heyn. in Gött. gel. Anz. anno 1785, p. 1793. Id vel ob certam exauditionis precum fiduciam, vel boni ominis causa dictum videtur. *Ferre* h. l. esse idem quod *rogare*, et verbis seqq. jungendum, non persuasit nobis Strothius collata formula *legem ferre;* et parum probabilis est emendatio Dukeri *quæsoque*. — Mox verba *populi romani* post *republica* excidisse suspicabatur Gron. Forte leg. *ita pro rom. populo Quiritium*.

7. *Cinctu*... (forte *ritu* vel *cultu*) *Gabino*, v. V, 46, n. 2; et X, 7, n. 3.

acie aliquanto augustior humano visu[8], sicut cælo missus piaculum omnis deorum iræ, qui pestem ab suis aversam in hostes ferret. Ita omnis terror pavorque, cum illo latus, signa primo Latinorum turbavit[9]; deinde in totam penitus aciem pervasit. Evidentissimum id fuit, quod, quacumque equo invectus est, ibi, haud secus quam pestifero sidere icti, pavebant: ubi vero corruit obrutus telis, inde jam haud dubie consternatæ cohortes Latinorum fugam ac vastitatem[10] late fecerunt. Simul et Romani, exsolutis religione animis, velut tum primum signo dato coorti, pugnam integram ediderunt; nam et rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus; et triarii, genu dextro innisi[11], nutum consulis ad consurgendum exspectabant.

X. Procedente deinde certamine, quum aliis partibus multitudo superaret[1] Latinorum, Manlius consul, audito eventu collegæ, quum, ut jus fasque erat, lacrymis non minus quam laudibus debitis prosequutus tam memorabilem mortem esset; paulisper addubi-

8. *Augustior humano visu*, aspectu, habitu, specie, hoc est, homine. Confer ad cap. 6, n. 3. Plane assentimur Gronovio eliminanti ultimam vocem; *humanus* nimirum apud optimos latinitatis auctores interdum pro homine sumitur. Cic. ad Attic. XIII, epist. 21: *possum falli, ut humanus*. Ovid. fast. II, 503: « Pulcher, et humano major, trabeaque decorus Romulus in media visus adesse via. » Ed. — *Sicut cælo missus* in, seu tanquam *piaculum*, etc. vide ad XXI, 10, n. 14.

9. *Signa primo Latinorum turbavit*, forte *prima;* saltem signa prima sunt intelligenda; Ern. Confer ad XXIV, 16, n. 1. — *Deinde in totam p. aciem pervasit;* forte del. *in*, Bauer. *dein* pro *deinde in* conjicit Schæf. ut syllabarum repetitio vulgatam pepererit, aut duæ lectiones, *deinde*, *dein*, commistæ sint. — Sup. VI, 24, omissa præpositione: *Et adhortatio... pervasit aciem;* sed aliter alibi Liv. loqui constat. Cf. XLV, 10. Ed.—*Evidentissimum*, nos: *das auffallendste;* Stroth.

10. *Fugam ac vastitatem*, solitudinem, loca vasta et deserta. — *Exsolutis religione animis*, vide ad II, 32, n. 3. — *Rorarii*, vide ad c. 8, n. 5.

11. *Triarii genu dextro innisi*, etc. vide ad cap. 8, n. 7.

Cap. X. 1. *Multitudo superaret*, abundaret, ut III, 5 pr. V, 21, 38; vel superior esset, ut XXIX, 30; vel superesset, ut XXIX, 7, 24; XLV, 24.

tavit, an consurgendi jam triariis tempus[2] esset: deinde, melius ratus integros eos ad ultimum discrimen servari, accensos ab novissima acie[3] ante signa procedere jubet. Qui ubi subiere, extemplo Latini, tanquam idem adversarii fecissent, triarios suos excitaverunt: qui aliquandiu pugna atroci quum et semet ipsi fatigassent, et hastas aut præfregissent, aut hebetassent, pellerent vi tamen hostem, debellatum jam rati, perventumque ad extremam aciem; tum consul triariis, « Consurgite nunc, inquit, integri adversus fessos, memores patriæ, parentumque, et conjugum, ac liberorum; memores consulis pro vestra victoria morte occumbentis. » Ubi triarii consurrexerunt integri, refulgentibus armis, nova ex improviso exorta acies, receptis in intervalla ordinum antepilanis[4], clamore sublato principia Latinorum perturbant; hastisque ora fodientes[5], primo robore virorum cæso, per alios manipulos, velut inermes, prope intacti evasere; tantaque cæde perrupere cuneos, ut vix quartam partem relinquerent hostium. Samnites quoque, sub radicibus montis procul instructi, præbuere terrorem Latinis. Cæterum inter omnes cives sociosque præcipua laus

2. *Consurgendi jam triariis tempus*, vide ad cap. 8, n. 7.

3. *Accensos ab novissima acie*, v. ad I, 43, n. 13, et VIII, 8, n. 4.

4. *Receptis in intervalla ordinum*, etc. vide ad cap. 8, n. 6, 9. — *Principia Latinorum*, vid. ad II, 65, n. 1. — Primam aciem. Ed.

5. *Hastisque ora fodientes*; pungentes, vulnerantes, ut XXI, 55 extr. — *Fœdantes*. Lovel. 4: nec male; nam *fœdum* et *fœdare* propria in vulneribus ac strata acie vocabula esse novimus. *Ferientes* nonnulli etiam hab. codd. cui lectioni firmandæ facere posset dictum Cæsaris, a Floro memoratum IV, 2, *miles feri faciem*. Sed nihil mutatione opus est. Ita enim locutus est noster XXI, 55, *velites insequuti aversos elephantos, qua maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant*. Et Curt. IV, 25, *resistentium adversa ora fodiebat*; V, 4, *ipsorum telis plerosque fodiebant*, etc. Ed. — Triarii cominus hostes petebant hastis, non eas projiciebant, ut hastati. Conf. ad cap. 8, n. 8, et Polyb. II, 33, n. 4. — *Perrupere cuneos*, vide ad II, 50, n. 8. — *Præcipua laus ejus belli penes consules fuit*, nemo majorem laudem pro-

ejus belli penes consules fuit : quorum alter omnes minas, periculaque ab diis superis inferisque in se unum vertit; alter ea virtute, eoque consilio in prælio fuit, ut facile convenerit inter Romanos Latinosque, qui ejus pugnæ memoriam posteris tradiderunt, utrius partis T. Manlius dux fuisset, ejus futuram haud dubie fuisse victoriam. Latini ex fuga se Minturnas contulerunt : castra secundum[6] prælium capta, multique mortales ibi vivi oppressi, maxime Campani. Decii corpus ne eo die inveniretur[7], nox quærentes oppressit; postero die, inventum inter maximam hostium stragem, coopertum telis; funusque ei par morti[8], celebrante collega, factum est. Illud adjiciendum videtur, licere consuli, dictatorique, et prætori, quum legiones hostium devoveat[9], non utique se, sed, quem velit, ex legione romana scripta civem devovere; si is homo, qui devotus est, moritur, probe factum videri : ni moritur, tum signum septem pedes altum[10], aut majus, in terram defodi, et piaculum hostiam[11] cædi. Ubi illud signum defossum erit, eo magistratum romanum escendere fas non esse. Sin autem sese devovere volet, sicuti Decius devovit; ni moritur, neque suum[12], ne-

meruit; Drak. Idem *socios* h. l. esse putat Laurentes Campanorumque equites, qui non desciverint; vide c. seq.

6. *Castra secundum*, post, *prælium capta*, cf. I, 4, n. 1; ita sup. VII, 37, *secundum donationem consulis*, etc.

7. *Decii corpus ne eo die inveniretur, nox* fecit, vel impedivit, quæ *quærentes oppressit.*

8. *Funusque ei par morti...factum est*, h. e. consentaneum, conveniens, respondens, morte dignum, nec minus honestum et gloriosum.

9. *Quum legiones hostium devoveat, non utique* (vide ad II, 30, n. 1, et VI, 35, n. 4) *se...devovere*, conf. ad V, 41, n. 4. Vox *scripta* nisi corrupta, certe superflua est; Ern.

10. *Signum septem pedes altum*, imaginem hominis, qui devotus non est mortuus : mortem enim ejus defossione imaginis, et hostiæ cæde repræsentari voluerunt; Sigon.

11. *Piaculum hostiam cædi* MSS per appositionem, vel ἐπεξήγησιν pro vulg. *hostia :* nisi leg. *piaculo*, vel *in piaculum*, vel *piacularem*. — *Escendere*, conf. ad II, 7, n. 7; *descendere* quædam edd.

12. *Neque suum*, gentile, *neque*

que publicum divinum pure faciet, qui sese devoverit. Vulcano arma, sive cui alii divo, vovere[13] volet, sive hostia, sive quo alio volet, jus est. Telo[14], super quod stans consul precatus est, hostem potiri, fas non est: si potiatur, Marti suovetaurilibus[15] piaculum fieri.

XI. Hæc (etsi omnis divini humanique moris memoria abolevit[1], nova peregrinaque omnia priscis ac patriis præferendo), haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre. Romanis, post prælium demum factum, Samnites venisse subsidio, exspectato eventu pugnæ, apud quosdam auctores invenio. Latinis quoque ab Lavinio auxilium, dum deliberando terunt tempus, victis demum ferri cœptum; et, quum jam portis prima signa, et pars agminis esset egressa, nuntio allato de clade Latinorum, quum conversis signis retro[2] in urbem rediretur, prætorem eorum nomine Milionium dixisse ferunt, *pro paulula via magnam mercedem Romanis*

publicum divinum, sacrificium, rem divinam. Cf. ad II, 1, n. 3.

13. *Vulcano arma vovere:* al. *devovere.* « Hoc pæne melius, tum ob euphoniam, quam tamen in re tam exili haud urgeam, tum quia de *devotione* utique, seu hominis, seu armorum, sermo est; quæ tamen, vix est, quin *voveri* rectius, quam *devoveri*, dicantur. Arma *devota* essent, exsecrando, loco ipsius hominis, abolitioni data. *Vovere* tamen rei futuræ est, quum h. l. de præsenti agatur. Mox in *volet* intell. facere, scil. sacra (cur non *devovere?*), et pro *est* alii *esto*, quod placeret, si non Livii narratio, sed carminis ipsius recitatio directa foret; » Bauer. — *Sive hostia, sive quo alio*, vel hostia cæsa, vel alia quadam re, seu alio aliquo ritu sacro, qui ipsi placet; Strothius.

14. *Telo, super quod stans*, etc. conf. cap. 9.

15. *Marti suovetaurilibus piaculum fieri*, conf. ad I, 44, n. 3.

Cap. XI. 1. *Moris* (veteris, prisci) *memoria abolevit*, cf. ad I, 23, n. 1. *Memoria* autem aliquid proximum curæ, et speciem quamdam sollicitudinis denotat, ut IV, 21, n. 2, *belli inferendi memoria*, cupiditas et propositum, XXVII, 3. *Tarentinæ arcis* (recipiendæ) *memoria*, cura, et ad eam recipiendam intentio; J. Gron.

2. *Conversis signis retro*, etc. conf. ad II, 45, n. 10, et III, 54, n. 5. — *Prætorem eorum Milionium*, vide ad IX, 16, n. 10.

esse solvendam. Qui Latinorum pugnæ superfuerant, multis itineribus dissipati, quum se in unum conglobassent, Vescia urbs [3] eis receptaculum fuit. Ibi in consiliis Numisius imperator eorum, affirmando, *communem vere Martem belli* [4] *utramque aciem pari cæde prostravisse, victoriæque nomen tantum penes Romanos esse, cæteram pro victis fortunam* [5] *et illos gerere: funesta duo consulum prætoria* [6], *alterum parricidio filii, alterum consulis devoti cæde; trucidatum exercitum omnem; cæsos hastatos principesque; stragem et ante signa, et post signa factam; triarios postremo rem restituisse. Latinorum etsi pariter accisæ copiæ sint, tamen supplemento vel Latium propius esse, vel Volscos, quam Romam. Itaque, si videatur eis, se, ex latinis et ex volscis populis juventute propere excita, rediturum infesto exercitu Capuam esse; Romanosque, nihil tum minus quam prælium exspectantes, nec opinato adventu perculsurum*. Fallacibus literis circa Latium nomenque volscum missis, quia, qui non interfuerant pugnæ, ad credendum te-

3. *Vescia urbs*, Βεσκία πόλις Αὐσόνων Steph. unde *vescinus ager* et *saltus*. Cf. IX, 5; X, 20, 21, 31. — *Numisius*, an *Numicius?* quomodo supra cap. 3. Cæterum in eo parvi refert, quid veri sit. Illud magis notandum videtur vocem *Numisius* pendere quodammodo, nec habere, cui innitatur, verbum finiti modi; simile plane exemplum rursus occurrit lib. XXVI, cap. 12. Ed.

4. *Communem Martem belli*, vide ad V, 12, n. 1.

5. *Cæteram pro victis fortunam*, conf. ad II, 7, n. 4.

6. *Funesta duo consulum prætoria*, tentoria, funeribus quasi polluta. — *Stragem et ante signa, et post signa factam*, et antesignanorum, et postsignanorum. De antesignanis supra vidimus; postsignani vero, de quibus hic sermo est, fortasse intelligendi sunt *accensi* quos ab novissima acie consul Manlius excitaverat; præcipua enim legionis signa penes triarios fuisse, observatum est. Ed. — *Accisæ copiæ*, vide ad III, 10, n. 9. — *Romanosque, nihil tum minus quam prælium exspectantes*. Similiter Liv. XXII, 19, *nihil minus quam hostem aut prælium eo die exspectantes, conscendere naves propere, atque arma capere jubet*. Locutionem *nihil minus quam*, ut et *exspectare* pro *timere* positum, illustrat Clar. Cortius ad Sallustii Jugurth. cap. XIV, § 11.

mere faciliores erant, tumultuarius undique [7] exercitus raptim conscriptus convenit. Huic agmini Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam Minturnasque is locus est) occurrit; prius quam castris locus caperetur, sarcinis utrimque in acervum conjectis, pugnatum debellatumque est; adeo enim accisæ [9] res sunt, ut consuli, victorem exercitum ad depopulandos agros eorum ducenti, dederent se omnes Latini, deditionemque eam Campani sequerentur. Latium Capuaque agro mulctati [9]. Latinus ager, privernati addito agro, et falernus, qui populi campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen, plebi romanæ dividitur. Bina in latino jugera [10], ita ut dodrantem ex privernati complerent, data; terna in falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adjectis. Extra pœnam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites [11], quia non desciverant. Cum Laurentibus renovari fœdus jussum; renovaturque ex eo quotannis post diem decimum latinarum [12]. Equitibus campanis civitas data:

7. *Tumultuarius undique exercitus*, vide ad I, 37, n. 4. Verba adjecta et synonyma *raptim conscriptus* forte glossatori debentur.

8. *Accisæ res*, vide III, 10, n. 9.

9. *Latium Capuaque agro mulctati*, vide ad III, 47, n. 1.

10. *Bina in latino* agro *jugera, ita ut dodrantem ex privernati complerent*, adderent, adjicerent, h. e. et dodrans, seu $\frac{3}{4}$ jugeri in privernati, *data* cuilibet, ita ut singuli 2 $\frac{3}{4}$ acciperent; *terna* vero integra jugera his, qui ex falerno accipiebant, data sunt, ut quadrante igitur plus his, qui in latino essent, acciperent; qui *quadrans adjectus* est *pro longinquitate*, propterea, quod ager falernus longius abesset ab Urbe; Strothius.

11. *Campanorumque equites*, etc., quorum *equitum honoris causa* paulo post omnibus quoque *Campanis civitas* data, sed *sine suffragio*; vide cap. 14 extr. XXIII, 5; XXVI, 33; XXXI, 31; Scalig. ad Euseb. p. 329. *Campani* potissimum sunt Capuani: unde c. 14 extr. *ejusdem juris c. cujus Capuam e. p.* Conf. et not. 9. Propter datam autem civitatem Campani ab an. Urb. 416 ad 541, quo civitas eis adempta (vide XXVI, 14 sq.), in legionibus quoque romanis non *sociorum*, sed *civium* numero sunt habiti, ita ut integra quoque legio romana conscriberetur ex Campanis, et campano duce uteretur. Conf. Epit. lib. XII, Polyb. I, 7; II, 24, n. 14; ubi v. Schweigh.

12. *Post diem decimum latinarum*

monimentoque ut esset, æneam tabulam in æde Castoris Romæ fixerunt; vectigal quoque eis campanus populus jussus pendere in singulos quotannis (fuere autem mille et sexcenti) denarios nummos[13] quadringenos quinquagenos.

XII. Ita bello gesto, præmiis pœnaque pro cujusque merito persolutis, T. Manlius Romam rediit : cui venienti seniores tantum obviam exisse constat; juventutem, et tunc, et omni vita deinde, aversatam eum exsecratamque. Antiates in agrum ostiensem, ardeatem, solonium incursiones fecerunt. Manlius consul, quia ipse per valetudinem[1] id bellum exsequi nequierat, dictatorem L. Papirium Crassum, qui tum forte erat prætor, dixit : ab eo magister equitum L. Papirius Cursor dictus. Nihil memorabile adversus Antiates ab dictatore gestum est, quum aliquot menses stativa in agro antiati habuisset. Anno insigni victoria[2] de tot ac tam potentibus populis, ad hoc consulum alterius nobili morte, alterius sicut truci, ita claro ad memoriam imperio, successere consules Ti. Æmilius Mamercinus et Q. Publilius Philo; neque in similem materiam[3] rerum, et ipsi aut suarum rerum, aut partium[4] in republica magis, quam patriæ, memores. Latinos, ob iram agri amissi[5] rebellantes, in campis fenectanis[6] fuderunt castrisque exuerunt. Ibi Publilio,

feriarum, X die postquam illæ erant actæ. Ipsæ per IV dies agebantur. Cf. ad I, 45, n. 2.

13. *Denarios nummos*, etc. quorum valor ex posterioris temporis ratione accipiendus videtur, ut singuli fere 96 imperiales acceperint; Stroth. Conf. Schel. ad Polyb. c. 3.

Cap. XII. 1. *Per valetudinem*, vide ad V, 12, n. 6.

2. *Anno insigni victoria*, etc. h. e. consulibus hujus anni, qui insignis fuit. — *Successere consules*, etc. Ita passim.

3. *Neque in similem materiam rerum, et*, etc. conf. ad IV, 29, n. 3.

4. *Aut partium in republica*, etc. nam Æmilius erat fautor nobilium, et Publilius plebis, de qua erat.

5. *Ob iram agri amissi*, vide ad I, 5, n. 5.

6. *In campis fenectanis*, in 6 MSS *ferentanis*. Doujat. emend. *ferentinis*.

cujus ductu auspicioque res gestæ erant, in deditionem accipiente latinos populos, quorum ibi juventus cæsa erat, Æmilius ad Pedum exercitum duxit[7]. Pedanos tuebatur tiburs, prænestinus veliternusque populus: venerant et ab Lavinio[8] Antioque auxilia. Ubi quum præliis quidem superior Romanus esset, ad urbem ipsam Pedum, castraque sociorum populorum, quæ urbi adjuncta erant, integer labor restaret[9]; bello infecto repente omisso, consul, quia collegæ decretum triumphum audivit, ipse quoque triumphi ante victoriam flagitator Romam rediit. Qua cupiditate offensis Patribus, negantibusque, nisi Pedo capto aut dedito, triumphum, hinc alienatus ab senatu Æmilius seditiosis tribunatibus similem deinde consulatum gessit. Nam neque, quoad fuit consul[10], criminari apud populum Patres destitit, collega haudquaquam adversante, quia et ipse de plebe erat: (materiam autem præbebat criminibus[11] ager in latino falernoque agro maligne plebei divisus) et, postquam senatus, finire imperium consulibus cupiens, dictatorem adversus

— Ferentinum urbs est Latii, et de aqua et luco Ferentinæ mentio facta a Livio est supra I, 51, et alibi. Ed. — Legit Cluver. ital. Ant. c. 4, p. 965, *Pedanis*. Conf. ad III, 50, n. 1.

7. *Ad Pedum exercitum duxit*, cf. ad cap. 1, n. 1.

8. *Ab Lavinio*, al. *Lanuvio*. Sed v. ad cap. 13, n. 4.

9. *Integer labor restaret*, conf. ad II, 5, n. 1.

10. *Nam neque, quoad fuit consul, criminari...et*, etc. cf. IV, 29, n. 3.

11. *Materiam autem præbebat criminibus* (vide ad III, 19, n. 7) *ager in latino falernoque agro...divisus*, conf. cap. 11. Scio posse excusari *ager in agro*, quum priore loco partem proprie illam designet, quæ sub sortem et perticam venit, posteriore omne territorium eorum populorum: sed malim delere τὸ *agro*, et intelligere illud ipsum, vel *solo*, ut III, 6, n. 6, *in hernico*, et infr. c. 34 (VI, 31; XXIII, 27; XXVIII, 24), *in pacato, in hostico;* Gronov. Sic et *in veienti* VI, 14, n. 9; *in antiati* XXII, 1, n. 15; *in capenate* XXXIII, 26; *in crustumino* XLI, 13; *in lanuvino* XLI, 21. Conf. ad VI, 31, n. 3; X, 27, n. 3; et X, 32, n. 1. — Non video cur ea vox *agro* suspecta esse debeat viro docto qui patienter tulit supra capit. præced. *latinus ager, privernati addito agro, et falernus plebi romanæ dividitur.* Vide Drak. ad I, 3. Ed.

rebellantes Latinos dici jussit, Æmilius[12], cujus tum fasces erant, collegam dictatorem dixit : ab eo magister equitum Junius Brutus dictus. Dictatura popularis et orationibus in Patres criminosis fuit, et quod tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati, tulit : unam, ut plebiscita omnes Quirites[13] tenerent : alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium Patres auctores fierent[14] : tertiam, ut alter utique[15] ex plebe, quum eo ventum sit, ut utrumque plebeium consulem fieri[16] liceret, censor crearetur. Plus eo anno domi acceptum cladis ab consulibus ac dictatore, quam ex victoria eorum bellicisque rebus foris auctum imperium, Patres credebant.

XIII. Anno insequenti, L. Furio Camillo, C. Mænio consulibus, quo insignitius omissa res Æmilio, superioris anni consuli, exprobraretur[1], Pedum armis, virisque, et omni vi expugnandum ac delendum senatus fremit; coactique novi consules, omnibus eam rem præverti[2], proficiscuntur. Jam Latio is status erat rerum, ut neque bellum, neque pacem pati possent; ad bellum opes deerant; pacem ob agri adempti dolorem

12. *Æmilius, cujus* (penes quem) *tum fasces erant*, vide ad II, 1, n. 11. *Dictatura popularis fuit*, vide II, 8, n. 1, et III, 15, n. 8. — *Et quod... tulit* dictatura; vid. XXXIV, 6, n. 10.

13. *Ut plebiscita omnes Quirites tenerent*, vid. II, 60, n. 2. — Eamdem jam legem tulerant consules M. Valerius, et M. Horatius post liberatam a decemvirorum tyrannide rempublicam; vide III, 55. Eadem et renovata est postea a Q. Hortensio dictatore, occasione secessionis in Janiculum an. 466. Vid. Pigh. in Ann. ad an. 415. Ed.

14. *Ante initum suffragium Patres auctores fierent*, vide ad I, 17, n. 6.

15. *Alter utique ex plebe*, etc. vide ad II, 30, n. 1, et VI, 35, n. 4.

16. *Utrumque plebeium consulem fieri*, conf. ad VII, 42, n. 2. Id vero gravius erat.

Cap. XIII. 1. *Quo insignitius omissa res Æmilio exprobraretur*, ut eo magis in oculos incurreret exprobranda Æmilio belli continuandi negligentia; Doer.

2. *Omnibus eam rem præverti*, vide ad II, 24, n. 3. Nonne vero legendum *prævertere?* — *Præverti*, est *verti præ omnibus*, præponi. Ed. — *Ob agri adempti dolorem*, vide ad I, 5, n. 5.

aspernabantur. Mediis consiliis standum[3] videbatur, ut oppidis se tenerent; ne lacessitus Romanus causam belli haberet; et, si cujus oppidi obsidio nuntiata esset, undique ex omnibus populis auxilium obsessis ferretur. Neque tamen, nisi admodum a paucis populis, Pedani adjuti sunt. Tiburtes, Prænestinique, quorum ager propior erat, Pedum pervenere. Aricinos, Laviniosque[4], et Veliternos, Antiatibus Volscis[5] se conjungentes, ad Asturæ flumen Mænius, improviso adortus, fudit. Camillus ad Pedum cum Tiburtibus, maxime valido exercitu, majore mole[6], quamquam æque prospero eventu, pugnat. Tumultum maxime repentina inter prælium eruptio oppidanorum fecit: in quos parte exercitus conversa, Camillus non compulit solum eos intra mœnia, sed eodem etiam die, quum ipsos auxiliaque eorum perculisset, oppidum scalis cepit. Placuit inde, jam majore conatu animoque ab unius expugnatione urbis ad perdomandum Latium victorem circumducere exercitum; nec quievere ante, quam, expugnando aut in deditionem accipiendo singulas urbes, Latium omne subegere. Præsidiis inde dispositis per recepta oppida, Romam ad destinatum omnium consensu triumphum decessere: additus triumpho honos, ut statuæ equestres eis[7], rara

3. *Mediis consiliis standum,* vide ad I, 32, n. 5, et III, 36, n. 11.

4. *Aricinos, Laviniosque,* al. *Lanuvinosque.* Sed nostræ lectioni favent et libri quidam, et inpr. inscriptio lapidis Capitol. apud Gruter. p. 297. Confer tamen Cluver. ital. Ant. III, 4, p. 939. De columna Mænia (quæ mox *statua equestris* dicitur), et rostris navium Antiatum, a Mænio fixis in suggestu fori ante curiam Hostiliam, quæ Rostra vetera dicta, conf. cap. 14 extr. Plin. XXXIV, 5, seu 11; Nonius, I, n. 33; Flor. I, 11; Varro Ling. lat., IV, 32.

5. *Antiatibus Volscis,* conf. ad II, 25, n. 2. — *Asturæ flumen,* Plin. III, 5. *Astura,* Strab. V, p. 232. Στόρα, et Festo *Stura* dicitur. *Staturæ* omnes fere MSS. Cf. Cluver. ital. Ant. III, 7, p. 991.

5. *Majore mole,* certamine; vide ad I, 38, n. 4.

7. *Ut statuæ equestres eis, rara illa ætate res, in foro ponerentur,* cf. IX, 43, n. 11; Noris. ad Cenot. Pis. III,

illa ætate res, in foro ponerentur. Prius, quam comitiis in insequentem annum consules rogarent, Camillus de latinis populis ad senatum retulit, atque ita disseruit : « Patres conscripti, quod bello armisque « in Latio agendum fuit, id jam deum benignitate, ac « virtute militum ad finem venit; cæsi ad Pedum Asturamque sunt exercitus hostium; oppida latina omnia, et Antium ex Volscis[8], aut vi capta, aut recepta in deditionem, præsidiis tenentur vestris. « Reliqua consultatio est, quoniam rebellando sæpius « nos sollicitant, quonam modo perpetua pace quietos obtineamus. Dii immortales ita vos potentes « hujus consilii fecerunt[9], ut, sit Latium deinde, an « non sit, in vestra manu posuerint. Itaque pacem « vobis, quod ad Latinos attinet, parare in perpetuum, « vel sæviendo, vel ignoscendo, potestis. Vultis crudeliter consulere in deditos victosque? licet delere « omne Latium, vastas inde solitudines facere, unde « sociali egregio exercitu per multa bella[10] magnaque « sæpe usi estis. Vultis exemplo majorum augere rem « romanam, victos in civitatem accipiendo? materia « crescendi per summam gloriam suppeditat[11]; certe « id firmissimum longe imperium est, quo obedientes « gaudent. Sed maturato opus est, quidquid statuere « placet; tot populos inter spem metumque suspensos « animi[12] habetis : et vestram itaque de eis curam

8; Figrel. de Statuis rom. cap. 18. — *Prius quam comitiis...consules rogarent*, vide ad IV, 58, n. 10. — Priusquam rogarent populum novos consules, sive, priusquam comitia novis consulibus creandis haberent, supple, ii qui tum consules erant. Ed.

8. *Antium ex Volscis*, vide ad II, 63, n. 3.

9. *Dii immortales ita vos potentes hujus consilii fecerunt* (cf. ad XXII, 42, n. 5), *ut in vestra manu posuerint;* vide ad V, 20, n. 1.

10. *Per multa bella magnaque*, cf. ad II, 18, n. 1.

11. *Materia crescendi...suppeditat,* vide ad VI, 24, n. 1.

12. *Inter spem metumque suspensos animi*, v. ad II, 32, n. 5. — *Itaque*, ergo et vestra et illorum interest rem

« quam primum absolvi, et illorum animos, dum ex« spectatione stupent, seu pœna, seu beneficio, præ« occupari oportet. Nostrum fuit efficere, ut omnium « rerum vobis ad consulendum potestas esset: vestrum « est decernere, quod optimum vobis reique publicæ « sit. »

XIV. Principes senatus relationem consulis de summa rerum [1] laudare; sed, quum aliorum causa alia esset, ita expediri posse consilium, dicere, ut pro merito cujusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de singulis decretumque. Lanuvinis civitas [2] data, sacraque sua reddita cum eo [3], ut ædes lucusque Sospitæ Junonis [4] communis lanuvinis municipibus cum populo romano esset. Aricini, Nomentanique, et Pedani eodem jure, quo Lanuvini,

maturari et confieri: vestra, ut absolvamini tanta cura: illorum, ut vel pœna, vel beneficio præveniantur, priusquam se colligere, et ipsi aliquid consilii capere possint; Gron.

Cap. XIV. 1. *De summa rerum*, vide ad III, 5, n. 6. Mox *referrent* scilicet consules ad senatum.

2. *Lanuvinis civitas* Rom. *data*, et nunc *municipes* facti cum aliis Latinis. Confer Cic. p. Corn. Balbo 13, et infra ad IX, 43, n. 11.

3. *Sacraque sua reddita cum eo*, ea lege, vel hoc adjecto, *ut*, etc. Confer XXX, 10 extr.; XXXVI, 5, n. 2; et ad I, 32, n. 9; *reddita* forte *relicta:* nam sacra victis hostibus adempta fuisse, non constat; Duk. Confer IX, 43, n. 11.

4. *Ædes lucusque Sospitæ Junonis* vel *Sispitæ* et *Conservatricis*. Confer Ind. et ad Sil. VIII, 360; XIII, 364. — *Communis Lanuvinis municipibus cum populo romano esset*, Lanuvinis qui cives romani modo facti fuerant. *Municipes*, inquit Gellius XVI, 13, *sunt cives romani ex municipiis, suo jure et legibus suis utentes, muneris tantum cum populo romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi romani lege adstricti.* Illi igitur, ut paulo infra Gellius addit, *honorem civitatis romanæ capiebant*, sive honestabantur nomine et jure civium romanorum: oneribus illius conditionis non subjiciebantur, quum legibus suis, non romanis uterentur. Unde municipiorum conditio magis libera erat, et minus obnoxia, quam coloniarum, quæ jura institutaque omnia populi romani, non sui arbitrii habebant. Porro quibusdam municipiis data erat civitas cum suffragii latione; horumque cives municipiorum pleno jure cives romani erant, et aditum quoque ad honores populi rom. habebant. Erant et quibus civitas sine suffragii latione data erat, quorum primi fuere Cærites. Ed.

in civitatem accepti. Tusculanis servata civitas [5], quam habebant; crimenque rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum. In Veliternos, veteres cives romanos, quod toties rebellassent, graviter sævitum : et muri dejecti, et senatus inde abductus, jussique trans Tiberim habitare [6]; ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset, nec prius, quam ære persoluto, is, qui cepisset, extra vincula captum haberet. In agrum senatorum coloni missi : quibus ascriptis [7], speciem antiquæ frequentiæ Velitræ receperunt. Et Antium nova colonia missa cum eo, ut Antiatibus permitteretur, si et ipsi ascribi coloni vellent. Naves inde longæ abactæ, interdictumque mari antiati populo est, et civitas data. Tiburtes Prænestinique agro mulctati, neque ob recens tantum rebellionis, commune cum aliis Latinis, crimen, sed quod, tædio imperii romani, cum Gallis, gente effe-

5. *Tusculanis servata civitas*, etc. vide ad VI, 26, n. 4. — *Crimenque rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum*, non publico consilio adeoque universæ civitati, sed paucis ejus auctoribus tributum; Stroth. a damno publico et pœna universæ civitatis; Doer.

6. *Jussique trans Tiberim habitare*, etc. Conf. ad cap. 20, n. 11, et XXVI, 34, n. 3. — *Usque ad mille pondo*, seu asses, qui tum libram pondo haberent (ita Duker.) *clarigatio esset*, hoc est, idem quod nos *Pfandgeld*, seu *Pfandungsgebühr* appellamus, cujusmodi dari solitum, quum jumenta in satis *deprehenduntur;* Stroth. vide Salmas. de modo usur. cap. 13, pag. 550 seq. *Clarigare* etiam dicebatur, res raptas *clara* voce repetere; vide Plin. XXII, 2, seu 3; et Quintil. VII, 3, 4, 13. — *Clarigatio* hoc loco est jus hominis prehendendi, ita ut corpus ejus quasi pignori opponatur, dum certam pecuniæ summam, hic *mille pondo*, sive mille asses, exsolverit. Ed. — *Extra vincula haberet*, iis solveret, liberaret.

7. *Quibus ascriptis*, ut mox *ascribi coloni*, vide ad IV, 11, n. 4. — *Colonia missa cum eo, ut* (confer not. 3). *Antiatibus permitteretur, si et ipsi ascribi coloni vellent... et civitas data*, confer Heyn. Opusc. Acad. tom. III, pag. 89, ubi et hæc nota legitur : « Si *coloni ascripti*, quomodo *civitas data?* Et si tam gravis mulcta imposita, unde civitatis beneficium? Nisi verba novissima ab aliena manu sunt, *civitas* cum Sigonio accipienda de jure Quiritium, quod coloniæ rom. competebat; quod adeo consequebantur Antiates ascripti civibus rom. in coloniam rom. deductis. » Confer Duk. ad h. l.

rata, arma quondam consociassent [8]. Cæteris latinis populis connubia, commerciaque, et concilia inter se ademerunt [9]. Campanis, equitum honoris causa [10], quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanisque et Formianis, quod per fines eorum tuta pacataque semper fuisset via, civitas sine suffragio data. Cumanos Suessulanosque ejusdem juris conditionisque, cujus Capuam, esse placuit. Naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earum

8. *Arma quondam consociassent* cum Gallis Tiburtes, vide VII, 11. De Prænestinis id non traditur.

9. *Cæteris latinis populis connubia, commerciaque, et concilia inter se ademerunt,* scilicet Patres, seu Romani; nisi leg. *adempta.* Ad rem ipsam confer IX, 43; XXXI, 31; XXXVIII, 36; XLV, 29 et inpr. Spanhem. in orbe rom. II, 22 et 25; ubi præter alia monuit hæc: « Iis, quæ civitas omnibus in orbe rom. data secum invexit, juribus vel beneficiis annumerari quoque debent mutua inter eos connubia. Notum vero, eam olim *connubiorum* apud plerasque gentes rationem fuisse, ut ea tantum essent inter unius urbis cives, aut alioquin populares; cum alienigenis vero ferme vetita. Ita de Atheniensibus vide Plutarch. in Pericle, pag. 172. Ælian. Var. Histor. VI, cap. 10; Meurs. Them. Attic. lib. IV, cap. 5; Petit. Leg. Attic. pag. 435, 440. Hinc ἐπιγαμία, συμμαχία et ἰσοπολιτεία inter finitimos populos modo concessa, et fœdere, aut pacto sancita, modo vetita: et inde orta subinde dissidia ac bella. Neque aliter cum Romanis actum, dum non solum decemvirali olim lege (vide ad IV, 1, n. 2) vetita inter patricios et plebeios connubia, sed etiam, sublata postea eadem lege, non omnibus ideo, qui civitate erant donati, connubia fuerint olim data; immo ea subinde inter ipsos vicinæ regionis, aut ejusdem gentis populos ab iisdem Romanis vetita, vel adempta: et callido quidem consilio, ne mutuis *connubiis commerciisque* juncti inter se populi eo promptius in Romanos consociati dein arma verterent. A Romanis proinde connubia ne cum omnibus quidem civibus, seu in civitatem acceptis olim recepta (cf. XXXVIII, 36); cum aliis autem, qui cives rom. non essent, prorsus interdicta. Qua ratione itidem factum, ut nati e civibus rom. et alienigenis mulieribus, tanquam totidem hybridæ, *novum genus hominum* dicerentur, et ex iis colonia, eaque *libertinorum* dicta, in Hispaniam deduceretur; v. lib. XLIII, c. 3 pr. Quibus gradibus præcipua populi rom. beneficia vel jura in Campanos fuerint collata, docet Livius XXXI, 31, *ipsos fœdere primum, dein connubiis atque inde cognationibus, postremo civitate nobis conjunximus* (conf. XXIII, 4 extr.) nam, quod Canuleius IV, 3, dicit, *civitas plus quam connubium est.* Unde insuper illud liquet, non demum post concessam a Romanis, uti postea id statutum constat, civitatem, sed etiam ante eamdem inpertitam, jus connubiorum finitimis populis ac civitatibus, antiquis illis

suggestum[11], in foro exstructum, adornari placuit: Rostraque id templum appellatum[12].

XV. C. Sulpicio Longo, P. Ælio Pæto consulibus, quum omnia non opes[1] magis romanæ, quam beneficiis parta gratia bona pace obtineret, inter Sidicinos Auruncosque bellum ortum. Aurunci[2], a T. Manlio consule in deditionem accepti, nihil deinde moverant: eo petendi auxilii ab Romanis causa justior fuit. Sed prius, quam consules ab Urbe (jusserat enim senatus defendi Auruncos) exercitum educerent, fama affertur, Auruncos metu oppidum deseruisse, profugosque cum conjugibus ac liberis Suessam communisse, quæ

liberæ Urbis temporibus, subinde ab iis datum. »

10. *Campanis*, Capuanis, *equitum honoris causa* (ut *honoris ejus causa* X, 24), ... *data*, vide ad cap. 11, n. 11. Al. *qui* pro *quia;* quod arridere potest coll. cap. 11 extr. Sed malim ante *quia* inserere *et* cum Dukero vel *ac*, ut duplex afferatur ratio, sensusque sit : *et quia* nunc *cum Latinis* ob iram amissi agri *rebellare noluissent.* De hac Latinorum rebellione vide cap. 12. — *Formianis* (vide ad XXII, 16, n. 4) *civitas sine suffragio data*, vide ad IX, 43, n. 11.

11. *Rostrisque earum suggestum*, etc.; confer ad cap. 13, n. 4.

12. *Rostraque id templum appellatum*, ut apud Cic. in Vatin. 10, in *Rostris, in illo, inquam, inaugurato templo ac loco;* vide ad I, 6, n. 5; et conf. Dionys. IX, 56, qui Antiatum classem jam ante, anno Urbis cond. cap. 287, captam, apparatumque navalem incensum tradit.

Cap. XV. 1. *Quum omnia* (omne Latium et Campaniam) *non opes* (vis et potentia) *magis Romanæ, quam... gratia bona* cum *pace obtineret*, tueretur et regeret, ut *populo bona cum pace imperitare* I, 24 *obtineret*, ut *debetur* IX, 11 pr. nam solet fere Livius verbum accommodare numero aut personæ substantivi, quod proxime præcesserat; Stroth. Sic et adjectiva vide cap. VIII, 28 extr. *obnoxium esset* pro *obnoxia essent. Non opibus magis Romani ... obtinerent* quidam MSS. — *Sidicini* in Campania incolebant Teanum Sidicinum (quod a Teano Apulo diversum est, et hodie *Tiano* dicitur) *Aurunci* habitabant et ultra Lirim in Campania, et cis Lirim in Latio, nec non versus Sicanorum fines, haud procul a Tiberi. Hi in Campania, quod mox traditur, oppido suo (forte *Aurunca*, ut *Ausona* oppid. Ausonum IX, 25) metu deserto, *communiverant Suessam*, inter Teanum et Minturnas fere mediam, quæ *Suessa Aurunca* est dicta, ut a *Suessa Pometia*, Volscorum capite, distingueretur, et brevi post facta colonia ac deinde municipium; vide IX, 28; Vell. I, 14; Cic. Phil. XIII, 8.

2. *Aurunci, a T. Manlio* Torquato *consule in deditionem accepti*, confer lib. VII, cap. 28 sq. et 38.

nunc Aurunca appellata; mœnia antiqua eorum urbemque ab Sidicinis deletam. Ob ea infensus consulibus senatus, quorum cunctatione proditi socii essent, dictatorem dici jussit: dictus C. Claudius Regillensis, magistrum equitum C. Claudium Hortatorem dixit. Religio inde injecta[3] de dictatore; et, quum augures vitio creatum videri dixissent, dictator magisterque equitum se magistratu abdicarunt. Eo anno Minucia Vestalis, suspecta primo propter mundiorem justo cultum[4], insimulata deinde apud pontifices ab indice servo, quum decreto eorum jussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere[5]; facto judicio, viva sub terram ad portam Collinam dextra via strata defossa Scelerato campo[6]. Credo, ab incesto id ei loco nomen factum. Eodem anno Q. Publilius Philo prætor

3. *Religio inde injecta...vitio creatum*, etc. cf. ad II, 5, n. 4; IV, 30, n. 6; et V, 17, n. 4.

4. *Propter mundiorem justo cultum*, etc. vide ad IV, 44, n. 9.

5. *Familiamque*, servos (conf. ad III, 19, n. 13) *in potestate habere*, retinere, hoc est, non manumittere, ut de iis, inprimis de servo illo indice, quæstio haberi posset, adhibitis tormentis. Conf. XXXIX, 14; Sigon. de judic. II, 14; Brisson. ad leg. Jul. de adult. c. 26; Abraham. ad Cic. pro Mil. c. 12.

6. *Viva sub terram ad portam Collinam defossa Scelerato campo*, vide ad II, 42, n. 11; II, 51, n. 2; XXII, 57, n. 2, et Festus v. *Sceleratus campus*.—*Dextra via strata*, ad sinistram munitæ viæ, in campo, ubi a dextra est via strata, ut II, 49 extr. *infelici via dextro Jano portæ Carmentalis*; Gronov. Sed Jac. Gron. jam monuit, hæc verba contrario potius sensu capienda esse: in campo, ad cujus sinistram partem est via strata, vel in campo, qui est a dextra viæ stratæ, ut *dextro Jano* II, 49, per dextrum Janum, seu transitum portæ διπύλου; *medio stagno* XXVI, 45, per medium stagnum; *Jugario vico* XXVII, 37, per eum; *dextra* et *læva* pro ad dextram, ad lævam XXII, 41; XXIII, 24; XXVII, 18. Idem vero conj. *dextra via Salaria*, h. e. ad partem dextram viæ Salariæ, ἡ ἔστρωται διὰ τῶν Σαβίνων, ὑπὲρ (al. ἀπὸ) τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλινῆς, Strab. V, 3, n. 1, p. 228. Conf. Fest. Verum Fabrett. in Apolog. p. 45 seq. docet e Dionys. II, p. 127; Plutarch. Num. pag. 67, et Serv. ad Virg. Æn. XI, 216, *Sceleratum campum* intra Urbem fuisse, viam autem Salariam extra eam a porta inde Collina. *Dextra viam stratam* 6 MSS et edd. quædam, non improb. Fabretto et Drak. Ille exponit ad dextram viæ stratæ: hic dictum putabat, ut *ignarus cætera*, *planus omnia* et similia. *Extra*

primum de plebe, adversante Sulpicio consule, qui negabat, rationem ejus se habiturum[7], est factus; senatu, quum in summis imperiis id non obtinuisset, minus in prætura tendente[8].

XVI. Insequens annus, L. Papirio Crasso, Cæs. Duilio consulibus, Ausonum magis novo, quam magno bello fuit insignis. Ea gens Cales[1] urbem incolebat: Sidicinis finitimis arma conjunxerat; unoque prælio haud sane memorabili duorum populorum exercitus fusus, propinquitate urbium et ad fugam pronior, et in fuga ipsa tutior fuit; nec tamen omissa ejus belli cura Patribus, quia toties jam Sidicini aut ipsi moverant bellum, aut moventibus auxilium tulerant, aut causa armorum fuerant[2]. Itaque omni ope adnisi sunt, ut maximum ea tempestate imperatorem M. Valerium Corvum consulem quartum facerent: collega additus Corvo M. Atilius Regulus: et, ne forte casu erraretur, petitum ab consulibus, ut extra sortem Corvi[3] ea provincia esset. Exercitu victore a superioribus consulibus accepto, ad Cales, unde bellum ortum erat, profectus, quum hostes, ab superioris etiam certaminis memoria pavidos, clamore atque impetu primo fudisset; mœnia ipsa oppugnare est aggressus; et militum quidem is erat ardor, ut jam inde cum scalis succedere ad muros vellent, evasurosque contenderent;

viam stratam MS Helmst. quod arridere potest. *Terram dextra via stratam* malebat Sigon., et conferebat verba Plut. in Numa, p. 67, ἐνταῦθα κατασκευάζεται κατάγειος οἶκος οὐ μέγας· κεῖται δὲ ἐν αὐτῷ κλίνη τε ὑπεστρωμένη.

7. *Negabat, rationem ejus se habiturum*, nomen ejus candidati se non recepturum dicebat: consules enim prætoria comitia habebant; Sigon.— *In summis imperiis*, dictatura, consulatu, tribunatu mil. cons. pot.

8. *Minus in prætura tendente*, vide ad IV, 8, n. 6.

CAP. XVI. 1. *Cales urbem* Campaniæ, hodie *Calvi*; vide ad Sil. VIII, 512 seq.

2. *Aut causa armorum fuerant*, v. ad I, 30, n. 7.

3. *Ut extra sortem Corvi* (possis et *Corvo*) *ea provincia esset*, vide ad II.

Corvus, quia id arduum factu erat, labore militum potius, quam periculo, peragere inceptum voluit. Itaque aggerem et vineas egit, turresque muro admovit: quarum usum forte oblata opportunitas prævertit; namque M. Fabius, captivus romanus, quum, per negligentiam custodum festo die vinculis ruptis, per murum inter opera Romanorum, religata ad pinnam muri reste suspensus, manibus se demisisset; perpulit imperatorem, ut vino epulisque sopitos hostes aggrederetur; nec majore certamine capti cum urbe Ausones sunt, quam acie fusi erant. Præda capta ingens est: præsidioque imposito Calibus, reductæ Romam legiones. Consul ex senatus consulto triumphavit; et, ne Atilius expers gloriæ esset, jussi ambo consules adversus Sidicinos ducere exercitum. Dictatorem ante ex senatus consulto comitiorum habendorum causa dixerunt L. Æmilium Mamercinum: is magistrum equitum Q. Publilium Philonem dixit. Dictatore comitia habente, consules creati sunt T. Veturius, Sp. Postumius. Etsi belli pars cum Sidicinis restabat; tamen, ut beneficio prævenirent desiderium plebis, de colonia deducenda Cales retulerunt: factoque senatus consulto, ut duo millia quingenti homines eo scriberentur, triumviros coloniæ deducendæ agroque dividendo creaverunt Cæs. Duilium, T. Quintium, M. Fabium.

XVII. Novi deinde consules, a veteribus exercitu accepto, ingressi hostium fines, populando usque ad mœnia atque urbem pervenerunt. Ibi quia, ingenti exercitu comparato, Sidicini et ipsi pro extrema spe

40, n. 9, et III, 2, n. 1. — *Consules creati sunt*, etc. Livium scripsisse putat J. Fr. Gronovius, *dictatore comitia habente, consules creati T. Veturius, Sp. Postumius, etsi belli pars cum Sidicinis restabat, tamen, ut beneficio prævenirent desiderium plebis, de colonia*, etc. sine dubio multo rotundius

dimicaturi enixe videbantur, et Samnium fama erat conciri ad bellum : dictator ab consulibus ex auctoritate senatus dictus P. Cornelius Rufinus; magister equitum M. Antonius. Religio deinde incessit, vitio eos creatos [1]; magistratuque se abdicaverunt : et, quia pestilentia insequuta est, velut omnibus eo vitio contactis auspiciis, res ad interregnum rediit. Ab interregno inito per quintum demum interregem M. Valerium Corvum creati consules A. Cornelius iterum et Cn. Domitius. Tranquillis rebus, fama gallici belli pro tumultu valuit [2], ut dictatorem dici placeret. Dictus M. Papirius Crassus, et magister equitum P. Valerius Publicola. A quibus quum delectus intentius, quam adversus finitima bella, haberetur; exploratores missi adtulerunt, quieta omnia apud Gallos esse. Samnium quoque jam alterum annum turbari novis consiliis [3] suspectum erat : eo ex agro sidicino exercitus romanus non est deductus. Cæterum Samnites bellum Alexandri Epirensis [4] in Lucanos traxit; qui duo populi adversus regem, exscensionem a Pæsto facientem [5], si-

erit, si τὸ *sunt* cum Gron. deleatur; sed quum in omnibus scriptis et editis supersit, nihil mutavimus. Ed.

Cap. XVII. 1. *Religio deinde incessit, vitio eos creatos*, vide ad II, 5, n. 4, et V, 17, n. 4. — *Velut omnibus eo vitio contactis auspiciis*, ante comitia habitis; vide ad VI, 28, n. 2.

2. *Fama gallici belli pro tumultu valuit, ut*, etc. quum alias tumultu jam a Gallis arma inferentibus ingruente dictator esset dictus, tunc sola incerta belli gallici fama tantum valuit; Periz. Conf. cap. 20, et ad II, 26, n. 1. Anni integri historiam cum consulibus, L. Papilio Cursore et C. Pœtelio Libone Visolo, quos Solin. cap. 32 memorat, h. l. in Livio, in Diodoro et aliis desiderari, monet Pigh. in Ann. ad an. 421; sed annum consulesque illos ante cap. 19 interponendos censet Dodwell. de Cyclis diss. X, § 78, 79.

3. *Turbari novis consiliis*, vide ad I, 52, n. 1. — Res novæ sunt seditiosæ molitiones adversus rempublicam; eodem autem sensu hoc loco *nova consilia* sunt consilia de rebus novis, de perturbando pristino statu. Ed. — *Eo*, conf. ad I, 11, n. 6.

4. *Alexandri Epirensis*, vide ad c. 3, n. 3.

5. *Exscensionem a Pæsto facientem*, h. e. in Lucaniam ab ea parte, ubi est Pæstum (ut XXXI, 24, *ab Dipylo;* XXI, 21, *ne nuda apertaque Roma-*

gnis collatis pugnaverunt; eo certamine superior Alexander, incertum[6] qua fide culturus, si perinde cætera processissent, pacem cum Romanis fecit. Eodem anno census actus, novique cives censi[7]; tribus propter eos additæ Mæcia et Scaptia[8]: censores addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumius. Romani facti Acerrani, lege ab L. Papirio prætore lata, qua civitas sine suffragio data; hæc eo anno domi militiæque gesta.

XVIII. Fœdus insequens annus[1] seu intemperie cæli, seu humana fraude fuit, M. Claudio Marcello, C. Valerio consulibus: Flaccum Potitumque varie in

nis Africa ab Sicilia esset; XXI, 36, *ab Italia;* XXIV, 33, *terra ab Hexapylo, mari ab Achradina;* XXXIV, cap. 38, *parte una a Phœbeo,* etc.; XXXVIII, 32, *a mari* pro a parte maritima; XXVIII, 6, *oppidum ab terra munitum;* XXXI, 27, *legatum a novissimo agmine adortus,* et similia XXXVII, 8, n. 4, al.); *exscendere* vero est e navi descendere, ut *escendere* (vide ad II, 7, n. 7) sursum niti scandendo; Gron. Conf. XXII, 20; XXVIII, 8; XXIX, 28. Quidam conj. *excursionem,* vel *ad Pæstum.*

6. *Incertum* (ut al. *dubium;* vide Drak. ad hunc locum, et Freinsh. Ind. Flor. voc. *dubium*) *qua fide culturus pacem,* vide ad VII, 30, n. 2. — *Pacem cum Romanis fecit.* Quomodo potuit cum Romanis facere pacem, qui cum eis nunquam bellum gessit. *Pacem* pro *amicitiam* aut *fœdus* positum dicunt, quod tamen nobis non verisimile. Quidam exponunt a Samnitibus Romanis fuisse pacem, quod Alexander ea pugna superior fuerit; verum Livii verba id non ostendunt. Ut ut exponamus, amphibolon est, non satis clarum. Ed.

7. *Eodem anno census actus novique cives censi,* Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani (c. 14); nam cæteri, quibus ibidem civitatem sine suffragio datam scribit, ut Formiani et Fundani, anno demum Urb. 565 in tribu censebantur; Duk. Conf. XXXVIII, 36; Sigon. de Ant. jur. civ. rom. III, 2; de Ant. jur. ital. VI, 9; Spanhem. Orb. rom. I, 7.

8. *Tribus additæ Mæcia et Scaptia,* vide ad I, 43, n. 22; et VI, 2, n. 5. — *Mæcia,* a Castro Mæcio, quod non procul a Lanuvio fuit. *Scaptia,* a Scaptia urbe, quæ videtur fuisse haud procul Pedo. Tuncque novem et viginti tribus factæ. Vide sup. VII, 15. Ed. — *Acerrani:* Campaniæ oppid. *Acerræ* XXIII, 17; XXVII, 3. — *Civitas sine suffragio data,* ap. Vellei. I, 14. *Acerranis a...censoribus data civitas.* Tὸ *a* forte del., hoc enim non censorum, sed solius populi jus est; Duk. Nisi verbum *data* apud Velleium eo sensu dictum, de quo vide sup. ad VII, 1, n. 2.

Cap. XVIII. 1. *Fœdus insequens annus,* pestilens, vide III, 32, n. 1. — *Intemperie cæli,* vide III, 31, n. 1. — *Humana fraude,* veneficiis, matronis venena coquentibus.

annalibus cognomen consulis invenio : cæterum, in eo, parvi refert, quid veri sit; illud pervelim (nec omnes auctores sunt), proditum falso esse, venenis absumptos, quorum mors infamem annum pestilentia fecerit. Sicut proditur tamen res, ne cui auctorum fidem abrogaverim, exponenda est. Quum primores civitatis similibus morbis eodemque ferme omnes eventu [2] morerentur; ancilla quædam ad Q. Fabium Maximum ædilem curulem, indicaturam se causam publicæ pestis, professa est, si ab eo fides sibi data esset, haud futurum noxæ [3] indicium. Fabius confestim rem ad consules, consules ad senatum referunt : consensuque ordinis fides indici data. Tum patefactum, muliebri fraude civitatem premi, matronasque ea venena coquere [4]; et, si sequi extemplo velint, manifesto deprehendi posse. Sequuti indicem, et coquentes quasdam medicamenta, et recondita alia, invenerunt; quibus in forum delatis, et ad viginti matronis [5], apud quas deprehensa erant, per viatorem accitis : duæ ex eis, Cornelia ac Sergia, patriciæ utraque gentis, quum ea medicamenta salubria esse contenderent, ab confutante indice [6] bibere jussæ, ut se falsum commentam arguerent; spatio ad colloquendum sumpto, quum, submoto populo, in conspectu omnium rem ad cæteras retulissent; haud abnuentibus et illis bibere, epoto medicamento, suamet ipsæ fraude omnes interierunt. Comprehensæ extemplo earum comites ma-

2. *Eodemque ferme omnes eventu*, modo, incremento et fine morbi. — *Q. Fabium Maximum;* quod cognomen vel per prolepsin adjectum (vide IX, 46 ext. et III, 51, n. 3), vel spurium, vel in *Rullianum* mutandum est.

3. *Haud futurum* sibi *noxæ*, fraudi, damno, ut XXXIII, 9; VII, 41, *ne cui milit. fraudi secessio esset.*

4. *Ea venena coquere*, scilic. supra memorata.

5. *Et ad viginti matronis* (ut mox *ad centum septuaginta*) *per viatorem accitis*, vide ad IV, 59, n. 4, et II, 56, n. 10.

6. *Ab confutante indice*, refellente,

gnum numerum matronarum indicaverunt : ex quibus ad centum septuaginta damnatæ; neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est[7]. Prodigii ea res loco habita, captisque magis mentibus[8], quam consceleratis, similis visa; itaque, memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clavum ab dictatore fixum[9], alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse, dictatorem clavi figendi causa creari placuit : creatus Cn. Quintilius magistrum equitum L. Valerium dixit : qui, fixo clavo, magistratu se abdicaverunt.

XIX. Creati[1] consules L. Papirius Crassus iterum, L. Plautius Venno. Cujus principio anni legati ex Volscis Fabraterni et Lucani[2] Romam venerunt, orantes, ut in fidem reciperentur; si a Samnitium armis defensi essent, se sub imperio populi romani fideliter atque obedienter futuros. Missi tum ab senatu legati, denuntiatumque Samnitibus, ut eorum populorum finibus vim abstinerent; valuitque ea legatio, non tam quia pacem volebant Samnites, quam quia nondum pa

quæ contenderent illæ. — *Ex quibus ad centum septuaginta damnatæ.* In eumdem numerum conspirat etiam Valer. Maxim. II, 5, extr. 3 : « unius ancillæ indicio protractæ, pars capitali judicio damnatæ, centum septuaginta numerum expleverunt. » Ed.

7. *Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæsitum est*, vide ad Epit. Liv. VIII, n. 3.

8. *Captisque magis mentibus*, vide ad II, 36, n. 7.

9. *Clavum ab dictatore fixum*, cf. VII, 3. Sed *in secessionibus quondam plebis* id factum, nec Livius in earum descriptionibus, nec quisquam alius memoriæ prodidit. — *Alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo compotes sui fecisse.* Ut hic locus se habet, redundare videtur τὸ *que* et *eo piaculo*. Si pro *fecisse* legas *fuisse* sic expones : *et mentes hominum alienatas discordia*, in furorem et dementiam versas per discordiam, *compotes sui fuisse*, sive ad sanitatem revocatas esse *eo piaculo*, nempe clavi a dictatore fixi. Ed.

Cap. XIX. 1. *Creati consules*, etc. vide ad cap. 17, n. 2.

2. *Legati ex Volscis Fabraterni et* legati *Lucani*, quem populum Livius cap. 25 pr. simul cum Apulis *in fidem* venisse dicit : accepto enim beneficio per legatos in Samnium a Romanis missos hanc gratiam retulere; Gron. *Arcani* pro *Lucani* conj. Cluver. et

rati erant ad bellum. Eodem anno privernas bellum initum: cujus socii Fundani, dux etiam fuit Fundanus, Vitruvius Vaccus; vir non domi solum, sed etiam Romæ, clarus. Ædes fuere in palatio ejus, quæ Vacci prata[3], diruto ædificio publicatoque solo, appellata. Adversus hunc, vastantem effuse setinum norbanumque et coranum agrum, L. Papirius profectus, haud procul castris ejus consedit. Vitruvio nec, ut vallo se teneret adversus validiorem hostem, sana constare mens[4], nec, ut longius a castris dimicaret, animus suppetere. Vix tota extra portam castrorum explicata acie, fugam magis retro[5], quam prælium aut hostem, spectante milite, sine consilio, sine audacia depugnat: et, ut levi momento nec ambigue est victus, ita, brevitate ipsa loci facilique receptu in tam propinqua castra, haud ægre militem a multa cæde est tutatus: nec fere quisquam in ipso certamine, pauci in turba fugæ extremæ[6], quum in castra ruerent, cæsi; primisque tenebris Privernum inde petitum agmine trepido, ut muris potius, quam vallo, sese tutarentur. A Priverno Plautius, alter consul, pervastatis passim agris prædaque abacta, in agrum fundanum exercitum inducit. Ingredienti fines senatus Fundanorum occurrit: *negant, se pro Vitruvio sectamque ejus sequutis precatum venisse, sed pro fundano populo; quem extra culpam belli esse, ipsum Vitruvium judicasse*[7],

Poluscani Ruben. ut duo *Volscorum* populi vel oppida memorentur.

3. *Vacci prata*, etc. conf. Cic. pro Domo, 38. — « In Vacci pratis domus fuit M. Vacci, quæ publicata est et eversa. » Ed.

4. *Vitruvio nec.....sana constare mens*, sapiens certumque consilium capiendi facultas suppetebat.

5. *Fugam magis retro* ad castra propinqua capiendam *spectante milite*, circumspiciente, ad eam intento.

6. *In turba fugæ extremæ*, extremorum, qui fugiebant.

7. *Quem extra culpam belli esse, ipsum Vitruvium judicasse*; al. *indicasse*: sed *judicare* eleganter dicuntur, qui facto aliquo suo præjudicium de re faciunt, et ex eo aliis dant æstimandi copiam; Gron. qui hinc etiam

quum receptaculum fugæ Privernum habuerit, non patriam Fundos: Priverni igitur hostes populi romani quærendos persequendosque esse, qui simul a Fundanis ac Romanis, utriusque patriæ immemores, defecerint. Fundanis pacem esse, et animos romanos[8], *et gratam memoriam acceptæ civitatis: orare se consulem, ut bellum ab innoxio populo abstineat*[9]*: agros, urbem, corpora ipsorum conjugumque ac liberorum suorum, in potestate populi romani esse, futuraque.* Collaudatis Fundanis, consul, literisque Romam missis[10], in officio Fundanos esse, ad Privernum flexit iter. Prius animadversum in eos, qui capita conjurationis fuerant, a consule scribit Claudius[11]: ad trecentos quinquaginta ex conjuratis vinctos Romam missos; eamque deditionem ab senatu non acceptam,

XXVIII, 19, n. 2; *judicasse* conj. pro *indicasse*. Conf. IX, 9; Cic. Tusc. V, 20 extr. et ad Div. XV, 1 extr.

8. *Animos romanos*, Romanis deditos et faventes.

9. *Ut bellum ab innoxio populo abstineat*, vide ad I, 1, n. 1.

10. *Literisque Romam missis*, scil. quibus indicabatur, *in officio Fundanos esse*, ut lib. XXIII, 48, n. 2; XXIX, 10 pr. XLIV, 7, n. 6; nam *literas mittere*, seu *afferre* etiam simpl. est scribere, indicare, nuntiare per literas, vel literas mittere, scil. hoc nuntio, seu argumento, seu mandato, unde sæpius *ut* sequitur, v. c. cap. 23, lib. XXV, 22; XXXIII, 28; vel intell. ut XXV, 41, n. 6. Sic et *scaphas circummittere*, scilic. cum mandato, *ut*, etc. XXIX, 25; *misso caduceatore*, scilic. qui diceret vel nuntiaret, *velle se de pace agere* XXXVII, 18 extr. *præmisso nuntio*, qui diceret, *se futurum*, etc. XXIII, 7; *missi* et *remissi nuntii* seq. infin. vel *ut* II, 47; XXIV, 21 extr. XXVIII, 14, n. 5; XXX, 25, n. 2; 38, n. 1; *legati ab Alabandis venerunt*, scil. precantes, *ut cogeret*, etc. XXXVIII, 13, n. 2; *præmisit, ut commeatus paratos haberent* XXVI, 8, n. 8; XXXVI, 22, n. 1; *per provincias dimiserunt censores, ut civium referretur numerus* XXIX, 37, n. 5; et sic passim *mittere*, ut græce πέμπειν (vide Duk. ad Thucyd. IV, 93), simpl. dicitur pro: literis, seu nuntiis missis indicare aut mandare, ut VIII, 23 pr. XXIV, 19; XXXIV, 29; XXXVI, 8 extr. apud Cic. ad Att. II, 2; ad Div. V, 20; XI, 8. Conf. ad Tac. Ann. XIV, 38, n. 3. Similiter *scribere, ut* XXXVIII, 39, n. 1.

11. *Scribit Claudius*, v. ad VI, 42, n. 4. — Hic videtur esse Q. Claudius Quadrigarius, æqualis Sisennæ, auctore Velleio, II, 9, qui proinde floruerit Syllanis temporibus. Hujus sæpe meminit A. Gellius, ac speciatim IX, 13, laudat in eo simplicem et incom-

quod egentium atque humilium pœna defungi[12] velle fundanum populum censuerint.

XX. Privernum duobus consularibus exercitibus quum obsideretur, alter consul comitiorum causa Romam revocatus. Carceres eo anno in circo primum statuti[1]. Nondum perfunctos cura privernatis belli tumultus gallici fama[2] atrox invasit, haud ferme unquam neglecta Patribus. Extemplo igitur consules novi, L. Æmilius Mamercinus et C. Plautius, eo ipso die, Kalendis Quintilibus, quo magistratum inierunt, comparare inter se provincias[3] jussi; et Mamercinus, cui gallicum bellum evenerat, scribere exercitum sine ulla vacationis venia[4]. Quin opificum quoque vulgus, et sellularii, minime militiæ idoneum genus, exciti dicuntur; Veiosque ingens exercitus contractus, ut inde obviam Gallis iretur, longius discedi, ne alio itinere hostis falleret[5] ad Urbem incedens, non placuit. Paucos deinde post dies, satis explorata temporis ejus quiete[6], a Gallis Privernum omnis conversa vis. Duplex inde fama est : alii vi captam urbem, Vitruviumque vivum in potestatem venisse : alii, priusquam

ptam orationis antiquæ suavitatem. Eum, non expresso tamen nomine, indicari simul et exscribi a Livio sup. VII, 10 monuimus in notis ad illum locum. Ed.

12. *Humilium pœna defungi*, vide ad II, 35, n. 2.

Cap. XX. 1. *Carceres eo anno in circo* maximo *primum statuti*, ὕσπληγξ, seu ὕσπληξ et ἀφετηρία. *Carceres in circo, unde mittuntur equi, et ubi coercentur, ne inde exeant ante, quam magistratus signum misit*, Varr. Ling. lat. lib. IV.

2. *Tumultus gallici fama*, etc. Conf. ad VII, 9, n. 2, 3; et Polyb. II, 18, n. 9; ubi vide Schweigh.

3. *Comparare inter se provincias*, vide ad III, 2, n. 1.

4. *Sine ulla vocationis venia*, etc. vide ad II, 26, n. 1, et IV, 26, n. 7. — *Sellularii*, βάναυσοι, opifices, in *sellis* sedentes : quod hominum genus otii amantissimum esse dicit Cic. Catil. IV, cap. 8, *sed nulli sunt inventi... qui non ipsum illum sellæ, atque operis, et quæstus quotidiani locum, qui... non cursum hunc otiosum vitæ suæ salvum esse velint.* Ed.

5. *Ne alio itinere hostis falleret*, etc. vide ad III, 8, n. 2.

6. *Satis explorata temporis ejus quiete*, quo nihil a Gallis timendum esset; Doer.

ultima adhiberetur vis, ipsos se in deditionem consulis[7], caduceum præferentes[8], permisisse, auctores sunt, Vitruviumque ab suis traditum. Senatus, de Vitruvio Privernatibusque consultus, consulem Plautium, dirutis Priverni muris præsidioque valido imposito, ad triumphum arcessit; Vitruvium in carcerem[9] asservari jussit, quoad consul redisset; tum verberatum necari. Ædes ejus, quæ essent in Palatio, diruendas, bona Semoni Sanco[10] censuerunt consecranda: quodque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello Sanci versus ædem Quirini. De senatu Privernate ita decretum, ut, qui senator Priverni post defectionem ab Romanis mansisset, trans Tiberim lege eadem, qua Veliterni[11], habitaret. His ita decretis, usque ad triumphum Plautii silentium de Privernati-

7. *Ipsos se in deditionem consulis permisisse,* ut dedititios. *In ditionem,* h.e. potestatem, conj. Gron. quod et ego malim. Sed multa tum loca corrigenda; VII, 16, n. 3; IX, 43, n. 5; XXIII, 15, n. 1; XXVI, 21, n. 8; XXVIII, 23, n. 4; XXIX, 3, n. 1; XXXII, 16, n. 7; XXXIII, 20, n. 37; XXXIV, 20; XXXVI, 40; XL, 41; Cæs. B. G. I, 28; VI, 3 al. — Recte videtur Doujatius emendare *consuli;* vox illa non tota, pro more solito, scripta erat, sed tantum *cos.* ut habent quatuor e nostris. Ed.

8. *Caduceum præferentes*, pacis insigne, ut XLIV, 45. Ita olim a caduceatoribus, vel præconibus supplicibusque præferri solebant rami, seu frondes oleagineæ, vittis et infulis obvolutæ, vel τὸ κηρύκειον et σκῆπτρον στέμμασι, seu στεφάνοις cinctum, ἀνεστεμμένον· vide Intpp. Hom. Il. I, 14, 15, et Virg. Æn. VII, 154; 237.

9. *In carcerem asservari jussit*, cf. ad lib. II, cap. 14, n. 2.

10. *Semoni Sanco*, Sabinorum deo, cujus statua ante duo abhinc sæcula in Tiberi inventa est, quemque Justinus Martyr Simonem Magum esse putavit: codices tamen Livii eo ducunt, ut scribendum sit *Sango;* Stroth. Festus in verbo *Prædia* et *Propter* dicit, eumdem vocari deum Fidium et Herculem, a quo Sancum distingui existimant infra XXXII, 1. Credebatur fuisse pater Sabi vel Sabini, a quo dicti Sabini. vide ad Sil. VIII, 420 seq.; Interpp. Ovid. Fast. VI, 213 seq. et Prop. IV, 9, n. 74. — Idem et Hercules erat, testibus Festo loco citato et Varr. lib. IV, de lingua latina; sed Hercules Sabinus, ut colligitur ex Varron. loco memor. et Dion. lib. II, qui Sancum Sabinæ regionis fuisse genium perhibet. Nempe suum quæque fere gens Herculem habuit. *Semonem* interpretantur vulgo heroem, quasi *semihominem.* Prope ejus, quicunque tandem is sit, sacellum, ædes Quirini fuit. Ed.

11. *Trans Tiberim lege eadem, qua*

bus fuit : post triumphum consul, necato Vitruvio sociisque ejus noxæ, apud satiatos jam suppliciis nocentium tutam mentionem de Privernatibus ratus : « Quoniam auctores defectionis, inquit, meritas pœ« nas et ab diis immortalibus et a vobis habent, Pa« tres conscripti, quid placet de innoxia multitudine « fieri? Equidem, et si meæ partes exquirendæ magis « sententiæ, quam dandæ sunt, tamen, quum videam, « Privernates vicinos Samnitibus esse, unde nunc « nobis incertissima pax est; quam minimum irarum « inter nos illosque relinqui velim. »

XXI. Quum ipsa per se res anceps esset[1], prout cujusque ingenium erat, atrocius mitiusve suadentibus; tum incertiora omnia unus ex privernatibus legatis fecit, magis conditionis, in qua natus esset, quam præsentis necessitatis, memor : qui, interrogatus a quodam tristioris sententiæ auctore[2], *quam pœnam meritos Privernates censeret? eam*, inquit, *quam merentur, qui se libertate dignos censent.* Cujus quum feroci responso infestiores factos videret consul eos, qui ante Privernatium causam impugnabant; ut ipse benigna interrogatione mitius responsum eliceret, *Quid, si pœnam*, inquit, *remittimus vobis, qualem nos pacem vobiscum habituros speremus? Si bonam dederitis*, inquit, *et fidam et perpetuam : si malam, haud diuturnam.* Tum vero *minari*[3], *nec id ambigue, Privernatem* quidam, *et illis vocibus ad rebellandum incitari pacatos populos:* pars melior[4] senatus ad me-

Veliterni, habitaret. Confer cap. 14.

Cap. XXI. 1. *Quum ipsa per se res anceps*, etc. cf. III, 34, n. 1. — *Cujusque;* Pal. II. *uniuscujusque* ex glossa.

2. *Interrogatus a quodam tristioris sententiæ auctore*, vide ad V, 2, n. 6, et XXX, 22, n. 2.

3. *Tum vero minari ... quidam* scil. Patres dicere.

4. *Pars melior senatus responsum* (al. *responsa*) *trahere ad meliora*, in meliorem partem, in melius interpretari. Sed cum Dukero leg. *pars mitior*, aut cum Gron. *ad molliora* vel *mollius.*

liora responsum trahere, et dicere : *Viri et liberi vocem auditam. An credi posse, ullum populum aut hominem denique, in ea conditione, cujus eum pœniteat, diutius, quam necesse sit, mansurum? Ibi pacem esse fidam, ubi voluntarii pacati sint : neque eo loco, ubi servitutem esse velint, fidem sperandam esse.* In hanc sententiam maxime consul ipse inclinavit animos [5], identidem ad principes sententiarum consulares, uti exaudiri posset a pluribus, dicendo : *Eos demum, qui nihil, præterquam de libertate, cogitent, dignos esse, qui Romani fiant.* Itaque et in senatu causam obtinuere, et ex auctoritate Patrum latum ad populum est, ut Privernatibus civitas daretur. Eodem anno Anxur trecenti in coloniam missi sunt : bina jugera agri acceperunt.

XXII. Sequutus est annus nulla re belli domive insignis, P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula consulibus; præterquam quod Fregellas (Sidicinorum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia deducta; et populo visceratio data [1] a M. Flavio in funere matris. Erant, qui, per speciem honorandæ parentis, meritam mercedem populo solutam interpretarentur; quod eum, die dicta ab ædilibus, crimine stupratæ matris

— *In melius* et *ad melius* satis usitata sunt. Virg. Æneid. I, 281 : *Consilia in melius referet;* X, 632 : *In melius tua, qui potes, orsa reflectas.* Sueton. in Cæs. cap. 59 : *Verso ad melius omine.* Hic tamen conjectura Gronovii magis convenit sententiæ loci, quæ postulat, ut Livius dicat, partem senatus lenius ac *mollius*, sive *in meliorem partem*, ut loquitur Cicero pro Murena c. 30, interpretatam fuisse responsum, quod aliis durum ac ferox videbatur. Vide Duck. ad hunc locum. Ed.

5. *Inclinavit animos*, propensos reddidit, ut XXII, 58, n. 3 al. — *Ad principes* (auctores) *sententiarum consulares*, qui scilicet primi sententiam rogabantur et dicebant, nisi princeps senatus, et consules designati adessent. Confer V, 9; VIII, 14; XXVI, 32.

Cap. XXII. 1. *Populo visceratio data*, non epulum; nam XLI, 28, n. 8, et apud Suet. Cæs. 38, ab eo distinguitur, et Græcis κρεανομία vel κρεῶν διανομὴ, et in inscript. apud Murator. tom. 2, pag. 610, diserte *carnium distributio* vocatur, ac Servius monet, *viscera* non intestina tantum

familiæ absolvisset[2]. Data visceratio in præteritam judicii gratiam[3] honoris etiam ei causa fuit : tribunatumque plebei, proximis comitiis, absens petentibus præfertur. Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est[4]; duabus urbibus populus idem habitabat. Cumis erant oriundi : cumani ab Chalcide euboica originem trahunt. Classe, qua advecti ab domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere; primo in insulas Ænariam et Pithecusas[5] egressi, deinde in continentem ausi sedes transferre. Hæc civitas, quum suis viribus, tum Samnitium infida adversus Romanos societate freta[6], sive pestilentiæ, quæ romanam urbem adorta nuntiabatur, fidens,

dicta, sed propr. quidquid sub corio sit. Confer Casaub. ad Suet. loco laudato, et Kirchman. de fun. Rom. IV, 5.

2. *Quod eum, die dicta ab ædilibus, crimine stupratæ matrisfamiliæ absolvisset,* confer ad II, 33, n. 3; X, 31, n. 9 (ubi ædiles curules sunt accusatores, ut al. ædiles plebis); XXV, 2, n. 7, et ad Tac. Ann. II, 85, n. 2.

3. *In præteritam judicii gratiam,* confer ad I, 1, n. 6. Mox junge *tribunatumque plebei petentibus.* — *Absens,* vide ad IV, 42, n. 1.

4. *Palæpolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est :* utraque pars vetustæ Parthenopes, et hæc a novis colonis dicta, illa a primis. — Locus hic Livii illustratur verbis Strabonis : Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων· ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς καὶ Αἰναριέων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. V, pag. 246. Ed. — *Cumis erant oriundi*, etc. vide ad Sil. VIII, 534; Strab. 5, pag. 246; Heyne Opusc. Acad. tom. 2, p. 268 seq. et Böttigeri *griech. Vasengemälde* tom. 1, Fasc. 1, pag. 25. — *Cumani ab Chalcide Euboica* (hodie *Négrepont*) *originem trahunt*, vide ad IV, 44, n. 10. — *Classe multum potuere*, vide ad V, 33, n. 3.

5. *In insulas Ænariam* (hod. *Ischia*) *et Pithecusas*, in sinu Cumano, Cumis et Miseno objectas, quas alii (verbi causa Mela II, 7) duas faciunt insulas, vel adeo plures (unde his *Pithecusæ* dicuntur, non *Pithecusa*), alii vero unam, ut Plin. III, 6, seu 12; Appian. B. C. V, 69; et qui vel solas Pithecusas memorant, ut Ptol. et Strabo V, pag. 379 C., vel solam Ænariam, ut Suet. Aug. 92. Conf. ad Sil. VIII, 541; Heyne Exc. II, ad Virg. Æn. IX, et Wernsdorf. Poet. lat. min. tom. 4, p. 354 seq. *Pithecusam* non a simiarum (πιθήκων) multitudine (quæ unde fuerit ibi, vix assequaris), sed ad figlinis doliorum (πίθων, seu πιθακνῶν) appellatum dicit Plin. loco laudato. Illa tamen etymologia probabilior. Alia Guyeti ad Hesych. tom. 1, cap. 531, 5, abhorret ab analogia linguæ.

6. *Societate freta*, v. ad IV, 37, n. 6. — *Pestilentiæ;* alii *pestilentia;* sed utrumque dici potest. Ed.

multa hostilia adversus Romanos, agrum campanum falernumque incolentes, fecit. Igitur, L. Cornelio Lentulo, Q. Publilio Philone iterum consulibus, fecialibus Palæpolim ad res repetendas missis, quum relatum esset a Græcis [7], gente lingua magis strenua quam factis, ferox responsum; ex auctoritate Patrum populus Palæpolitanis bellum fieri jussit. Inter consules provinciis comparatis [8], bello Græci persequendi Publilio evenerunt; Cornelius altero exercitu Samnitibus, si qua se moverent, oppositus. Fama autem erat, defectioni Campanorum imminentes [9] admoturos castra. Ibi optimum visum Cornelio stativa habere. Ab utroque consule, exiguam spem pacis cum Samnitibus esse, certior fit senatus.

XXIII. Publilius, duo millia nolanorum militum et quatuor Samnitium, magis Nolanis cogentibus, quam voluntate Græcorum [1], recepta Palæpolim, miserat: Cornelius, delectum indictum a magistratibus, universum Samnium erectum [2], ac vicinos populos, privernatem fundanumque et formianum, haud ambigue sollicitari. Ob hæc quum legatos mitti placuisset prius ad Samnites, quam bellum fieret, responsum redditur ab Samnitibus ferox. Ultro incusabant injurias Romanorum: neque eo negligentius ea, quæ ipsis objicerentur, purgabant. *Haud ullo publico consilio auxi-*

7. *A Græcis, gente lingua,* etc. Confer ad XXVI, 31, n. 1.

8. *Provinciis comparatis,* vide a III, 2, n. 1.

9. *Defectioni Campanorum imminentes* Samnites (vide ad III, 51, n. 3) *admoturos castra* iis, cum iis conjuncturos, Stroth. *admoturos* ad urbem Capuam: *ibi*, inter Capuam et Suessulam, ubi stativa Romanorum fuisse cap. seq. indicat; Duk. *ibi* accipio pro *tum;* confer II, 35, n. 1; non enim Cornelius inter Capuam Suessulamque, quo Samnites vocarant, consedit, sed cap. seq. *Samnium ingressus* fuisse dicitur; Drak.

Cap. XXIII. 1. *Quam voluntate Græcorum*, Palæpolitanorum, *recepta* in *Palæpolim* (al. *Palæpoli*), *miserat: Cornelius* scilicet miserat, *delectum,* etc. vide ad cap. 19, n. 10.

2. *Samnium erectum*, concitatum,

liove juvari Græcos : nec Fundanum Formianumve a se sollicitatos ; quippe minime pœnitere se virium suarum[3], *si bellum placeat. Cæterum non posse dissimulare, ægre pati civitatem Samnitium, quod Fregellas ex Volscis, captas dirutasque ab se, restituerit romanus populus, coloniamque in Samnitium agro imposuerit, quam coloni eorum Fregellas appellent: eam se contumeliam injuriamque, ni sibi ab iis, qui fecerint, dematur, ipsos omni vi depulsuros esse.* Quum romanus legatus ad disceptandum[4] eos ad communes socios atque amicos vocaret : « Quid perplexe « agimus? inquit[5]; nostra certamina, Romani, non « verba legatorum, nec hominum quisquam discepta- « tor, sed campus campanus, in quo concurrendum est, « et arma et communis Mars[6] belli decernet. Proinde « inter Capuam Suessulamque castra castris conferamus; et, Samnis Romanusve imperio Italiam regat, « decernamus. » Legati Romanorum quum se, non quo hostis vocasset, sed quo imperatores sui duxissent, ituros esse respondissent; jam Publilius, inter Palæpolim Neapolimque loco opportune capto, diremerat hostibus societatem auxilii mutui[7], qua, ut quisque locus premeretur, inter se usi fuerant. Itaque quum et comitiorum dies instaret, et Publilium, imminentem hostium muris[8], avocari ab spe capiendæ in dies

sollicitatum esse ad societatem belli, et defectionem a Romanis.

3. *Minime pœnitere se virium suarum*, vide ad II, 54, n. 16.

4. *Ad disceptandum*, ut mox *disceptator*, vide ad I, 50, n. 5. — *Ad communes socios*, apud eos.

5. *Quid perplexe agimus, inquit* scilicet legatus Samnis; nisi *inquit* dictum pro *inquiunt* scilicet Samnites; vide ad lib. VI, cap. 40, n. 3.

6. *Communis Mars*, v. V, 12, n. 1.

7. *Diremerat hostibus societatem auxilii mutui*, diremerat, seu sejunxerat hostes, et ita ademerat iis facultatem auxilii sibi invicem præstandi; vel irritam fecerat societatem. Confer not. 13. *Pars parti abscissa* de eadem re dicitur cap. 25, n. 3. — *Ut*, prout, *quisque locus*, vel Palæpolis vel Neapolis, *premeretur* obsidione.

8. *Imminentem hostium muris*, ap-

urbis, haud e republica esset[9]; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut, quum Publilius Philo consulatu abisset, pro consule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset. L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samnium jam ingressum revocari ab impetu belli placebat, literæ missæ[10], ut dictatorem comitiorum causa diceret; dixit M. Claudium Marcellum; ab eo magister equitum dictus Sp. Postumius. Nec tamen ab dictatore comitia sunt habita, quia, vitione creatus esset[11], in disquisitionem venit; consulti augures, vitiosum videri dictatorem, pronuntiaverunt. Eam rem tribuni suspectam infamemque criminando fecerunt : *nam neque facile fuisse id vitium nosci, quum consul oriens*[12] *nocte silentio diceret dictatorem: neque ab consule cuiquam publice privatimve de ea re scriptum esse: nec quemquam mortalium exstare, qui se vidisse*[13], *aut audisse quid dicat, quod auspicium*

propinquantem et instantem, ut apud Virg. Æn. X, 26. Confer IX, 31, n. 8, et ad III, 51, n. 3.— *In dies*, vide ad IV, 10, n. 1.

9. *Haud e republica esset*, vide ad VI, 22, 2.

10. *Literæ missæ, ut*, etc. vide ad cap. 19, n. 10.

11. *Vitione creatus esset*, ... *vitiosum dictatorem*, vide ad V, 17, n. 4.

12. *Quum consul oriens*, surgens, *nocte silentio*, silente et media nocte, *diceret dictatorem;* nam tum auspicia capi solebant. Confer IX, 38, n. 9; X, 40, n. 2; XXXIII, 14 pr. *oriens* pro vulg. *oriente* ex emend. Gron. qui bene monet, noctem perinde quidem oriri, ut diem, sed non principio noctis, verum post mediam, silentio, surgere moris fuisse auspicantibus (vide Fest. verb. *Silentio* et *Solida sella*), et lectionem hanc firmari verbis Velii Longi de orthogr. *Oriri apud antiquos surgere frequenter significabat, ut apparet in eo quod dicitur : Consul oriens magistrum populi dicat.* — Quum antiquissimus Regiorum codd. habeat *oriente nocte*, libenter legeremus *oriens de nocte*, usitatissima apud Latinos loquendi forma. Hor. Epist. I, 2, 32 : *Surgunt de nocte latrones.* Cic. pro Murena n. 22 : *Vigilas tu de nocte.* Ed. — *Silentio; quum surgere silentio dicitur, significat non interpellari quominus rem gerat*, inquit Festus voce *Sinistrum.* Hinc *Silentium* dicitur in auspiciis, quod omni vitio caret. Vide et Cic. de Divin. II, 71. Ed.

13. *Qui se vidisse, aut audisse quid dicat, quod auspicium dirimeret*, irritum faceret (confer not. 7), vel faceret, ut non rite capi posset, et in aliud tempus noctemve differretur; confer ad I, 36, n. 8; V, 17, n. 4; XL, 59,

dirimeret : neque augures divinare Romæ sedentes potuisse, quid in castris consuli vitii obvenisset. Cui non apparere, quod plebeius dictator sit, id vitium auguribus visum? Hæc, aliaque ab tribunis nequidquam jactata : tamen ad interregnum res redit : dilatisque alia atque alia de causa comitiis, quartusdecimus demum interrex L. Æmilius consules creat C. Pœtelium, L. Papirium Mugillanum. Cursorem [14] in aliis annalibus invenio.

XXIV. Eodem anno Alexandriam in Ægypto proditum conditam [1] : Alexandrumque, Epiri regem [2], ab exsule Lucano interfectum, sortes dodonæi Jovis eventu

n. 2, et Cic. Div. I, 39, *pulmo incisus dirimit tempus et profert diem.* Eodem sensu dicitur X, 9, n. 1, *dies est intercessione* tribunorum *sublatus*, hoc est, ob eam res in alium diem dilata; et *diem diffindere* IX, 38, n. 10; et apud Gell. XIV, 2, ibidemque *rerum diffissiones comperendinationesque;* confer Gron. ad Gell. loco laudato; Sigon. de Jud. I, 28; Bentl. ad Hor. Sat. II, 1, v. 79; Intpp. legum XII Tab. et Varr. R. R. I, 2.

14. *Cursorem in aliis annalibus invenio*, et hoc ei cognomen tribuitur IX, 7 extr. et in fastis Capitol.

Cap. XXIV. 1. *Eodem anno Alexandriam in Ægypto conditam* memoriæ etiam *prodiderunt* Solinus cap. 35, et Cassiodorus. Confer tamen cap. 3; Diodor. XVII, 52; ad Curt. IV, 8; et Justin. XI, 11. — Inter doctos constat non conditam esse Alexandriam hoc anno, quo conditor ejus Alexander Babylone mortuus est, sed sex septemve ante annis. Suspicatur Pighius in Ann. ad annum 420 errorem Livii, vel eorum quos hic ille sequitur, ortum esse ex hoc illo L. Papirii Cursoris, et C. Pœtelii consulatu, de quo supra ad cap. 19. Ad illos enim consules Alexandriam conditam refert Solinus Polyhist. 35. Quos quum non memoraverit Livius, in consules hujus anni, L. Papirium Mugillanum, C. Pœtelium iterum, nominum similitudine deceptus, male rejecit conditæ Alexandriæ tempus. Ed.

2. *Alexandrum Epiri regem*, etc. vide ad cap. 3, not. 3. — *Sortes*, vide ad I, 56, n. 5. Oraculum afferunt Sigonius et Petr. Victorius Var. Lect. XV, 15 : Αἰακίδη, προφύλαξω μολεῖν Ἀχερούσιον ὕδωρ Πανδοσίαν θ', ὅτι τοι θάνατος πεπρωμένος ἔστι, quos versus unde hauserint, nescio. Confer loc. class. Strab. VI, 1, 5, pag. 256, ubi et eadem res, et duo oracula, pluraque de *Pandosia* memorantur. Conf. etiam Justin. XII, 2; — et de Pandosia, Bruttiorum aut Lucanorum opp., inpr. Heyn. Opusc. Acad. tom. 2, pag. 205. — Sortes interdum sumuntur pro quovis oraculi responso, etiam voce edito. Hic possunt intelligi veræ sortes : constat enim ex Cic. de Div. I, 76; II, 69, apud Dodonam, præter columbas, et quercum vaticinantem, et Dodonæum æs, etiam sortes locum habuisse.

affirmasse. Accito ab Tarentinis in Italiam data dictio erat[3], *caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem : ibi fatis ejus terminum dari.* Eoque ocius transmisit in Italiam, ut quam maxime procul abesset urbe Pandosia in Epiro et Acheronte amni, quem ex Molosside fluentem in stagna inferna accipit thesprotius sinus. Cæterum (ut ferme fugiendo in media fata ruitur) quum sæpe bruttias lucanasque legiones fudisset; Heracleam Tarentinorum coloniam, Consentiam ex Lucanis[4], Sipontumque, Bruttiorum Terinam, alias inde Messapiorum ac Lucanorum cepisset urbes, et trecentas familias illustres in Epirum, quas obsidum numero haberet, misisset; haud procul Pandosia urbe imminentes Lucanis ac Bruttiis finibus tres tumulos, aliquantum inter se distantes, insedit; ex quibus incursiones in omnem partem agri hostilis faceret. Et ducentos ferme Lucanorum exsules circa se pro fidis habebat, ut pleraque ejus generis ingenia sunt, cum fortuna mutabilem gerentes fidem. Imbres continui campis omnibus inundantes, quum interclusissent trifariam exercitum a mutuo inter se auxilio, duo

Porro sortes illæ fuere tali, aut tesseræ, aut Schedulæ certis literis, vel vocibus, vel notis inscriptæ. Eas alibi jaciebat ipse consultor, alibi ex urna extrahebat puer: earum deinde notas interpretabantur sacerdotes, indeque oraculi responsum concinnabant. Vide Ant. *Van Dale* Dissert. de oracul. origine et auctoribus, cap. 14. Ed. — *Affirmasse*, vide ad I, 1, n. 9.

3. *Data dictio erat*, editum (vide ad VII, 2, n. 3) oraculum, responsum, λόγιον, χρησμός, qua utraque voce utitur Strabo loco laudato; ut apud Auct. ad Herenn. II, 26. Conf. Cuper. Obss. III, 7. — *Pandosia* ad *Acherontem* flum., tam in Epiro, quam in Bruttiis. Confer Strabon. loco laudato, et Plin. III, 11; IV, 1. Rex, id ignorans, oraculo deceptus est. De *Molosside* et *Thesprotia* v. ad XXXII, 5, n. 6.

4. *Consentiam ex Lucanis*, hodie *Cosenza*, caput Calabriæ citerioris, ut olim Bruttiorum, quibus etiam tribuitur XXIII, 30; XXV, 1; et al. sed hoc loco Livius sequutus est eos, qui fines Lucaniæ, præcipue in mediterraneis, ulterius protulere, quam Strabo et Plin. — *Potentiam* legendum censebat Doujatius, quæ urbs in Lucanis sita erat. — *Bruttiorum* (urbem) *Terinam*, ex emend. Sigonii pro *Acerinam*; vide ad X, 2, n. 2. — *Imminente*, vicina; vide ad III, 51, n. 3.

præsidia, quæ sine rege erant, improviso hostium adventu opprimuntur : deletisque eis, ad ipsius obsidionem omnes conversi. Inde ab Lucanis exsulibus ad suos nuntii missi sunt : pactoque reditu promissum est, regem, aut vivum, aut mortuum, in potestatem daturos. Cæterum cum delectis ipse, egregium facinus ausus, per medios erumpit hostes ; et ducem Lucanorum cominus congressum obtruncat : contrahensque suos ex fuga palatos, pervenit ad amnem, ruinis recentibus pontis, quem vis aquæ abstulerat, indicantem iter [5]. Quem quum incerto vado transiret agmen, fessus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis ; « Jure Acheros vocaris [6], » inquit. Quod ubi ad aures accidit regis, adjecit extemplo animum fatis suis ; substititque dubius, an transiret. Tum Sotimus minister ex regiis pueris, *quid in tanto discrimine periculi* [7] *cunctaretur* interrogans, indicat, Lucanos insidiis quærere locum. Quos ubi respexit rex procul grege facto venientes, stringit gladium, et per medium amnem transmittit equum. Jamque in vadum egressum eminus veruto Lucanus exsul transfigit. Lapsum inde cum inhærente telo corpus exanime detulit amnis in hostium præsidia ; ibi fœda laceratio corporis facta : namque, præciso medio [8], partem Consentiam misere : pars ipsis retenta ab ludibrium. Quæ quum jaculis saxisque procul incesseretur, mulier una, ultra humanarum irarum fidem [9] sævienti turbæ

5. *Indicantem iter :* nihilominus incertum esse poterat vadum ejusque firmitas et aquarum altitudo ; Stroth.

6. *Jure Acheros vocaris*, quasi ἄχη ῥέων, *der Schmerzensfluss ;* Doer. — *Ex regiis pueris*, servis, ministris, *Pagen* ; vide XV, 6 ; n. 3. Conf. Periz. ad Ælian. V. H. XIV, 49 ; et Freinsh. ad Curt. V, 2, n. 13 ; VI, 8, n. 2 ; X, 8, n. 3.

7. *In tanto discrimine periculi*, vide ad VI, 17, n. 1.

8. *Præciso medio*, conciso, ut XXVIII, 36 ; et inpr. XL, 6 pr. *perscisso* conj. Wakef. ad Lucret. III, 636.

9. *Ultra humanarum irarum fidem*,

immixta, ut parumper sustinerent precata, flens ait, *virum sibi liberosque captos apud hostes esse : sperare, corpore regio utcumque mulcato*[10] *se suos redempturam*. Is finis lacerationi fuit; sepultumque Consentiæ, quod membrorum reliquum fuit, cura mulieris unius; ossaque Metapontum ad hostes remissa; inde Epirum devecta ad Cleopatram uxorem, sororemque Olympiadem : quarum mater Magni Alexandri altera, soror altera fuit. Hæc de Alexandri Epirensis tristi eventu, quanquam Romano bello fortuna eum abstinuit[11], tamen, quia in Italia bella gessit, paucis dixisse satis sit.

XXV. Eodem anno lectisternium Romæ[1], quinto post conditam urbem, iisdem, quibus ante, placandis habitum est diis. Novi deinde consules jussu populi quum misissent, qui indicerent Samnitibus bellum; et ipsi majore conatu, quam adversus Græcos, cuncta parabant; et alia nova nihil tum animo tale agitantibus accesserunt auxilia. Lucani atque Apuli, quibus gentibus nihil ad eam diem cum romano populo fuerat, in fidem venerunt, arma virosque ad bellum pollicentes; fœdere ergo in amicitiam accepti. Eodem tempore etiam in Samnio res prospere gesta; tria oppida in potestatem venerunt, Allifæ, Callifæ, Ruffrium; aliusque ager[2] primo adventu consulum longe lateque est pervastatus. Hoc bello tam prospere commisso, alteri

ultra quam credi potest humanam iram progredi, seu sævire; Gron. qui tamen malebat *ultra h. i. finem*. Sed aptior veriorque est lectio vulgata. *Quamvis est omnis hyperbole ultra fidem; non tamen esse debet ultra modum*, Quintil. VIII, 6, § 73. Conf. et Suet. Cæs. 57; Justin. II, 6; Val. Max. III, 2.

10. *Corpore regio utcumque mulcato*, confer ad III, 11, n. 3.

11. *Romano bello fortuna eum abstinuit*, vide ad II, 22, n. 3.

Cap. XXV. 1. *Lectisternium Romæ*, vide ad V, 13, n. 5. — *Quinto*; Lectisternium tertio factum fuerat anno 391; vide VII, 2. Quarto autem quando factum fuerit, nusquam docet Liv. Ed. — *In fidem venerunt*, cf. VIII, 1 extr.

2. *Aliusque ager*, vide ad IV, 10, n. 2. — *Bello commisso*, inchoato, ut

quoque bello, quo Græci obsidebantur, jam finis aderat; nam, præterquam quod, interseptis[3] munimentis hostium, pars parti abscissa erat, fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat, patiebantur; et velut capti a suismetipsis præsidiis, indigna jam liberis quoque ac conjugibus, et quæ captarum urbium extrema[4] sunt, patiebantur. Itaque quum, et a Tarento et a Samnitibus, fama esset, nova auxilia ventura, Samnitium plus, quam vellent, intra mœnia esse rebantur: Tarentinorum juventutem, Græci Græcos, haud minus per quos Samniti Nolanoque, quam ut Romanis hostibus resisterent, exspectabant. Postremo levissimum malorum deditio ad Romanos visa. Charilaus et Nymphius, principes civitatis, communicato inter se consilio, partes ad rem agendam divisere, ut alter ad imperatorem Romanorum transfugeret, alter subsisteret ad præbendam opportunam consilio urbem[5]. Charilaus fuit, qui ad Publilium Philonem venit; et, *quod bonum, faustum, felix Palæpolitanis populoque romano esset, tradere se*, ait,

XXI, 40; et XLIV, 6. — *Græci*, Palæpolitani.

3. *Interseptis munimentis*, munimenta hic intelligimus bracchia a Palæpoli ad Neapolim ducta, per quæ ultro citroque commeare, et sibi invicem auxilium ferre Græci possent. Vid. supra cap. 23. Hæc brachia fuerant intersepta, sive interrupta, intercisa ab Romanis, qui, medio inter utramque urbem loco capto, societatem mutui auxilii hostibus diremerant. Ed. — *Pars parti abscissa*, vide ad IV, 19, n. 5; et VIII, 23, n. 7. — *Indigna jam liberis ac c.* sunt eadem quæ *captarum urbium extrema*, stupra similiaque. Confer III, 47, et XXIX, 8. Delendum vero prius *patiebantur*, ac leg. *a suismet ipsi præsidiis* et *indigna in liberis;* Gronov. *Præsidia* sunt Nolani et Samnites; confer cap. 23 pr. — Hunc totum locum sic legit Gronovius: *Fœdiora aliquanto intra muros iis, quibus hostis territabat, et, velut capti a suismet ipsi præsidiis, indigna jam in liberis quoque ac conjugibus, et quæ captarum urbium extrema sunt, patiebantur.* Ed.

4. *Captarum urbium extrema*, scil. stupra. — *Græci Græcos*, Palæpolitani tanquam Græci Tarentinos, populum græcæ, seu laconicæ originis; de quo vide ad XXV, 9, n. 10.

5. *Ad præbendam opportunam consilio urbem*, ad præparandam exsequendo consilio; Doer. Conf. cap. 26.

mœnia statuisse. Eo facto utrum ab se prodita, an servata, patria videatur, in fide romana positum esse. Sibi privatim nec pacisci quidquam, nec petere: publice petere, quam pacisci magis, ut, si successisset inceptum[6], *cogitaret populus romanus, potius cum quanto studio periculoque reditum in amicitiam suam esset, quam qua stultitia et temeritate de officio decessum.* Collaudatus ab imperatore, tria millia militum ad occupandam eam partem urbis, quam Samnites insidebant, accepit: præsidio ei L. Quintius tribunus militum præpositus.

XXVI. Eodem tempore et Nymphius prætorem Samnitium arte aggressus perpulerat, ut, quoniam omnis romanus exercitus, aut circa Palæpolim, aut in Samnio esset, sineret se classe circumvehi ad romanum agrum, non oram modo maris, sed ipsi urbi propinqua loca depopulaturum. Sed, ut falleret, nocte proficiscendum esse, extemploque naves deducendas[1]: quod quo maturius fieret, omnis juventus Samnitium, præter necessarium urbis præsidium, ad litus missa. Ubi dum Nymphius, in tenebris et multitudine semetipsa impediente, sedulo aliis alia imperia turbans, terit tempus, Charilaus, ex composito ab sociis in urbem receptus, quum summa urbis romano milite implesset, tolli clamorem jussit: ad quem Græci, signo accepto a principibus, quievere. Nolani per[2] aversam partem

6. *Si successisset inceptum;* Gron. malebat *inceptis* (scilicet res; vel successus respondisset inceptis) more Liviano; vide II, 45; IX, 18; XXIV, 19, 38; XXV, 37; XXXVII, 33; XXXVIII, 25; XL, 11; et ad XXI, 7, n. 4. Sed confer etiam XXXII, 18; XXXIII, 5; XLII, 58.

Cap. XXVI. 1. *Extemploque naves deducendas* litore et portu in mare (Græci καθέλκειν, καθελκύειν, κατασπᾷν) ut contra *subducere* XXIII, 28, n. 2; XXIII, 34, n. 8; XXXI, 22, scilicet in litus (ἀνέλκειν, ἀνασπᾷν, κατάγειν, ἐρύειν εἰς ἤπειρον) more veterum satis noto.

2. *Per aversam partem urbis*, vide V, 29, n. 1.—*Adversam* alii; sed *aversus* et *adversus* solenni errore permutari monuimus, VIII, 3 pr. Ed.

urbis via Nolam ferente effugiunt. Samnitibus exclusis ab urbe, ut expeditior in præsentia fuga, ita fœdior, postquam periculo evaserunt, visa; quippe qui inermes, nulla rerum suarum non relicta inter hostes, ludibrium non externis modo, sed etiam popularibus, spoliati atque egentes domos rediere. Haud ignarus opinionis alterius, qua hæc proditio ab Samnitibus facta traditur, quum auctoribus hoc dedi[3], quibus dignius credi est; tum fœdus neapolitanum[4] (eo enim deinde summa rei Græcorum[5] venit) similius vero facit, ipsos in amicitiam redisse. Publilio triumphus decretus; quod satis credebatur[6], obsidione domitos hostes in fidem venisse. Duo singularia hæc ei viro primum contigere; prorogatio imperii non ante in ullo facta, et acto honore triumphus.

XXVII. Aliud subinde bellum cum alterius oræ Græcis exortum : namque Tarentini, quum rem palæpolitanam[1] vana spe auxilii aliquandiu sustinuissent, postquam romanos urbe potitos accepere, velut destituti, ac non qui ipsi destituissent, increpare Palæpo-

3. *Auctoribus hoc dedi* (vide ad III, 58, n. 4), hoc est, ad eorum fidem tradidi, eam a Palæpolitanis factam esse.

4. *Fœdus neapolitanum*, Neapoli ictum, quo a Palæpoli deinde translata *summa rei Græcorum* (vide ad III, 5, n. 6); quod caput Græciæ Magnæ factum.

5. *Summa rei Græcorum*, vide ad III, 5, n. 6. — *Haud ignarus.* Sensus est : proditionem Palæpolis alii Palæpolitanis auctoribus, alii Samnitibus auctoribus factam esse tradiderunt; me, ut Palæpolitanis ducibus factam esse credam, quum scriptorum auctoritas movet, qui id tradiderunt, tum fœdus Neapolitanum. Græcorum enim illorum rei summa a Palæpoli Neapolim deinde translata est. Fœdus nempe neapolitanum iis legibus ictum erat, quæ venientibus sponte in amicitiam potius datæ, quam vi aut aliena proditione domitis impositæ viderentur. Ed.

6. *Quod satis credebatur*, sufficere ad impetrandum triumphum; Ern. — *Prorogatio imperii non ante in ullo facta, et acto honore* (vide ad III, 35, n. 3), proconsulatu, *triumphus* ei primum contigit; vide ad XXVIII, 38, n. 4. — *Et acto honore triumphus;* et triumphus post exactum magistratum. Huc usque nemo nisi in magistratu triumphavit. Ed.

Cap. XXVII. 1. *Rem palæpolitanam*, vide ad I, 12, n. 3.

litanos : ira atque invidia in Romanos furere; eo etiam, quod Lucanos et Apulos (nam utraque eo anno societas cœpta est) in fidem populi romani venisse allatum est. *Quippe propemodum perventum ad se esse, jamque in eo rem fore, ut Romani aut hostes, aut domini habendi sint. Discrimen profecto rerum suarum in bello Samnitium eventuque ejus verti*[2]. *Eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis validam, quando Lucanus defecerit : quem revocari adhuc, impellique ad abolendam societatem romanam posse, si qua ars serendis discordiis adhibeatur.* Hæc consilia quum apud cupidos rerum novandarum valuissent; ex juventute quidam Lucanorum pretio adsciti; clari magis inter populares, quam honesti, inter se mulcati ipsi virgis[3], quum corpora nuda intulissent in civium cœtum, vociferati sunt, se, quod castra romana ingredi ausi essent, a consule virgis cæsos, ac prope securi percussos esse. Deformis suapte natura res, quum speciem injuriæ magis, quam doli, præ se ferret, concitati homines cogunt clamore suo magistratus senatum vocare : et alii, circumstantes concilium, bellum in Romanos poscunt : alii ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt : tumultuque etiam sanos consternante animos[4], decernitur, ut societas cum Samnitibus renovaretur; legatique ad eam rem mittuntur. Repentina res quia quam causam nullam, tam ne fidem quidem habebat, coacti a Samnitibus et obsides dare, et præsidia in loca munita accipere, cæci fraude et ira nihil recusarunt. Dilucere deinde brevi fraus cœpit, postquam criminum falsorum auctores

2. *Discrimen rerum suarum in bello S. verti*, vide ad III, 27, n. 6, et VI, 17, n. 1. — *Ad abolendam societatem*, vide ad I, 23, n. 1.

3. *Mulcati ipsi virgis*, vide ad III, 11, n. 3.

4. *Etiam sanos consternante animos*, vide ad II, 47, n. 3.

Tarentum commigravere : sed, amissa omni de se potestate [5], nihil ultra, quam ut pœniteret frustra, restabat.

XXVIII. Eo anno plebi romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quod necti [1] desierunt : mutatum autem jus ob unius feneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papirius is fuit [2] : cui quum se C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dedisset; quæ ætas formaque misericordiam elicere poterat, ad libidinem et contumeliam animum accenderunt : et, florem ætatis ejus fructum adventitium crediti [3] ratus, primo perlicere adolescentem sermone incesto est conatus : dein, postquam aspernabantur flagitium aures, minis territare atque identidem admonere fortunæ : postremo, quum ingenuitatis magis, quam præsentis conditionis, memorem videret, nudari jubet, verberaque afferri. Quibus laceratus juvenis, quum se in publicum [4] proripuisset, libidinem, crudelitatemque conquerens feneratoris, ingens vis hominum, quum ætatis miseratione atque indignitate injuriæ accensa, tum suæ conditionis li-

5. *Amissa omni de se*, scilicet statuendi *potestate*, ut sensus sit, omnia ipsis integra non fuisse, nec potuisse pro lubitu statuere; Cuper. Confer Cic. p. Flac. 2, et in orat. ante quam iret in exsil. cap. 6, fin. Stroth. *amissa*, acceptis in loca munita Samnitium præsidiis; Drak.

Cap. XXVIII. 1. *Quod necti desierunt*, ut mox *se nexum dedisset* et cap. extr. *nexu soluti*; vide ad II, 23, n. 1. — Quod in servitutem dari creditoribus debitores desierunt. Sigonius jusserat legi *quod ligari nexi desierunt*, eique obsecuti fuerant plerique editores, quum absurda esset hæc emendatio; qui enim *nexi* sunt, eos certe nihil jam opus est *ligari*. Veterem lectionem tuentur quatuor e MSS nostris vel optimi. Ed.

2. *L. Papirius is fuit :* cognomen, multum ad rem pertinens, omissum, ut et alibi; Glar. Hic vero Papirius neque consul hujus anni, neque ullus ex iis, qui magistratus gesserunt, fuisse videtur; Doujat. — *Se nexum* (supin.) *dedisset*, ad nectendum, ut necteretur: quo sensu etiam *in nexum*, seu *nexui dare* dici potest; quod prius legebat Salmas. ad jus Att. et Rom. c. 11. Drak.

3. *Fructum adventitium crediti*, emolumentum fortuitum extraordinariumque, *credito* (vide ad VI, 14, n. 6) accedens, et ab eo profectum.

4. *Se in publicum proripuisset*, vide ad II, 24, n. 6.

berumque suorum respectu, in forum, atque inde, agmine facto [5], ad curiam concurrit : et quum consules, tumultu repentino coacti, senatum vocarent; introeuntibus in curiam Patribus laceratum juvenis tergum, procumbentes ad singulorum pedes, ostentabant. Victum eo die ob impotentem injuriam [6] unius ingens vinculum fidei : jussique consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset [7], donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur : pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne necterentur [8].

XXIX. Eodem anno, quum satis per se ipsum Samnitium bellum, et defectio repens Lucanorum auctoresque defectionis Tarentini sollicitos haberent Patres, accessit, ut et Vestinus populus Samnitibus sese conjungeret. Quæ res sicut eo anno sermonibus magis

5. *Agmine facto,* ut *grege facto,* cap. 24; confer ad Juvenal. III, 163; X, 218. — *Concurrit;* sed mox *ostentabant,* scilic. *ingens vis hominum.* — Nec infrequens apud Livium illud loquendi genus; cf. IV, 16 extr. Ed.

6. *Ob impotentem injuriam unius* hominis (vide ad III, 36, n. 2) *victum,* dissolutum, certe laxatum, *ingens vinculum fidei,* vel hæc imminuta; vide ad II, 30, n. 1. Victa eo die fides, cujus ingens erat vinculum : nam *vinculum* hic figurate dicitur ipsa fides publica, qua homines se velut nodo quodam in vicem obstringunt, cujusque vis facti hujus atrocitate victa est; Drak.

7. *Ne quis, nisi qui noxam meruisset.... ita nexi soluti,* etc. vide ad II, 23, n. 1; et II, 59, n. 3. — *Pecuniæ creditæ* (dat.) et propter eam *bona debitoris, non corpus obnoxium esset,* obstrictum, *verpfändet;* vide ad III, 39, n. 1. Alii post *pecuniæ creditæ* intell. *causa.* — *Obnoxium esset* pro *obnoxia essent :* vide ad cap. 15, n. 1.

8. *Ne necterentur :* quod postea quidem factum, non vero jure. Lex haud diu servata. Confer Gron. de pec. vet. pag. 470, et Salmas. de modo usur. cap. 18, 19, et ad jus Attic. et Rom. cap. 11. — Salmasius loc. cit. dicit apud Livium, Varronem, Columellam, Quintilianum, Gellium et alios exempla superesse, unde constat, etiam post hanc legem, debitores, qui solvendo non erant, pecuniæ judicatos in vinculis fuisse : quare existimat legem hoc anno a consulibus latam, neglectam, et parum post illa tempora in usum revocatam fuisse. Siquidem eam renovari opus fuit quadraginta fere post annis, tum quum plebes in Janiculum secessit. Ed.

passim hominum jactata[1], quam in publico ullo concilio est; ita insequentis anni consulibus, L. Furio Camillo iterum, Junio Bruto Scævæ, nulla prior potiorque visa est, de qua ad senatum referrent. Et quanquam nova res erat, tamen tanta cura Patres incessit[2], ut pariter eam susceptam neglectamque timerent; ne aut impunitas eorum[3] lascivia superbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo[4] atque ira concirent finitimos populos. Et erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marsi Pelignique et Marrucini : quos, si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. Vicit tamen pars, quæ in præsentia videri potuit majoris animi, quam consilii : sed eventus docuit, fortes fortunam juvare[5]. Bellum ex auctoritate Patrum populus adversus Vestinos jussit; provincia ea Bruto, Samnium Camillo sorte evenit; exercitus utroque ducti, et cura tuendorum finium hostes prohibiti conjungere arma. Cæterum alterum consulem L. Furium, cui major moles rerum imposita erat, morbo gravi implicitum fortuna bello subtraxit : jussusque dictatorem dicere rei gerendæ causa, longe clarissimum bello ea tempestate dixit L. Papirium Cursorem; a quo Q. Fabius Maximus Rullianus magister equitum

Cap. XXIX. 1. *Sermonibus hominum jactata*, confer ad II, 12, n. 7.

2. *Et quanquam nova res erat, tamen tanta cura Patres incessit :* quod non mirum in *re nova*, quæ magnam nobis curam injicere solet. Sic infra XXVIII, 44 : *Major ignotarum rerum est terror.* Strothius *quam* ex uno cod. recepit pro *quanquam*, et delevit τὸ *tamen*, tanquam adjectum, ut esset, quod τῷ *quanquam* responderet. Sed legendum potius cum Dukero : *quanquam nota*, vel *non nova res erat, tamen tanta cura patres*, etc.

3. *Impunitas eorum*, scilicet Vestinorum, nisi ita legendum est.

4. *Metu propinquo*, propinqui et sibi quoque imminentis periculi. — *Genus omne*, singuli vel certe omnes populi finitimi. — *Si Vestinus attingeretur*, bellum ei indiceretur. De *Marsis*, *Pelignis*, *Vestinis* et *Marrucinis* vide ad Sil. VIII, 495 seq. 510, 515, 519.

5. *Fortes Fortunam juvare*, vetus proverb. passim obvium. Confer Macrob. VI, 1 extr.; Cic. Tusc. II, 4 pr. et Virg. Æneid. X, 284.

est dictus : par nobile rebus in eo magistratu gestis, discordia tamen, qua prope ad ultimum[6] dimicationis ventum est, nobilius. Ab altero consule in Vestinis multiplex bellum, nec usquam vario eventu[7], gestum est; nam et pervastavit agros, et, populando atque urendo tecta hostium sataque, in aciem invitos extraxit : et ita prælio uno accidit Vestinorum[8] res, haudquaquam tamen incruento milite suo, ut non in castra solum refugerent hostes, sed, jam ne vallo quidem ac fossis freti, dilaberentur in oppida, situ urbium mœnibusque se defensuri. Postremo oppida quoque vi expugnare adortus, primo Cutinam ingenti ardore militum, aut vulnerum ira[9], quod haud fere quisquam integer prælio excesserat, scalis cepit : deinde Cingiliam. Utriusque urbis prædam militibus, quod eos neque portæ, neque muri hostium arcuerant, concessit.

XXX. In Samnium incertis itum auspiciis est[1] : cujus rei vitium non in belli eventum, quod prospere gestum est, sed in rabiem atque iras imperatorum vertit. Namque Papirius dictator, a pullario monitus, quum ad auspicium repetendum Romam proficisceretur, magistro equitum denuntiavit, ut sese loco teneret, neu, absente se, cum hoste manum consereret. Fabius quum post profectionem dictatoris per exploratores

6. *Ad ultimum dimicationis*, vide ad II, 56, n. 4.

7. *Nec usquam vario eventu*, ubivis secundo Romanis.

8. *Accidit Vestinorum res*, vide ad III, 10, n. 9.

9. *Aut vulnerum ira*, v. ad I, 5, n. 5.

Cap. XXX. 1. *Incertis itum auspiciis est; cujus rei vitium... vertit*, vid. ad II, 3, n. 2. — *Ad auspicium repetendum*, etc. vide ad V, 17, n. 4. — Idem habet Valerius Maximus, lib. III, 2, 9, ubi eamdem narrat historiam, et lib, II, 7, 4 de Cotta. Servius Fuldensis in Æneid. II, 178, docte hunc morem enarrat. *Sed hoc*, inquit, *servatum a ducibus romanis, donec ab his in Italia pugnatum est, propter vicinitatem. Postquam vero imperium longius prolatum est, ne dux ab exercitu diutius abesset, si Romam ad renovanda*, vel potius repetenda *au-*

comperisset, perinde omnia soluta[2] apud hostes, ac si nemo Romanus in Samnio esset; seu ferox adolescens indignitate accensus, quod omnia in dictatore viderentur reposita esse, seu occasione bene gerendæ rei inductus, exercitu instructo paratoque profectus ad Imbrinium[3] (ita vocant locum), acie cum Samnitibus conflixit. Ea fortuna pugnæ fuit, ut nihil relictum sit, quo, si adfuisset dictator, res melius geri potuerit: non dux militi, non miles duci defuit[4]. Eques etiam, auctore L. Cominio tribuno militum, qui aliquoties impetu capto[5] perrumpere non poterat hostium agmen, detraxit frenos equis; atque ita concitatos calcaribus[6] permisit, ut sustinere eos nulla vis posset; per arma, per viros late stragem dedere: sequutus pedes impetus equitum, turbatis hostibus intulit signa. Viginti millia hostium cæsa eo die traduntur. Auctores habeo, bis cum hoste signa collata, dictatore absente, bis rem egregie gestam: apud antiquissimos scriptores una hæc pugna invenitur: in quibusdam annalibus tota res prætermissa est. Magister equitum, ut[7] ex tanta cæde, multis potitus spoliis, congesta in ingentem acervum hostilia

spicia de longinquo revertisset, constitutum, ut unus locus de captivo agro romanus fieret in ea provincia, in qua bellabatur, in quem si renovari, repeti *opus esset auspicia, dux rediret.* Ed.

2. *Omnia soluta apud hostes*, vide ad III, 8, n. 4.

3. *Ad Imbrinium*, vide ad Tac. Ann. XI, 13, n. 5.

4. *Non dux militi... defuit*, vide ad III, 56, n. 3.

5. *Aliquoties impetu capto*, vide ad II, 64, n. 3.

7. *Concitatos calcaribus* equos *permisit*, vide ad II, 56, n. 1. — *Stragem dedere*, confer ad I, 25, n. 8.

6. *Magister equitum, multis potitus spoliis, ut ex tanta cæde*, h. e. quippe, vel, ut facile intelligitur, ad Græc. οἷα εἰκός; Ern. Sic *agmine incolumi, ut ex tanta trepidatione*, X, 43 extr. ubi Gron. hæc notavit: « modificatio est vocis præcedentis: *ut* scilicet ex tanta trep. incolumes evasisse dici possunt. » Confer X, 46 pr. XXII, 12, n. 3 (*conditiones tristes, ut ab irato victore* scilicet exspectandum erat, *ferebantur*), XXII, 5 pr.; XXII, 21, n. 4; XXIII, 14 pr.; XXIV, 28, n. 2; XXIV, 45, n. 5; XXV, 20, n. 4; XXVI, 46, n. 2; XXIX, 1, n. 9; XLI, 2; XXX, 3, n. 5; XXX, 11 pr.; XXXII,

arma subdito igne concremavit: seu votum id deorum cuipiam fuit; seu credere libet Fabio auctori, eo factum, ne suæ gloriæ fructum dictator caperet, nomenque ibi scriberet[9], aut spolia in triumpho ferret. Literæ quoque de re prospere gesta ad senatum, non ad dictatorem, missæ, argumentum fuere minime cum eo communicantis laudes. Ita certe dictator id factum accepit, ut, lætis aliis victoria parta, præ se ferret iram tristitiamque. Misso itaque repente senatu, se ex curia proripuit: tum vero, non Samnitium magis legiones, quam majestatem dictatoriam, et disciplinam militarem, a magistro equitum victam et eversam dictitans, si illi impune spretum imperium fuisset. Itaque plenus minarum iræque profectus in castra, quum maximis itineribus isset, non tamen prævenire famam adventus sui potuit. Præcucurrerant enim ab Urbe, qui nuntiarent, dictatorem avidum pœnæ venire, alternis pæne verbis T. Manlii factum[10] laudantem.

XXXI. Fabius, concione extemplo advocata, obtestatus milites est, *ut, qua virtute rempublicam ab*

33, n. 10 (*vir, ut inter Ætolos, facundus*, hoc est, si reliquis comparetur Ætolis, ut ἦν οὐκ ἀδύνατος εἰπεῖν ὡς Λακεδαιμόνιος apud Thucyd. IV, 84; et Ælian. V. H. XII, 50; cf. Schweigh. ad Polyb. XVIII, 18, n. 10); XLI, 2.

8. *Seu credere libet Fabio* Pictori *auctori*, scriptori (vide ad I, 44, n. 5), vel referenti (vide ad II, 58, n. 1), *eo*, ideo (vide ad I, 11, n. 6), *factum* hoc esse. Quædam edd. habent *Fabio auctore factum*, ut *Fabius* sit magister equitum. Sed nostra lectio ob auctoritatem et sententiam præstat. Livius sæpe mentionem facit Fabii historici, et hoc loco significare videtur, fidem ejus maximam esse in rebus, ad gentem ipsius pertinentibus.

9. *Nomenque ibi scriberet* suum in spoliis, seu tropæis, quibus victoris gentiumque a se devictarum nomina subscribi solebant; vide ad Tac. Ann. II, 18, n. 3; et Juvenal. X, 133. Prima est hæc, etsi dubia adhuc et obscura, mentio tropæorum, quæ Romanis plane inusitata fuisse, contendunt Flor. III, 2; et ibi Duker. quos refutant Ern. ad Suet. Cæs. 11, et Perizon. Anim. hist. pag. 213. Confer ad Tac. loco laudato. Τὸ *ibi* ad spolia post triumphum in templis deorum cum solenni inscriptione fixis rectius forte refert Duk.

10. *Alternis pæne verbis T. Manlii factum* (vide cap. 7) *laudantem;* ut nos: *es ist fast sein zweites Wort;* Stroth.

infestissimis hostibus defendissent, eadem se, cujus ductu auspicioque vicissent[1], *ab impotenti crudelitate dictatoris tutarentur. Venire amentem invidia, iratum virtuti alienæ felicitatique; furere, quod, se absente, respublica egregie gesta*[2] *esset: malle, si mutare fortunam posset, apud Samnites, quam Romanos, victoriam esse. Imperium dictitare spretum, tanquam non eadem mente pugnari vetuerit, qua pugnatum doleat: et tunc invidia impedire virtutem alienam voluisse, cupidissimisque arma ablaturum fuisse militibus, ne, se absente, moveri possent: et nunc*[3] *id furere, id ægre pati, quod sine L. Papirio, non inermes, non manci milites fuerint, quod se Q. Fabius magistrum equitum duxerit*[4], *ac non accensum*[5] *dictatoris. Quid illum facturum fuisse, si, quod belli casus ferunt Marsque communis*[6], *adversa pugna evenisset; qui sibi, devictis hostibus, republica bene gesta*[7], *ita ut non ab illo unico duce melius geri potuerit, supplicium magistro equitum minetur? Neque illum magistro equitum infestiorem, quam tribunis militum, quam centurionibus, quam militibus esse. Si possit, in omnes sæviturum fuisse: quia id nequeat, in unum sævire. Etiam invidiam, tanquam ignem, summa petere; in caput consilii, in ducem incurrere. Si se simul cum*

Cap. XXXI. 1. *Se, cujus ductu auspicioque vicissent*, vide ad V, 46, n. 10. — Hic non omnino accurate loquentem facit Fabium Livius. *Ductu* quidem magistri equitum vicerant Romani, sed auspicio dictatoris. Siquidem magister equitum ipse non habebat auspicia, sed imperio dictatoris et auspiciis suberat. Vide Perizon. Animadver. Historic. cap. 7. Ed. — *Ab impotenti crudelitate*, v. ad III, 36, n. 2.

2. *Quod.... respublica egregie gesta esset*, vide ad lib. II, cap. 64, n. 3.

3. *Et nunc* ob *id furere ... non manci*, confer ad VII, 13, n. 2.

4. *Quod se Q. Fabius magistrum eq. duxerit*, putaverit, se pro magistro equitum gesserit; Stroth.

5. *Ac non accensum dictatoris*, vide ad I, 43, n. 13.

6. *Marsque communis*, vide ad V, 12, n. 1.

7. *Rep. bene gesta*, vide not. 2. — *Unico duce*, vide ad I, 21, n. 3.

gloria rei gestæ exstinxisset, tunc victorem, velut in capto exercitu dominantem, quidquid licuerit in magistro equitum, in militibus ausurum. Proinde adessent[8] *in sua causa omnium libertati. Si consensum exercitus eumdem, qui in prælio fuerit, in tuenda victoria videat, et salutem unius omnibus curæ esse; inclinaturum ad clementiorem sententiam animum. Postremo se vitam fortunasque suas illorum fidei virtutique permittere.*

XXXII. Clamor e tota concione ortus, uti bonum animum haberet: neminem illi vim allaturum, salvis legionibus romanis. Haud multo post dictator advenit; classicoque extemplo ad concionem advocavit. Tum, silentio facto, præco Q. Fabium magistrum equitum citavit. Qui simul ex inferiore loco ad tribunal accessit; tum dictator, « Quæro, inquit, de te, Q. Fabi, « quum summum imperium dictatoris sit, pareantque « ei consules, regia potestas[1], prætores iisdem auspi- « ciis, quibus consules, creati; æquum censeas necne, « magistrum equitum dicto audientem esse? Itemque « illud interrogo, quum me incertis auspiciis[2] profe- « ctum ab domo scirem, utrum mihi turbatis religio- « nibus respublica in discrimen committenda fuerit, « an auspicia repetenda, ne quid dubiis diis agerem? « Simul illud, quæ dictatori religio impedimento ad « rem gerendam fuerit, num ea magister equitum so- « lutus ac liber potuerit esse? Sed quid ego hæc in- « terrogo? quum, si ego tacitus abissem, tamen tibi « ad voluntatis interpretationem meæ dirigenda tua « sententia fuerit. Quin tu respondes, vetuerimne

8. *Proinde adessent....libertati*, confer ad III, 14, n. 6.

CAP. XXXII. 1. *Consules, regia fere potestas*, modo annua.

2. *Incertis auspiciis... auspicia repetenda*, vide ad cap. 30 pr. — *Dubiis diis*, dubia eorum voluntate et benevolentia.

« te quidquam rei, me absente, agere? vetuerimne « signa cum hostibus conferre? Quo tu imperio meo « spreto, incertis auspiciis, turbatis religionibus, ad- « versus morem militarem disciplinamque majorum « et numen deorum, ausus es cum hoste confligere. « Ad hæc, quæ interrogatus es, responde: extra ea, « cave, vocem mittas. Accede, lictor[3].» Adversus quæ singula quum respondere haud facile esset, et nunc quereretur, eumdem accusatorem capitis sui ac judicem esse; modo, vitam sibi eripi citius, quam gloriam rerum gestarum, posse, vociferaretur; purgaretque se invicem, atque ultro accusaret; tunc Papirius, redintegrata ira, spoliari magistrum equitum[4], ac virgas et secures expediri jussit. Fabius, fidem militum implorans, lacerantibus vestem lictoribus, ad triarios, tumultum jam in concione miscentes[5], sese recepit. Inde clamor in totam concionem est perlatus: alibi preces, alibi minæ audiebantur. Qui proximi forte tribunal steterant[6], quia subjecti oculis imperatoris noscitari poterant, orabant, ut parceret magistro equitum; neu cum eo exercitum damnaret. Extrema concio et circa Fabium globus increpabant inclementem

3. *Accede, lictor;* ita et libro XXIV, 9, dixit Livius: *Lictores ad eum accedere consul jussit;* III, 41: Appius *ad Valerium, negantem se privato reticere, lictorem accedere jussit;* vide Briss. de Form. lib. II, pag. 270. Ed. *Adversus quæ singula:* in libris quibusdam additur *Q. Fabio;* recte forsan: ad eum certe seqq. referenda.

4. *Spoliari magistrum equitum*, etc. vide ad II, 55, n. 5.

5. *Tumultum in concione miscentes,* vide ad II, 19, n. 3. — *In concione.* Otiosæ voces, ac fortasse huc retractæ ex sequenti versu, ubi legitur *in totam concionem.* Eas tamen delere si cui durum videbitur, mitius licet huic loco consulere, et emendare cum Tan. Fabro: *tumultu jam concionem miscentes.* Ed.

6. *Proximi tribunal steterant,* vide ad II, 48, n. 5. — *Et circa Fabium globus increpabant:* Displicuisse quibusdam videtur *globus* singulare, sed collectivum construi cum verbo plurali *increpabant.* Eodem modo Silius locutus est XI, 232: *quum juvenem sævis (horrendum) concitus armis invadunt globus,* etc. Simili constructione *cuneus* infra est XXV, 34: *cuneus*

dictatorem : nec procul seditione aberant. Ne tribunal quidem satis quietum erat : legati[7] circumstantes sellam orabant, ut rem in posterum diem differret, et iræ suæ spatium, et consilio tempus daret : *Satis castigatam adolescentiam Fabii esse : satis deformatam victoriam : ne ad extremum finem supplicii tenderet : neu unico juveni*[8], *neu patri ejus, clarissimo viro, neu Fabiæ genti eam injungeret ignominiam.* Quum parum precibus, parum causa proficerent[9], *intueri sævientem concionem* jubebant. *Ita irritatis militum animis subdere ignem ac materiam seditioni, non esse ætatis, non prudentiæ ejus. Neminem id Q. Fabio, pœnam deprecanti suam, vitio versurum, sed dictatori, si obcæcatus ira infestam multitudinem in se pravo certamine movisset. Postremo, ne id se gratiæ dare Q. Fabii*[10] *crederet, se jusjurandum dare paratos esse, non videri e republica*[11], *in Q. Fabium eo tempore animadverti.*

XXXIII. His vocibus quum in se magis incitarent dictatorem, quam in magistrum equitum[1] placarent,

is hostium, qui in confertos circa ducem impetum fecerat, ut exanimem labentem ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt. Ed.

7. *Legati* mil. *circumstantes sellam* curulem dictatoris, in tribunali positam. — *Iræ suæ spatium, et consilio tempus daret,* confer II, 56 extr.

8. *Neu unico juveni* (vide ad I, 21, n. 3), *neu Fabiæ genti eam injungeret ignominiam* (confer III, 65 extr.) : mallem cum Gron. *inureret*, quod tamen primus substituit Ascens. — At *injungere ignominiam,* ut ipse Gronovius notat, non videtur tamen incommodum loquendi genus. Sic et Livius III, 45 : *injungere injuriam ;* XXXVIII, 8 : *pœnam injungere* dixit ; *notam* Valer. Max. VI, 9, ex. 2, *detrimentum* Cic. ad Brut. Epist. fam. XI, 13. Vide et Cæs. Bell. Civ. I, 4. Ed.

9. *Parum causa proficerent,* defensione et excusatione. — *Subdere ignem ac materiam* (vide ad VI, 2, n. 6) *seditioni,* qua metaphora etiam leges dicuntur *faces* (al. stimuli) *novantibus res* (vide ad I, 52, n. 1) *ad plebem in optimates accendendam* XXXII, 38 extr. Conf. ad Sil. IV, 778, et VI, 332.

10. *Id se gratiæ dare Q. Fabii,* vide ad III, 58, n. 4.

11. *Non videri e republica* esse ; vid. ad VI, 22, n. 2.

Caput XXXIII. 1. *In magistrum equitum placarent* dictatorem, ut apud

jussi de tribunali descendere legati; et silentio nequidquam per præconem tentato, quum, præ strepitu ac tumultu, nec ipsius dictatoris, nec apparitorum ejus vox audiretur, nox, velut in prælio, certamini finem fecit. Magister equitum, jussus postero die adesse, quum omnes affirmarent, infestius Papirium exarsurum, agitatum contentione [2] ipsa exacerbatumque, clam ex castris Romam profugit: et, patre auctore M. Fabio, qui ter jam consul dictatorque fuerat, vocato extemplo senatu, quum maxime conquereretur apud Patres vim atque injuriam dictatoris, repente strepitus ante curiam lictorum submoventium [3] auditur: et ipse infensus aderat, postquam comperit profectum ex castris, cum expedito equitatu sequutus. Iterata deinde contentio; et prendi Fabium Papirius jussit. Ubi quum, deprecantibus primoribus Patrum atque universo senatu, perstaret in incepto immitis animus; tum pater M. Fabius; « Quandoquidem, inquit, apud te nec auctoritas senatus, nec ætas « mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitasque « magistri equitum, a te ipso nominati, valet, nec « preces, quæ sæpe hostem mitigavere, quæ deorum « iras placant, tribunos plebis appello, et provoco ad « populum [4]; eumque tibi fugienti exercitus tui, « fugienti senatus judicium [5], judicem fero, qui certe

Nep. Pelop. 5, et *mitigari*, vel *exorabilem esse in aliquem* apud Cic. ad Att. II, 9; Suet. Aug. 27; Tib. 13. Gron.

2. *Agitatum contentione*, in iram concitatum, irritatum certamine. — *M. Fabio* Ambusto, *qui dictator et ter consul fuerat*, vide Ind.

3. *Lictorum submoventium*, vide ad III, 14, n. 4.

4. *Tribunos plebis appello, et provoco ad populum*: quid vero? nonne dictator erat magistratus sine provocatione (confer II, 18, 29), et imperium ejus invictum (vide cap. 34 pr.)? Utique: sed credit etiam non tam provocationi, quam *precario auxilio*, vel precibus tribunorum (vide cap. 35): et Fabius pater ad extremum decurrit remedium, sperans, populum et tribunos etiam pro salute filii ipsorum fidei commissa, extrema ausuros.

5. *Fugienti senatus judicium*, vi-

« unus plus, quam tua dictatura, potest polletque. « Videro, cessurusne provocationi sis, cui rex roma- « nus Tullus Hostilius cessit[6]. » Ex curia in concionem itur. Quo cum paucis dictator, cum omni agmine principum magister equitum quum escendisset, deduci eum de rostris Papirius in partem inferiorem jussit. Sequutus pater, « Bene agis, inquit, quum eo « nos deduci jussisti, unde et privati vocem[7] mittere « possemus. » Ibi primo non tam perpetuæ orationes, quam altercatio, exaudiebantur[8]. Vicit deinde strepitum vox et indignatio Fabii senis, increpantis superbiam crudelitatemque Papirii : *Se quoque dictatorem Romæ fuisse, nec a se quemquam, ne plebis quidem hominem, non centurionem, non militem, violatum; Papirium, tanquam ex hostium ducibus, sic ex romano imperatore victoriam et triumphum petere. Quantum interesset inter moderationem antiquorum et novam superbiam crudelitatemque. Dictatorem Quintium Cincinnatum*[9] *in L. Minucium consulem, ex obsidione a se ereptum, non ultra sævisse, quam ut legatum eum ad exercitum pro consule relinqueret. M. Furium Camillum in L. Furio, qui, contempta sua senectute et auctoritate, fœdissimo cum eventu pugnasset, non solum in præsentia moderatum iræ esse,*

tanti, deprecanti, ut *fugere judicem* IX, 1, n. 6, et *fugisse eum* (Fabium) *Ap. Claudium collegam,* hoc est, eum collegam habere noluisse, X, 15, n. 12. — *Judicem fero,* v. ad III, 24, n. 6.

6. *Tullus Hostilius cessit;* imo duumviri perduellionis, quibus rex totam permiserat Horatii causam; vide I, 26. Sed Fabius rem auget invidiose. — *Quo quum escendisset* (concionem ad populum habiturus), scilicet in *concionem;* propr. in rostra : unde mox *deduci eum de rostris jussit;* vide ad librum II, cap. 7, ibique notam 7.

7. *Unde et privati vocem mittere possemus :* nam pro rostris ad populum loqui non nisi magistratus poterant, et qui ab iis producti erant; Sigon.

8. *Non tam perpetuæ orationes, quam altercatio exaudiebantur,* vide ad IV, 6, n. 1, *exaudiebatur* malebat Gron. (confer ad cap. 15, n. 1) et mox *Quantum interesse;* vide ejus Obss. III, 9. — *Ex romano imperatore;* vide ad V, 46, n. 10.

9. *Dictatorem Quintium Cincinn.*

ne quid de collega secus populo aut senatui scriberet; sed, quum revertisset, potissimum ex tribunis consularibus habuisse, quem ex collegis, optione ab senatu data, socium sibi imperii delegerit. Nam populi quidem, penes quem potestas omnium rerum esset, ne iram quidem unquam atrociorem fuisse in eos, qui temeritate atque inscitia exercitus amisissent, quam ut pecunia eos mulctaret. Capite anquisitum ob rem bello male gestam de imperatore nullo ad eam diem esse. Nunc ducibus populi romani, quæ ne victis quidem bello fas fuerit, virgas et secures victoribus et justissimos meritis triumphos intentari. Quid enim tandem passurum fuisse filium suum, si exercitum amisisset: si fusus, fugatus, castris exutus fuisset? Quo ultra iram violentiamque ejus [10] *excessuram fuisse, quam ut verberaret necaretque? Quam conveniens esse, propter Q. Fabium civitatem in lætitia, victoria, supplicationibus ac gratulationibus esse: eum, propter quem deum delubra pateant, aræ sacrificiis fument, honore, donis cumulentur* [11], *nudatum virgis lacerari in conspectu populi romani; intuentem Capitolium atque arcem, deosque ab se duobus*

etc. vide III, 29. — *Quum revertisset, potissimum ex tribunis consularibus habuisse, quem ex collegis, optione ab senatu data, socium sibi imperii delegerit.* Δίς ταὐτὸ dixit orator, si vere ita editur. Siquidem *tribuni consulares* iidem sunt, qui collegæ Camilli. Latinitas quoque aliam verborum conjunctionem suadet; requirimus aliquid ad *optione data.* Scribe : *potissimum ex tribunis consularibus habuisse quem, ex collegis optione ab senatu data, socium,* etc. et ita Walchius Emend. Livian. pag. 120, cui sane accedimus. Ed. — *Nam* (vide ad III, 39, n. 8) *populi quidem,* etc. cf. IV, 41, 44 et al.

10. *Quo ultra iram... excessuram fuisse*, vide ad III, 41, n. 6.

11. *Aræ sacrificiis fument, honore, donis cumulentur,* grandior et poetica oratio, affectui, et rei apte verbis exaggerandæ consentanea. *Honos*, ut τιμή, poetis dicitur omne id, quod in deorum fit honorem iisque offertur, sacrificium, libatio, vel, ut XXIII, 11, n. 6, dona. — *Duobus prœliis.* Supra cap. 30, potiorem habuisse videtur Livius fidem eorum auctorum, qui semel tantum pugnasse Fabium tradidere; sed hic loquentem inducit patrem ex ea

prœliis haud frustra advocatos? Quo id animo exercitum, qui ejus ductu auspiciisque vicisset, laturum? quem luctum in castris romanis, quam lœtitiam inter hostes fore? Hæc, simul jurgans, querens, deum hominumque fidem obtestans, et complexus filium, plurimis cum lacrymis agebat [12].

XXXIV. Stabat cum eo [1] senatus majestas, favor populi, tribunitium auxilium, memoria absentis exercitus. Ex parte altera *imperium invictum populi romani* [2], *et disciplina rei militaris, et dictatoris edictum pro numine semper observatum* [3], *et Manliana imperia* [4], *et posthabita filii caritas publicœ utilitati*, jactabantur. *Hoc etiam L. Brutum, conditorem romanœ libertatis, antea in duobus liberis fecisse. Nunc patres* [5] *comes, et senes faciles de alieno imperio spreto, tanquam rei parvœ, disciplinœ militaris eversœ juventuti gratiam facere. Se tamen perstaturum in incœpto; nec ei, qui adversus dictum suum, turbatis religionibus ac dubiis auspiciis, pugnasset, quidquam*

opinione quæ magis causæ suæ favere possit. Ed.

12. *Hæc simul jurgans... agebat*, perorabat, ut XXI, 53, n. 3, et *ad populum agere* XLII, 34, n. 1.

Cap. XXXIV. 1. *Stabat cum eo*, quasi a partibus Fabii, eum juvabat, ut V, 38; XXVI, 41; XXXII, 21. Confer ad XXIV, 45, n. 1. Sic et *pro jure gentium stetit fortuna* XXXVIII, 25, n. 4. — *Ex parte altera* dictatoris, et a dictatore *jactabantur* (vide ad II, 12, n. 7) hæc. Hujus quoque sunt verba: *Hoc etiam L. Brutum*, etc.

2. *Imperium invictum populi rom.* vide ad VI, 16, n. 3. — Imperii, quod a populo magistratibus ducibusque commissum populi nomine geratur, majestas huc usque inviolata. Ed.

3. *Dictatoris edictum pro numine s. o.* vide ad I, 55, n. 4.

4. *Manliana imperia*, vide cap. 7.

5. *Nunc patres* (M. Fabium aliosque, ejus amicos) *comes, et senes faciles de alieno*, facile concedentes de jure, non suo, sed aliorum, et in re, quæ non ad se, sed alios, non ad suam, sed aliorum, dignitatem spectat (quo fere sensu *largiri ex alieno* dixit Cic. ad Div. III, 8, n. 20), *disciplinæ militaris imperio spreto eversæ, tanquam rei parvæ, juventuti gratiam facere*, vide ad II, 35, n. 5, et III, 56, n. 3. Ita, opinor, jungenda hæc verba, a librariis forte transposita; non *faciles de alieno imperio spreto*, vel *de alieno gratiam facere*. Tò *de* delendum putabant Drak. et alii.

ex justa pœna remissurum. Majestas imperii[6] *perpetua ne esset, non esse in sua potestate. L. Papirium nihil de ejus jure deminuturum. Optare, ne potestas tribunitia, inviolata*[7] *ipsa, violet intercessione sua romanum imperium, neu populus in se potissimum dictatorem et jus dictaturæ exstinguat. Quod si fecisset, non L. Papirium, sed tribunos, sed pravum populi judicium, nequidquam posteros accusaturos: quum, polluta semel militari disciplina, non miles centurionis, non centurio tribuni, non tribunus legati, non legatus consulis, non magister equitum dictatoris pareat imperio; nemo hominum, nemo deorum verecundiam habeat; non edicta imperatorum, non auspicia observentur; sine commeatu*[8] *vagi milites in pacato, in hostico errent; immemores sacramenti, licentia sola se, ubi velint, exauctorent; infrequentia deserantur signa; neque conveniatur ad edictum; nec discernatur, interdiu, nocte, æquo, iniquo loco, jussu, injussu imperatoris pugnent; et non signa, non ordines*

6. *Majestas imperii* dictatorii *perpetua ne esset, non esse in sua potestate*, a se effici non posse: sibi non licere, majestatem hanc imminuere, vel adeo tollere.—*L. Papirium* pro: se.

7. *Potestas tribunitia inviolata*, vide ad II, 1, n. 4. Mox *in se potissimum dictatore jus d. e.* conj. Duker. Drak. et Stroth. quia *exstinguere dictatorem* vix latine dici possit, neque ita differat ab eo *exstinguere jus dictaturæ*, quod additum sit. Verba *in se potissimum* non referenda ad dictatorem, sed ad *populum* dictaque pro: contra se, in populi damnum; Doer.

8. *Sine commeatu;* vide ad I, 57, n. 2. — *In pacato, in hostico*, vide ad cap. 12, n. 11. — *Exauctorent se*, ipsi dent sibi missionem. Nam *auctoramentum* dicebatur pretium, aut merces *auctorati*, hoc est, ejus, qui, *auctor* ipse libertatis amittendæ, sua sponte se alicui in servitutem addiceret, inpr. gladiatorum, qui pro mercede, pecuniave pacta se ipsi in arenam, vel ad gladium venderent, deinde aliorum, mercede ad officia quædam, militumque, stipendio ad militiam adstrictorum; unde *auctoratus* XXXVII, 10, est emptus vel venditus, hoc est, obstrictus, et contra *exauctoratus* miles dimissus XXV, 20; XXIX, 1; XXXII, 1; XXXVI, 40 extr.; XLI, 5. Ab Augusto invecta *exauctoratio*, diversa a *missione* militum; de qua vide Tac. Ann. I, 17, n. 1. — *Infrequentia signa*, v. VII, 8, n. 4.—*Deserant... conveniant... discernant* perperam edidit Curio, varietate illa offensus, quam ubique captavit Livius. Ed.

servent; latrocinii modo cæca et fortuita, pro solenni et sacrata militia[9] *sit. Horum criminum vos reos in omnia sæcula offerte, tribuni plebi: vestra obnoxia capita pro licentia Q. Fabii objicite.*

XXXV. Stupentes tribunos, et suam jam vicem magis anxios[1], quam ejus, cui auxilium ab se petebatur, liberavit onere[2] consensus populi romani[3], ad preces et obtestationem versus, ut sibi pœnam magistri equitum dictator remitteret. Tribuni quoque, inclinatam rem[4] in preces subsequuti, orare dictatorem insistunt, ut veniam errori humano, veniam adolescentiæ Q. Fabii daret: satis eum pœnarum dedisse. Jam ipse adolescens, jam pater M. Fabius contentionis obliti, procumbere ad genua, et iram deprecari dictatoris. Tum dictator, silentio facto; « Bene habet[5], inquit, Quirites. Vicit disciplina militaris, vicit imperii « majestas, quæ in discrimine fuerunt, an ulla post « hanc diem essent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, « qui contra edictum imperatoris pugnavit; sed, noxæ « damnatus, donatur[6] populo romano; donatur tri-

9. *Solenni et sacrata militia*, ob religionem sacramenti, quo milites adiguntur obligunturque. Confer ad IV, 26, n. 2. — *Obnoxia*, ut sint obnoxia; vide ad III, 39, n. 1.

Cap. XXXV. 1. *Suam jam vicem anxios*, vide ad I, 25, n. 5.

2. *Liberavit onere*, cura gravissima.

3. *Consensus pop. rom.* vide ad III, 34, n. 3. — *Ut sibi pœnam magistri eq. remitteret*, vide ad II, 35, n. 5.

4. *Inclinatam rem* (propr. populum) *in preces subsequuti*, quasi proxime et confestim sequuti, et hinc adjuvantes, cum populi precibus jungentes suas. Confer cap. 36 pr.

5. *Bene habet*, vide ad VI, 35, n. 6. — *Quæ in discrimine fuerunt* (vide ad VI, 17, n. 1), *an ulla essent*, prorsus tollerentur. — *Non noxæ eximitur; noxa* Voss. 2, Lovel. 4, Fragmm. Hav. et Hearnii Oxoniensis L. 1, atque in margine N. Ita supra locutus est Livius VI, 24: *ab imperio totus ad preces versus, orare ... ut se, reum fortunæ ejus diei, crimine eximerent.* Vide infra XXX, 23. Sed nec alterum damnandum; Quintil. Instit. Orator. cap. 1: *Meretur, qui turbæ, quamvis bonorum post hos, auctorum eximatur.* Val. Flaccus II, 256: *Exime me sceleri, pater, et miserere piorum.* Confer et Suet. Claud. cap. 11; Curt. VII, 1; Gell. IV, 20. Ed.

6. *Noxæ damnatus donatur populo rom.* vide ad II, 35, n. 5, et II, 59,

« bunitiæ potestati, precarium non justum auxilium « ferenti. Vive, Q. Fabi, felicior hoc consensu civitatis « ad tuendum te, quam, qua paulo ante exsultabas, « victoria. Vive, id facinus ausus, cujus tibi ne parens « quidem, si eodem loco [7] fuisset, quo fuit L. Papi- « rius, veniam dedisset. Mecum, ut voles, reverteris « in gratiam [8]: populo romano, cui vitam debes, nihil « majus præstiteris, quam si hic tibi dies satis docu- « menti dederit, ut bello ac pace pati legitima imperia « possis. » Quum se nihil morari magistrum [9] equitum pronuntiasset, degressum eum templo [10] lætus senatus, lætior populus, circumfusi ac gratulantes hinc magistro equitum, hinc dictatori, prosequuti sunt: firmatumque imperium militare haud minus periculo Q. Fabii, quam supplicio [11] miserabili adolescentis Manlii, videbatur. Forte ita eo anno evenit, ut, quotiescumque dictator ab exercitu recessit, hostes in Samnio moverentur. Cæterum in oculis exemplum erat Q. Fabius M. Valerio legato, qui castris præerat, ne quam vim hostium magis, quam trucem dictatoris iram, timeret. Itaque frumentatores quum, circumventi ex insidiis, cæsi loco iniquo essent, creditum vulgo est, subveniri eis ab legato potuisse, ni tristia

n. 3. — *Precarium, non justum auxilium ferenti,* vide ad III, 47, n. 4. — *Vive, id facinus ausus;* quum modo dixerit *Vive, Q. Fabi,* hic etiam dicendum esse videri posset, *vive, id facinus ause;* pro quo haud male legitur *ausus.* Vide Sanctii Minerv. II, 6, et quæ ibi notavit Periz. Ed.

7. *Si eodem* (in) *loco fuisset* (vide ad IV, 16, n. 5), *quo fuit L. Papirius,* in quo ego fui.

8. *Mecum, ut voles, reverteris in gratiam,* etc. Cic. Phil. II, 46: *Mecum, ut voles; cum republica redi in gratiam.* — *Satis documenti,* vide ad IV, 57, n. 5.

9. *Quum se nihil morari magistrum equitum.* Genus dicendi quo utebantur in absolvendo. Sic supra lib. IV, cap. 42, *tribunus plebis : nihil moror.* Vide etiam II, 24, n. 5.

10. *Degressum eum templo,* vide ad I, 6, n. 5. — Hoc est, *Rostris,* quæ, summoto magistro equitum, dictator ascenderat; supra autem rostra *templum* dici monuimus hoc lib. c. 14. Ed.

11. *Adolescentis Manlii supplicio,* vide cap. 7.

edicta exhorruisset. Ea quoque ira alienavit a dictatore militum animos, jam ante infensos, quod implacabilis Q. Fabio fuisset; et, quod suis precibus negasset, ejus populo romano veniam [12] dedisset.

XXXVI. Postquam dictator, præposito in [1] Urbe L. Papirio Crasso magistro equitum, Q. Fabio vetito quidquam pro magistratu agere, in castra rediit; neque civibus satis lætus adventus ejus fuit, nec hostibus quidquam attulit terroris. Namque postero die, seu ignari venisse dictatorem, seu, adesset an abesset, parvi facientes, instructa acie ad castra accesserunt. Cæterum tantum momenti in uno viro L. Papirio fuit, ut, si ducis consilia favor subsequutus [2] militum foret, debellari eo die cum Samnitibus potuisse, pro haud dubio habitum sit: ita instruxit aciem loco [3] ac subsidiis, ita omni arte bellica firmavit. Cessatum a milite, ac de industria, ut obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est. Plures Samnitium cecidere: plures Romani vulnerati sunt. Sensit peritus dux, quæ res victoriæ obstaret: temperandum ingenium suum esse, et severitatem miscendam comitati [4]. Itaque, ad-

12. *Ejus populo rom. veniam*, gratiam, *dedisset*, id populo rom. ejusque precibus concessisset. Confer ad II, 35, n. 5.

Cap. XXXVI. 1. *Præposito in Urbe magistro equit.* prius, quam in castra rediret, *posito*, hoc est, dicto, creato, subornato, constituto, ut τιθέναι et διατιθέναι. Id potius anno insequenti factum, prorogatamque in eum L. Papirio dictaturam, nullis consulibus creatis, contendit Pigh. in Annal. ad ann. 429. At vide supra ad VI, 1, n. 3. — *Q. Fabio vetito agere*, ut passim: *vetor agere hoc*, etc. conf. XXIII, 16; XXXIV, 9 al. — *Quidquam pro magistratu agere*, confer ad II, 7, n. 4.

2. *Consilia favor subsequutus*, vide ad VIII, 35, n. 4.

3. *Ita instruxit aciem loco*, scilicet opportuno, *ac subsidiis*, vide ad II, 20, n. 2. Malim: *ita subsidiis et omni arte*, etc.

4. *Severitatem miscendam comitati*, forsan *comitate*, quamvis ferri potest, si intelligas tam id misceri quod affunditur, quam id cui affunditur; Gron. « Qui *severitatem comitati miscet*, is jam ante comis est, sed cavet, ne plus sit, quam satis est; quod in Papirii ingenium non convenit, qui nihil minus quam comis, ac potius severus

hibitis legatis [5], ipse circum saucios milites inserens in tentoria caput, singulos, ut sese haberent, rogitans, curam eorum nominatim legatis, tribunisque, et præfectis demandabat : rem per se popularem [6] ita dexter egit, ut, medendis corporibus, animi multo prius militum imperatori reconciliarentur; nec quidquam ad salubritatem efficacius fuerit, quam quod grato animo ea cura accepta est. Refecto exercitu, cum hoste congressus haud dubia spe sua militumque, ita fudit fugavitque Samnites, ut ille ultimus eis dies conserendi signa cum dictatore fuerit. Incessit deinde, qua duxit prædæ spes, victor exercitus, perlustravitque hostium agros, nulla arma, nullam vim, nec apertam, nec insidiis, expertus. Addebat alacritatem, quod dictator prædam omnem edixerat [7] militibus : nec ira magis publica, quam privatum [8] compendium, in hostem acuebat. His cladibus subacti Samnites pacem a dictatore petiere : cum quo pacti, ut singula vestimenta [9] militibus et annuum stipendium darent, quum ire ad senatum jussi essent; sequuturos se di-

sine comitate erat; unde *severitatem comitate miscendam* sentiebat » ; Duk. *severitati miscendam comitatem* conj. Doujat.

5. *Adhibitis legatis* (vide ad V, 25, n. 5), *ipse circum saucios milites*, etc. confer Lamprid. in Alex. Severo cap. 47, et ad Tac. Ann. I, 71, n. 3. — *Præfectis*, scilicet sociorum, de quibus vide ad Tac. Ann. II, 68, n. 2; Polyb. VI, 26; Lips. Mil. rom. II, 10. — Præfecti erant numero, jure, et potestate tribunis militum pares, et eadem omnia in socios usurpabant, quæ isti in cives. Ed.

6. *Rem per se popularem*, ad favorem populi parandum aptam, *ita dexter egit*, tanta dexteritate peregit, *ut*, dum opera dabatur *medendis corporibus, animi militum multo prius imperatori reconciliarentur*, quam eorum corpora sanarentur; Doer. — *Refecto exercitu*, vide ad III, 10, n. 9.

7. *Quod dictator prædam omnem edixerat, militibus*, ut *pronuntiare militi præmia* II, 20 extr.

8. *Privatum compendium*, commodum, usus, quæstus.—Cæsar Bell. gall. VII, 43 : *capti compendio ex direptis bonis*. Bell. civil. III, 32 : *præter imperatas pecunias, suo etiam privato compendio serviebant*. Ed.

9. *Singula vestimenta*, etc. confer IX, 41, n. 5; IX, 43, n. 4; Appian. Hisp. 42 et 54; Diodor. Legat. Exc. 30, tom. 2, pag. 629, ed. Wessel.

ctatorem responderunt; unius ejus fidei virtutique causam suam commendantes. Ita deductus ex Samnitibus exercitus.

XXXVII. Dictator triumphans Urbem est ingressus; et, quum se dictatura abdicare vellet, jussu Patrum, priusquam abdicaret, consules creavit C. Sulpicium Longum iterum, Q. Æmilium [1] Cerretanum. Samnites, infecta pace, quia de conditionibus agebatur [2], inducias annuas ab Urbe retulerunt. Nec earum ipsarum sancta fides fuit: adeo, postquam Papirium abisse magistratu nuntiatum est, arrecti ad bellandum animi sunt. C. Sulpicio, Q. Æmilio (Aulium quidam annales habent) consulibus, ad defectionem Samnitium Apulum novum bellum accessit. Utroque exercitus missi. Sulpicio Samnites, Apuli Æmilio sorte evenerunt. Sunt, qui non ipsis Apulis bellum illatum, sed socios ejus gentis populos [3] ab Samnitium vi atque

Cap. XXXVII. 1. *Q. Æmilium Cerretanum:* imo *Q. Aulium C.* ut in Fragment. Capitol. et in omnibus MSS infra IX, 22, et in plerisque IX, 15, ubi quidam *Aurelium* habent, ut *Ælium* Diodorus, Marianus et Cassiod. Conf. Pigh. Annal. ad ann. 430, ubi etiam bene monet, cognomen *Cerretani* Æmiliæ genti insolitum, et eo tempore alterum consulum plerumque plebeium fuisse; mox vero delenda esse verba: *Aulum quidam annales habent;* quod Livius paulo ante potuisset commodius annotare. — *Aulium... habent.* Quod quidem verius, nec immerito fortasse, videtur Sigonio, Pighio, Gronovio; tum quia hic consul plebeius esse debuit, quum Sulpicius foret patricius; Æmilia autem gens patricia erat, Aulia plebeia: tum quia IX, 15, 16, 22 et 23, ubi de eodem homine agitur, Campanus et Andreas nusquam *Æmilium,* sed vel *Aurelium,* vel *Aulum,* vel *Alium,* vel *Aulium* denique habent; unde merito colligitur Livium his locis revera scripsisse *Aulium.* Consentiunt Capitol. Fasti, ubi de ejus morte agunt, ad annum 438. Non possumus tamen assentiri doctissimis viris qui verba: *Aulium quidam annales habent,* quæ ubique exstant, e Liviano textu exturbant. Nec adeo mirum est Livium hic hæsitare in illo nomine; postea ei sententiæ, quæ verisimilior ipsi visa est, sine ulla dubitationis nota adhæsisse. Ed.

2. *Infecta pace, quia de conditionibus agebatur,* adhuc disceptabatur, nondum conveniebat. *Weil es noch auf die Bedingungen ankam:* Stroth. *ambigebatur* conj. Gron. — *Sancta fides,* inviolata, religiose servata; confer Drakenb. ad hunc locum.

3. *Socios ejus gentis populos,* civita-

injuriis defensos scribant. Cæterum fortuna Samnitium, vix a se ipsis eo tempore propulsantium bellum, propius ut sit vero, facit, non Apulis ab Samnitibus arma illata, sed cum utraque simul gente bellum Romanis fuisse. Nec tamen res ulla memorabilis acta: ager apulus Samniumque evastatum: hostes nec hic, nec illic inventi. Romæ nocturnus terror ita ex somno trepidam repente civitatem excivit, ut [4] Capitolium atque arx, mœniaque et portæ, plena armatorum fuerint: et quum concursatum conclamatumque ad arma omnibus locis esset, prima luce nec auctor, nec causa terroris comparuit. Eodem anno de Tusculanis Flavia rogatione populi fuit judicium. M. Flavius tribunus plebis tulit ad populum, ut in Tusculanos animadverteretur, quorum eorum ope ac consilio Veliterni Privernatesque populo romano bellum fecissent [5]. Populus tusculanus cum conjugibus ac liberis Romam

tes Apulorum, fœdere in amicitiam rom. receptas; vide cap. 25.

4. *Ut Capitolium*, ac si, tanquam *C.*

5. *Ut in Tusculanos animadverteretur...fecissent :* « quando, aut qua occasione Veliterni Privernatesque Tusculanorum ope ac consilio... bellum fecerint, incertum est. Ad VII, 15 non referendum videtur, quia Tusculani hujus criminis jam pœnas dedere; vide VIII, 14. Postea Privernates iterum desciverunt; vide cap. 19 seq. sed neque id Tusculanorum ope et consilio factum, neque Veliternos socios fuisse constat » ; Drak. — *Quorum eorum*, quorum ex iis, ut apud Plaut. Trinum. IV, 3, et *qui eorum* infra XXIII, 25 al. nam etsi publico consilio id factum suspicio erat, quæstionem tamen in solos ejus auctores adjutoresque decernere erat justæ severitatis; Gronovius. Idem jam antea factum; vide cap. 14. Sed ex Valer. Max. IX, 10, n. 1; et ex aliis argumentis probabile facit Dukerus, hoc loco legendum *quod eorum*, neque rogationem de solis hujus rei auctoribus latam esse. Argumenta hæc sunt: « Primum non necesse erat, in eos rogatione tribunitia judicium populi constitui, quia hujus generis quæstiones fere senatusconsulto magistratibus mandabantur, ut XXVIII, 30, et XL, 53. Deinde non vero simile est, *populum tusculanum* paucorum fortasse, quorum ope ac consilio hoc factum fuerat, supplicio eximendorum gratia, rem tam extraordinariam facere voluisse, ut cum conjugibus ac liberis Romam veniret, et veste mutata, specie reorum tribubus supplicaret. Præterea nulla magnopere causa fuisset cæteris tribubus antiquandi legem, si ea de solis auctoribus lata fuisset : in hos

venit. Ea multitudo, veste mutata et specie reorum, tribus circuit, genibus se omnium advolvens. Plus itaque misericordia ad pœnæ veniam impetrandam, quam causa [6] ad crimen purgandum valuit. Tribus omnes, præter Polliam, antiquarunt legem [7]. Polliæ sententia fuit, puberes verberatos necari, conjuges liberosque sub corona lege belli venire [8]: memoriamque ejus iræ Tusculanis in pœnæ tam atrocis auctores mansisse ad patrum ætatem constat, nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum [9].

XXXVIII. Insequenti anno, Q. Fabio [1], L. Fulvio consulibus, A. Cornelius Arvina dictator, et M. Fabius Ambustus magister equitum, metu gravioris in Samnio belli (conducta enim pretio a finitimis juventus dicebatur) intentiore delectu habito, egregium exercitum adversus Samnites duxerunt. Castra in hostico

enim exemplum statui, publice intererat, et justæ severitatis erat : sed lex ab illis antiquata est, quod in omnes sine discrimine sævire crudele et inhumanum videbatur ; quemadmodum quum plures, sed alii aliis gravius, deliquerunt, fere tantum in auctores facinoris animadverti solet. (Confer cap. 14.) Denique de omnibus Tusculanis latam fuisse rogationem, indicio sunt tum verba Livii *plus misericordia ...valuit*, quæ de paucis vix dici possunt, tum pertinax illa Tusculanorum in tam atrocis pœnæ auctores ira. » Huc accedit, quod in 5 MSS legitur *quod eorum*, et in uno *quoniam eorum*.

6. *Quam causa*, causæ status, res ipsa; Doer.

7. *Antiquarunt legem* Flaviam. Confer ad V, 58, n. 10.

8. *Sub corona venire*, v. II, 17, n. 3.

9. *Papiriam ferre solitum*, scilicet tribum, hoc est, ejus suffragia; vide ad III, 64, n. 3. Tusculani autem, qui civitatem rom. acceperant (vide VI, 26; VIII, 14), in Papiriam tribum erant conjecti, et in ea plurimum poterant. Confer Valer. Max. IX, 10, n. 1, et de civitate, Tusculanis data, supra ad VI, 26, n. 4.

Cap. XXXVIII. 1. *L. Fulvio;* de eo sic habet Plinius VII, 43 : *Est et L. Fulvius inter insignia exempla, Tusculanorum rebellantium consul, eodemque honore, quum transisset, exornatus confestim a populo romano; qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romæ triumphavit, ex iis quorum consul fuerat.* Hæc conciliare cum Livii narratione de Tusculanis haud facile est. Triumphum Fulvio tribuunt Capitol. Fasti, sed de Samnitibus. Ed. — *Castra in hostico*, vide ad cap. 12, n. 11.

incuriose ita posita, tanquam procul abesset hostis: quum subito advenere Samnitium legiones tanta ferocia, ut vallum usque ad stationem romanam inferrent[2]. Nox jam appetebat[3]; id prohibuit munimenta adoriri; nec dissimulabant, orta luce postero die facturos. Dictator, ubi propiorem spe dimicationem vidit, ne militum virtuti damno locus esset, ignibus crebris relictis, qui conspectum hostium frustrarentur, silentio legiones educit: nec tamen fallere propter propinquitatem castrorum potuit. Eques extemplo insequutus ita institit agmini[4], ut, donec lucesceret, prælio abstineret; ne pedestres quidem copiæ ante lucem castris egressæ. Eques, luce demum ausus incursare in hostem, carpendo novissimos[5] premendoque iniquis ad transitum locis agmen detinuit. In-

2. *Ut vallum usque ad stationem rom. inferrent*, hoc est, vallos, quos milites secum ferebant, non vallum quoddam cespititium, quod vix ad τὸ *inferre* et *subito advenire* aptum esset; Stroth. Imo sensus est: ut castra proxime Romanis ponerent, et vallum, circa ea ducendum, *inferrent usque ad*, seu in *stationem rom.* quæ pro castris rom. et ante eorum portas esse solebat (vide Lips. Mil. rom. V, 8): nam alioquin Livius dixisset *vallos;* et hostes posuisse castra intelligitur ex verbis seqq. *propter propinquitatem castrorum*. Illud autem *inferre ad* pro simpl. *ferre ad* ponitur, ut XXX, 30, n. 7; XXXII, 24; XXXVIII, 10 extr. In multis MSS *bellum* pro *vallum*.

3. *Nox jam appetebat*, confer ad V, 19, n. 2. Male Pall. duo *apparebat*. X, 20: *Et jam lux appetebat*. Ibid. 21. *Et jam appetebat tempus*. Ibid. 42: *Appetens nox periculosa et suspecta omnia etiam victoribus faciebat*. XXV, 2: *Comitiorum consularium jam appetebat tempus*. XXVII, 32: *Jam enim Nemæorum appetebat tempus, quæ celebrari volebat præsentia sua*. Vide etiam XXVIII, 10; XXIX, 10 pr. solent autem hæc verba confundere librarii. Ed.

4. *Ita institit agmini* rom. vide ad V, 12, n. 3. *Eques* et mox *pedestres copiæ* scilicet Samnitium. — *Incursare in hostem* propr. dicitur de equite, equis admissis impetum faciente in hostem, ut XXII, 28; XXIV, 41 al. Confer Drak. — *Incursare hostem* omissa præpositione Fragmm. Hav. quomodo alibi Livium locutum esse, supra vidimus VI, 36, hic tamen potior auctoritas aliorum omnium, qui eamdem constanter servant. Confer ad III, 70; V, 38; VI, 21; XXV, 35; XXXIV, 19; XXXIX, 2. — *Retinuit* Haverk.; nempe solent verba illa commutari; sed vulgatum hic verius; quod morari et longissime tenere notat. Ed.

5. *Carpendo novissimos*, vide ad III, 5, n. 1.

terim pedes equitem assequutus; et totis jam copiis Samnis urgebat. Tum dictator, postquam sine magno incommodo progredi non poterat, eum ipsum, in quo constiterat, locum castris dimetari jussit. Id vero, circumfuso undique equitatu [6], ut vallum peteretur opusque inciperet, fieri non poterat. Itaque, ubi neque eundi, neque manendi copiam esse videt, instruit aciem, impedimentis ex agmine remotis; instruunt contra et hostes, et animis et viribus pares; auxerat id maxime animos, quod, ignari loco iniquo, non hosti [7], cessum, velut fugientes ac territos terribiles ipsi sequuti fuerant. Id aliquandiu æquavit pugnam, jam pridem desueto Samnite clamorem romani exercitus pati. At, hercule, illo die ab hora diei tertia ad octavam ita anceps dicitur certamen stetisse, ut neque clamor, ut primo semel concursu est sublatus, iteratus sit; neque signa promota loco, retrove recepta; neque recursum ab ulla sit parte. In suo quisque gradu obnixi [8], urgentes scutis [9], sine respiratione ac respectu pugnabant. Fremitus æqualis, tenorque idem pugnæ in defatigationem ultimam, aut noctem specta-

6. *Circumfuso undique equitatu* Samnitium, *ut vallum peteretur,* hoc est, vallus; sed vel leg., *vallus*, vel *ut vallum peterent;* Gronov. et Stroth. (Confer Gron. Obss. III, 18; et Duk. ad Flor. II, 18, n. 10, qui tamen ad hunc locum monet, latine etiam dici posse *hoc vallum* pro *hic vallus.*) Forte et *ne* leg. pro *ut.* Tum sensus est: *Id vero fieri non poterat, circumfuso undique equitatu* Samnitium et urgente Romanos, ne petere vallos, vel lignatum ire, et castra metari, aut ponere possent, sed pugnare cogerentur.

7. *Quod, ignari loco iniquo, non hosti,* Samnitibus, *cessum* esse a Romanis. Ignorabant Samnites, veram profectionis Romanorum causam non fuisse metum, sed *castra incuriose* et loco parum opportuno *posita.* — *Desueto Samnite,* quum alioquin desuevisset Samnis. — *Clamorem,* vel primum impetum et concursum, quo potissimum tolli solet.

8. *In suo quisque gradu obnixi,* vide ad II, 10, n. 7.

9. *Urgentes scutis,* umbonibus. — *Sine respiratione ac respectu:* ut nos: *ohne auszuruhen und sich umzusehen;* Doer. Confer ad XXXII, 12, n. 3. Mox *quum subito Samnitium equites, quum,* etc. inconcinne dicitur. Forte leg. *tum subito,* vel *qui,* seu *quod, turma u. l. p., acceperant.*

bat. Jam viris vires, jam ferro sua vis, jam consilia ducibus deerant: quum subito Samnitium equites, quum, turma una longius provecta, accepissent, impedimenta Romanorum procul ab armatis sine præsidio, sine munimento stare, aviditate prædæ impetum faciunt. Quod ubi dictatori trepidus nuntius adtulit; « Sine modo, inquit, sese præda præpediant. » Alii deinde super alios, diripi passim ferrique fortunas militum, vociferabantur. Tum magistro equitum accito, « Vides tu, inquit, M. Fabi, ab hostium equite « omissam pugnam? hærent impediti impedimentis « nostris. Aggredere, quod inter prædandum omni « multitudini evenit, dissipatos: raros equis insiden- « tes, raros, quibus ferrum in manu sit, invenies: « equosque dum præda onerant, cæde inermes, cruen- « tamque illis prædam redde. Mihi legiones pedi- « tumque pugna curæ erunt: penes te equestre sit « decus. »

XXXIX. Equitum acies, qualis quæ esse instructissima potest, invecta in dissipatos impeditosque hostes, cæde omnia replet. Inter sarcinas omissas repente, objacentes pedibus fugientium consternatorumque equorum, neque pugnæ, neque fugæ satis potentes, cæduntur. Tum, deleto prope equitatu hostium, M. Fabius, circumductis paululum alis [1], ab tergo pedestrem aciem adoritur. Clamor inde novus accidens et Samnitium terruit animos; et dictator, ubi respectantes hostium antesignanos turbataque signa et fluctuantem aciem vidit, tum appellare, tum adhortari milites, tribunos principesque ordinum no-

Cap. XXXIX. 1. *Circumductis paululum alis,* equitibus rom., quod ex fine cap. præc. patet. Conf. ad XXV, 21, n. 4. — *Clamor inde novus accidens;* multi *accedens*, solenni scribarum peccato. — *Respectantes hostium antesignanos*, scilic. timide ac trepidanter. — *Fluctuantem aciem,* vide

minatim ad iterandam secum pugnam vocare. Novato clamore, signa inferuntur; et, quidquid progrediebantur [2], magis magisque turbatos hostes cernebant. Eques ipse jam primis erat in conspectu: et Cornelius, respiciens ad manipulos militum, quod manu, quod voce poterat, monstrabat, vexilla se suorum parmasque cernere equitum. Quod ubi auditum simulque visum est, adeo repente laboris, per diem pæne totum tolerati, vulnerumque obliti sunt, ut haud secus, quam si tum integri e castris signum pugnæ accepissent, concitaverint se in hostem. Nec ultra Samnis tolerare terrorem equitum, peditumque vim potuit: partim in medio cæsi, partim in fugam dissipati sunt. Pedes restantes ac circumventos cecidit: ab equite fugientium strages est facta; inter quos et ipse imperator cecidit. Hoc demum prælium Samnitium res ita infregit, ut omnibus conciliis fremerent, *minime id quidem mirum esse, si impio bello et contra fœdus suscepto* [3], *infestioribus merito diis quam hominibus, nihil prospere agerent. Expiandum id bellum magna mercede luendumque esse. Id referre tantum, utrum supplicia noxio paucorum, an omnium innoxio præbeant sanguine;* audebantque jam quidam nominare auctores armorum [4]. Unum

ad III, 60, n. 7. — *Nominatim vocare,* confer ad XXI, 43 extr.

2. *Quidquid progrediebantur,* vide ad VII, 32, n. 3. — *Quod manu, quod voce poterat,* hoc est, quantum; et repetitio τοῦ *quod* est in emphasi, studium viri exprimente; Ern.

3. *Impio bello et contra fœdus suscepto;* hoc ait, quod paulo ante dixerat cap. 38: *Samnites inducias annuas ab urbe retulerunt, nec earum ipsarum sancta fides fuit.* Itaque subdit hoc cap. *Brutulus Papius haud dubie erat proximarum induciarum ruptor.* Ed. — *Id referre tantum,* hoc modo interesse, id discriminis esse, de eo deliberandum esse, *es käme nur darauf an, nur dies verschlüge etwas;* Stroth. Confer ad II, 8, n. 12; IV, 49, n. 12; IX, 9, n. 6; XXV, 16, n. 10; XXVIII, 19, n. 5. Sic et *interesse* passim dicitur, ut XXVI, 2, n. 9; XXVI, 11, n. 9, et al. Confer Gron. ad Sen. de ben. I, 6.

4. *Auctores armorum,* vide ad I, 30, n. 7.

maxime nomen per consensum clamantium Brutuli Papii[5] exaudiebatur : vir nobilis potensque erat, haud dubie proximarum induciarum ruptor[6]. De eo coacti referre prætores decretum fecerunt, *Ut Brutulus Papius Romanis dederetur : et cum eo præda omnis romana, captivique ut Romam mitterentur; quæque res per fetiales ex fœdere repetitæ essent, secundum jus fasque restituerentur.* Fetiales Romam, ut censuerunt, missi, et corpus Brutuli exanime : ipse morte voluntaria ignominiæ se ac supplicio subtraxit. Placuit cum corpore bona quoque ejus dedi : nihil tamen earum rerum, præter captivos, ac si qua cognita ex præda sunt, acceptum est : cæterarum rerum irrita fuit deditio. Dictator ex senatusconsulto triumphavit. Hoc bellum a consulibus bellatum, quidam auctores sunt[7], eosque de Samnitibus triumphasse : Fabium etiam in Apuliam processisse, atque inde magnas prædas egisse.

XL. Nec discrepat[1], quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit. Id ambigitur, belline gerendi causa creatus sit; an ut esset, qui ludis romanis, quia L. Plautius prætor gravi morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret[2], functusque eo

5. *Brutuli Papii* : an forte *Mutili Papii?* ut progenitor fuerit clarissimi illius Italicorum ducis in bello sociali, seu Marsico? Ad seqq. confer Appian. Samn. Exc. 4, et Dionis Cass. fragm. 143, tom. I, pag. 59, ed. Reim. (apud Ursin. IV, p. 374.)

6. *Proximarum induciarum ruptor*, confer cap. 37 pr. Hinc supra *impium bellum* dicitur *et contra fœdus susceptum.* — *Prætores* Samnitium.

7. *Quidam auctores sunt*, etc. v. c. Aurel. Vict. V. I, 32, fasti Capitol. et columnæ triumphal. Conf. Pigh. Ann. ad annum 431.

Cap. XL. 1. *Nec discrepat* scilicet inter auctores; vide ad IX, 16, n. 1. Alii *discrepant* : nostrum latinius.

2. *Signum mittendis quadrigis daret* mappa, e loco supra carceres (vide Cic. de Div. I, 58), unde *escendisse* XLV, 1. Confer ad Juvenal. XI, 191; Suet. Ner. XXII; Martial. XII, 29; Quintil. I, 5, § 57; Columna ad Ennium pag. 22; Ruben. Elect. I, 30; Panvin. de ludis circ. I, 14; Buleng. de Circo cap. 16; Salmas. ad Solin. pag. 647; *mittendis* scilicet in certamen, voc. propr. de variis ludicri circensis generibus. Sic *semel quadri-*

haud sane memorandi imperii ministerio, se dictatura abdicaret: nec facile est, aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitiatam memoriam funebribus laudibus [3] reor, falsisque imaginum titulis [4], dum familia ad se quæque famam rerum gestarum, honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta, et publica monimenta rerum confusa. Nec quisquam æqualis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur [5].

gis, semel desultore misso XLIV, 9, n. 2, et *quadrigis missis* XLV, 1.

3. *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor,* etc. vide ad II, 47, n. 6, *laudationibus* emend. Mur. cui favet tum usus loquendi, tum auctoritas Sen. Ep. 92. *Aliud est laus, aliud laudatio. Hæc et vocem exigit. Itaque nemo dicit laudem funebrem, sed laudationem, cujus officium oratione constat.* Sed *laudem*, quia oriatur a laudatione, etiam pro ea interdum dici, Duker. docet coll. Cic. de Or. II, 84 (ubi *laus orationis* est laudatio forensis), Suet. Cal. XX (ubi *laudes componere* est idem quod apud Cic. loco laudato, *laudationes scriptitare*) et Phædr. IV, 20, ubi conf. Gudium. — Hunc locum videtur noster accepisse a Cicer. in Bruto cap. 16 : *nisi quem nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant. Et, Hercule, hæ quidem exstant. Ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. Quanquam his laudationibus historia rerum nostrarum facta est mendosior. Multa enim sunt scripta in eis, quæ facta non sunt; falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus.* Ed.

4. *Falsis imaginum titulis,* confer ad IV, 16, n. 4.

5. *Quo satis certo auctore stetur,* confer ad III, 36, n. 11.

Bayerische Staatsbibliothek München

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

Liber quartus : breviarium Pag. 1
Liber quintus : breviarium.................... 117
Liber sextus : breviarium 233
Liber septimus : breviarium.................. 329
Liber octavus : breviarium................... 425

FINIS SECUNDI VOLUMINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Livius, Titus, / Freinsheim, Johann, / Lemaire, N. E.,

Titus Livius Patavinus

Bd.: Vol. 2 : Liber 4 - 8

Parisii 1822

A.lat.b. 2308 f-2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10247386-3